ACTA
APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. XCI

TYPIS VATICANIS
MDCCCC-LXXXXVIIII

An. et vol. XCI 7 Ianuarii 1999 N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Città del Vaticano -** ***Administratio:*** **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE ENCYCLICAE

Cunctis catholicae Ecclesiae episcopis de necessitudinis natura inter fidem et rationem.

IOANNES PAULUS PP. II

Venerabiles in episcopatu Fratres,
salutem et Apostolicam Benedictionem/

Fides et ratio binae quasi pennae videntur quibus veritatis ad contemplationem hominis attollitur animus. Deus autem ipse est qui veritatis cognoscendae studium hominum mentibus insevit, suique tandem etiam cognoscendi ut, cognoscentes Eum diligentesque, ad plenam pariter de se ipsis pertingere possint veritatem (cfr *Ex* 33,18; *Ps* 27[26],8-9; 63[62],2-3; *Io* 14,8; *1 Io* 3,2).

PROOEMIUM

«NOSCE TE IPSUM»

1. Fieri quidem potest ut, tam in Orientis orbe quam in Occidentis solis plaga, iter quoddam dignoscatur quod, progredientibus saeculis eo usque hominum genus perduxerit ut cum veritate paulatim congrediatur seque cum illa componat. Hoc quidem iter sic explicatum est — neque aliter accidere potuit — intra prospectum quendam singularis hominum conscientiae: quo namque plenius res orbemque cognovit homo, eo magis ipsemet cognoscit se unica in sua natura, eodemque tempore instans fit interrogatio

de significatione rerum suaeque ipsius exsistentiae. Quidquid se nobis obicit veluti cognitionis nostrae argumentum, hanc ipsam ob causam evadit vitae nostrae elementum. Admonitio illa **Tvcoöt,** GSOCUTÓV in superliminari inscripta erat Delphis in templo, principalem ut veritatem testificantur quae minima omni homini sumenda erat regula quicumque inter res creatas se extollere cupiebat veluti « hominem » scilicet « sui ipsius cognitorem ».

Candidus intuitus veteres in annales luculenter aliunde demonstrat, variis in orbis regionibus multiplici humano distinctis cultu, exsistere eodem tempore principales illas interrogationes quibus vita designatur hominum: *Quis egomet sum? Unde venio? Quoque vado? Cur mala adsunt? Quid nos manet hanc post vitam?* Haec quaesita reperiuntur in sacris Israelis scriptionibus, at insunt etiam scriptis *Veda* necnon *A vesta;* detegimus ea in operibus Confutii atque Lao-Tze, quemadmodum in praedicatione virorum Tirthankara ipsiusque Buddhae; exsistunt similiter ex Homeri carminibus ac tragoediis Euripidis et Sophoclis, perinde ac philosophicis in Platonis et Aristotelis tractatibus. Hae nempe interrogationes sunt quae ex illa communi profluunt inquisitione de sensu ipso quo numquam non hominis animus inquietatur: ex responsione vero, quae talibus redditur rogationibus, directio pendet quae vitae humanae est imprimenda.

2. Aliena sane non est Ecclesia, neque esse potest, hoc ab inquirendi opere. Ab eo enim tempore, cum intra Paschale Mysterium postremam accepit de hominis vita veritatem uti donum, facta est illa vicissim peregrina per semitas orbis ut Christum Iesum esse praedicet « viam veritatem et vitam » (cfr *Io* 14,6). Diversa inter officia, quae hominibus ea offerat oportet, unum illud nimirum esse intellegit sibi plane proprium: *Veritatis diaconiam.*[1] Hoc officium, una ex parte, facit ut credens ipsa communitas particeps evadat communis illius operae qua homines attingere student veritatem;[2] altera vero ex parte, obstringitur communitas illa officio ut nuntia fiat rerum certarum quas cognovit, licet sibi conscia sit omnem veritatem captam unam dumtaxat stationem esse plenam ad illam veritatem quae ul-

[1] Iam primis Nostris in Litteris Encyclicis *Redemptor hominis* inscriptis ediximus: « Inde huius muneris Christi, prophetae, participes facti sumus et ex eodem munere cum eo servimus veritati divinae in Ecclesia, Officium circa hanc veritatem assumptum etiam idem valet atque eam amare et curare, quo penitius cognoscatur, ita ut ad eam, cum tota vi salvifica, qua pollet, cum splendore, quo nitet, cum profunditate simul et simplicitate, quibus distinguitur, propius accedamus». N 19: *AAS* 71 (1979), 306.

[2] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const, past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 16.

tima in Dei revelatione ostendetur: « Videmus enim nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum» *(1 Cor* 13,12).

3. Multiplices sunt facultates quibus uti potest homo ut veritatum cognoscendarum foveat progressionem, unde exsistentiam suam humaniorem reddat. Inter has *philosophia* eminet, quae recta adiuvat ut et interrogatio ponatur de vitae sensu et ei responsio iam adumbretur: quapropter unum ipsa reperitur nobiliorum hominis munerum. « Philosophiae » vox Graecam ad originem « sapientiae amorem » designat. Etenim nata philosophia est atque eo tempore enucleata quo coepit se ipsum homo interrogare de rerum causis iuribusque. Diversis quidem formis modisque demonstrat philosophia ad ipsam hominis naturam pertinere veritatis cupiditatem. Innata est eius menti illa proprietas ut de rerum percontetur causis etiamsi responsiones paulatim inde redditae in formam quandam ingrediuntur quae diversas cultus humani species inter se complere manifesto ostendit.

Impulsio vehemens illa, quam ad efformationem progressionemque culturae in orbe Occidentali adhibuit philosophia, facere haud debet ut obliviscamur quatenus ipsa quoque pervaserit vias etiam humanae vitae concipiendae ex quibus Orientalis etiam vivit orbis. Cuique enim populo nativa est atque pristina sapientia quae, tamquam verus animi culturarum thesaurus, eo tendit ut exprimatur et rationibus potissimum philosophicis maturetur. Quam sit hoc verum inde etiam comprobatur quod principalis quaedam philosophicae scientiae figura, nostris etiam temporibus, deprehendi potest in iis postulatis quibus leges Nationum et civitatum informantur ad socialem vitam moderandam.

4. Quidquid autem id est, notetur oportet sub uno nomine diversas latere significationes. Praevia igitur explicatio necessaria evadit. Concupiscens extremam vitae veritatem homo adipisci, illas universales studet comparare cognitiones quae ei facultatem dant melius se comprehendendi ulteriusque progrediendi ad se perficiendum. Fundamentales hae notiones illa ex *admiratione* emanant quam rerum creatarum contemplatio in eo excitat: rapitur enim homo stupens quod se in rerum universitatem videt insertum cum aliis sui similibus consociatum quibuscum etiam communicat sortem. Iter hinc incipit quod illum pervehet ad novos usque cognitionis orbes detegendos. Nisi obstupescens miraretur homo, in repetitionem quandam sterilem recideret ac, paulatim, facultatem amitteret vitae reapse personalis ducendae.

Speculandi potestas, quae humani propria est intellectus, adiuvat ut, philosophicam per industriam, figura enucleetur exactae cogitationis sicque ordinata exstruatur disciplina logico affirmationum consensu atque solido doctrinarum contextu distincta. Hanc propter rationem, variis in cultus humani formis diversisque pariter aetatibus, fructus percepti sunt qui elaborandis veris cogitationum modis profuerunt. Ad historiae fidem factum est ut istud induceret ad unam dumtaxat philosophiae viam confundendam cum tota philosophica disciplina. Constat vero, his in casibus, certam quandam exsistere « superbiam philosophicam » quae suos attollere audeat oculos longe prospicientes at imperfectos ad interpretationem aliquam universalem. Re vera quodque philosophiae *corpus,* quantumvis reverendum sua in summa et amplitudine sine ullis abusibus, agnoscere debet principatum philosophicae *cogitationis,* ex qua et suam ducit originem et cui congruenter serviat necesse est.

Hoc modo, quamquam mutantur tempora cognitionesque progrediuntur, agnosci licet quasi nucleum quendam philosophicarum notionum, quae nonnumquam adsunt in hominum cogitantium historia. Cogitentur verbi gratia, principia non contradictionis, finalitatis ac causalitatis nec non cogitatum personae veluti subiecti liberi et intellegentis eiusque facultas Deum veritatem bonumque cognoscendi; cogitentur pariter nonnullae normae morales praecipuae quae omnium item sunt communes. Haec aliaque argumenta demonstrant, variis doctrinarum praetermissis scholis, corpus exsistere cognitionum in quibus introspici potest genus quoddam spiritalis hominum patrimonii. Ita fit ut ante oculos quasi *philosophiam implicitam* reperiamus cuius principia quisque homo se possidere sentiat, tametsi sub forma omnino universali neque conscia. Quoniam communicantur hae notiones quadamtenus ab omnibus, ipsae efficere debent medium quoddam punctum quo diversae philosophicae scholae confluunt. Quotiens ratio percipere valet atque exprimere prima et universalia vitae principia indeque recte consectaria propria deducere ordinis logici et deontologici, totiens appellari potest ratio recta sive, quemadmodum antiqui loquebantur, òp6òc Xóyoc.

5. Sua ex parte facere non potest Ecclesia quin magni officium rationis aestimet ad proposita illa consequenda unde ipsa hominum vita dignior reddatur. Etenim in philosophia viam ipsa conspicatur cognoscendi principales veritates hominum vitam tangentes. Eodem tempore, philosophiam iudicat instrumentum pernecessarium ut fidei intellectus altius inquiratur atque Evangelii veritas iis impertiatur qui eam nondum cognoverunt.

Similia igitur Decessorum Nostrorum coepta prosecuti, cupimus etiam Nos ad hoc peculiare rationis humanae opus con vertere oculos. Eo praesertim impellimur quod novimus his maxime temporibus veritatis ultimae inquisitionem saepius obscuratam videri. Haud dubitatur quin philosophiae recentiori laudi tribuatur quod mentes iam in hominem ipsum intenduntur. Hinc initio facto, quaedam ratio interrogationum plena ulterius propulit hominis cupiditatem plus plusque cognoscendi atque singula multo altius. Ita doctrinarum formae implexae exstructae sunt quae suos variis in cognitionis provinciis protulerunt fructus, progressui nempe faventes tum culturae tum historiae. Anthropologia, logica disciplina, scientiae naturales, historia et sermo..., immo quodam modo universitas cognitionis humanae est assumpta. Effectus re percepti suadere aliunde non debent ut obscuretur quod ipsa ratio, ad investigandum uno solo ex latere hominem uti subiectum intenta, videtur esse omnino oblita eundem hominem semper invitari ut ad veritatem se transcendentem progrediatur. Deficiente habitudine ad illam, quisque homo exponitur arbitrio soli suo atque ipsius velut personae condicio in eo est ut regulis unis pragmaticis aestimetur quae suapte natura experimentis innituntur, cum perperam credatur technicam artem necessario debere reliquis rebus dominari. Sic sane accidit ut, cum melius hanc intentionem ad veritatem exprimere deberet, gravata contra onere tot notitiarum ratio humana in se replicaretur atque de die in diem minus intuitum suum attollere in altiora posset ut veritatem exsistentiae consequi auderet. Recentior philosophia, omittens suas perquisitiones in ipsum « esse » dirigere, opus suum in cognitionibus hominum collocavit. Non ergo extulit facultatem quae homini data est veritatis cognoscendae, sed extollere eius limites maluit et condiciones.

Multiplices hinc enatae sunt agnosticismi et relativismi formae quibus eo usque provecta est philosophica investigatio ut iam in mobili veluti scepticismi universalis tellure pererraret. Recentius praeterea variae invaluerunt doctrinae illuc tendentes ut etiam illae veritates imminuantur quas homo se iam adeptum esse putaverat. Licita sententiarum varietas iam indistincto concessit pluralismo, principio niso omnes opinationes idem prorsus valere: unum hoc est signorum latissime disseminatorum illius diffidentiae de veritate, quam hodiernis in adiunctis deprehendi passim licet. In idem diffidens iudicium incidunt etiam quaedam vitae notiones ex Oriente profectae; in iis, enim, veritati negatur propria eius indoles, cum pro concesso sumatur pari modo veritatem diversis indicari in doctrinis, vel inter

se contradicentibus. Hoc in rerum prospectu cuncta ad opinationem quandam rediguntur. Percipitur quasi motus quidam fluctuans: cum hinc philosophica investigatio iam in illam viam se inserere potuit, quae propiorem eam reddit ad hominum vitam eiusque formas expressas, illinc tamen eadem inquisitio explicare iam vult deliberationes exsistentiales, hermenéuticas vel lingüisticas quae alienae sunt a fundamentali hac quaestione de veritate cuiusque hominis vitae, exsistentiae atque Dei ipsius. Quapropter in homine nostrae aetatis, neque tantummodo quosdam apud philosophos, iam emerserunt affectus alicuius diffidentiae passim disseminatae nulliusque fiduciae de permagnis hominum cognoscendi facultatibus. Falso cum pudore quis contentus fit veritatibus ex parte et ad tempus, quin interrogationes radicales ponere iam contendat de sensu extremoque vitae humanae fundamento, in singulis hominibus et in ipsa societate. Brevi: spes iam interiit fieri posse ut talibus interrogationibus decretoriae responsiones reddantur.

6. Ecclesia vigens auctoritate illa, quae ei obtingit quod Revelationis Iesu Christi est custos, confirmare cupit huius meditationis necessitatem super veritate. Hanc ipsam ob causam in animum induximus appellare tum vos Veneratos in episcopatu Fratres quibuscum annuntiandi communicamus munus « in manifestatione veritatis » *(2 Cor* 4,2) tum etiam philosophos atque theologos quorum est diversos veritatis perscrutari aspectus, tum etiam homines omnes adhuc quaerentes, ut nonnullas participemus cogitationes de itinere quod conducit ad veram sapientiam, ut quicumque in pectore amorem ipsius habeat, rectam ingredi valeat viam ut eam consequatur, in eaque quietem reperiat suis a laboribus spiritalemque laetitiam.

Ad hoc inceptum Nos adducit conscientia in primis quae verbis Concilii Vaticani II significatur cum Episcopos esse adfirmat « divinae et catholicae veritatis testes ».[3] Testificandae igitur veritatis officium est concreditum nobis Episcopis, quod deponere haud possumus quin simul ministerium acceptum deseramus. Fidei veritatem confirmantes, nostrae aetatis hominibus reddere possumus veram fiduciam de propriis cognoscendi facultatibus ipsique philosophicae disciplinae praebere provocationem ut suam plenam recuperare valeat explicareque dignitatem.

Alia Nos quoque permovet causa ut has perscribamus deliberationes. Litteris in Encyclicis *Veritatis splendor* inscriptis animorum intentionem direximus ad quasdam « doctrinae catholicae fundamentales veritates quae in

[3] **Const. dogm. de Ecclesia** *Lumen gentium,* **25.**

periculo versantur deformationis vel negationis ob rerum adiuncta aetatis nostrae ».[4] His Litteris pergere cupimus easdem meditationes ulterius persequi, mente videlicet conversa ad argumentum ipsius *veritatis* eiusque *fundamentum* quod spectat ad *fidem.* Etenim negari non potest hoc celerium et implicatarum mutationum tempore iuniores praesertim, ad quos pertinet ventura aetas et de quibus ea pendet, illi exponi sensui sive persuasioni se certis privari fundamentalibus principiis ad quae referantur. Necessitas alicuius solidi firmamenti, in quo vita singulorum hominum societatisque exstruatur, vehementius persentitur praesertim quotiens necesse est comprobare partialem naturam propositorum quae res transeuntes ad gradum alicuius ponderis tollunt, dum decipiunt potestatem ipsam assequendi verum vitae sensum. Ita profecto evenit ut multi suam vitam ad ipsum praecipiti marginem producant, nescientes interea quid ultra maneat. Inde hoc nempe accidit quod nonnumquam ii, quos munus fere proprium obstringebat ut culturae formis fructus proferrent suarum deliberationum, oculos a veritate abstraherent, cum laboris successum subitum praeferrent patientis inquisitionis labori earum rerum quae vivendo sunt experiendae. Strenue igitur pristinam suam vocationem recuperare debet philosophia cuius grave est officium cogitationem humanam informare nec non humanum ipsum cultum, perpetuo revocando homines ad veritatis perquisitionem. Hac omnino de causa non solam necessitatem sensimus, verum etiam morale officium ut de hoc argumento eloqueremur, ut hominum genus, limen tertii millennii christiani aetatis supergressurum, magis conscium sibi facultatum magnarum reddatur quae illi sunt concessae seque renovato animi fervore dedat salutis explendo consilio in quod ipsius est inserta historia.

Caput I

SAPIENTIAE DIVINAE PATEFACTIO

Iesus Patris Revelator

7. Omni meditationi quam perficit Ecclesia subiacet conscientia apud ipsam nuntium depositum esse qui suam trahat originem ex Deo ipso (cfr *2 Cor* 4,1-2). Haud ex propria consideratione provenit haec conscientia etiam profundissima quam hominibus ea praebet, verum ex verbi Dei in fide receptione (cfr *1 Thess* 2,13). Ad vitae nostrae uti credentium originem con-

[4] **N. 4:** *AAS* **85 (1993), 1136,**

gressio quaedam, sui generis unica, invenitur quae mysterii a saeculis absconditi designat illuminationem (cfr *1 Cor* 2,7; *Rom* 16,25-26), quod autem nunc aperitur: « Placuit Deo in sua bonitate et sapientia seipsum revelare et notum facere sacramentum voluntatis suae (cfr *Eph* 1,9), quo homines per Christum, Verbum carnem factum, in Spiritu Sancto accessum habent ad Patrem et divinae naturae consortes efficiuntur».[5] Hoc est plane gratuitum opus quod a Deo proficiscitur et ad homines pervenit ut illi salvi fiant. Tamquam amoris fons Deus se cupit cognosci atque cognitio quam illius habet homo omnem perficit aliam notitiam quam mens eius assequi potest de propriae exsistentiae sensu.

8. Doctrinam fere verbatim repetens, quam Concilii Vaticani I Constitutio *Dei Filius* exhibet, rationemque ducens principiorum in Concilio Tridentino propositorum Constitutio Concilii Vaticani II *Dei Verbum* ulterius produxit saeculare iter *intellectus fidei,* Revelationem ad doctrinae biblicae institutionisque totius patristicae lucem ponderando. Concilii Vaticani I participes supernaturalem revelationis divinae extulerunt indolem. Negabat censura rationalistica, quae eo ipso tempore adversus fidem movebatur secundum falsas lateque disseminatas opinationes, omnem cognitionem quae rationis naturalium potestatum non esset consecutio. Hoc quidem Concilium induxit ut vehementer inculcaret ultra omnem rationis humanae cognitionem, quae suapte natura ad Conditorem usque agnoscendum progredi valeret, cognitionem etiam reperiri quae fidei propria esset. Haec cognitio veritatem exprimit quae fundamentum invenit in Deo sese revelante quaeque veritas est certissima quandoquidem Deus nec fallit nec fallere cupit.[6]

9. Docet itaque Concilium Vaticanum I veritatem ex philosophica deliberatione perceptam atque Revelationis veritatem non confundi neutramque earum alteram reddere supervacaneam: « Duplicem esse ordinem cognitionis non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt ».[7] Quae Dei testimonio innititur fides atque supernaturali gratiae utitur adiumento, re vera ad alium pertinet ordinem

[5] CONC. OECUM. VAT. II, Const, dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum,* 2,

[6] Cfr Const., dogm, de fide catholica *Dei Filius,* III: *DS* 3008,

[7] *Ibid.,* IV: *DS* 3015; memoratum etiam in CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 59.

ac philosophicae cognitionis. Sensuum enim haec perceptioni adnititur nec non experientiae ac se sub intellectus solius lumine movet. Philosophia atque scientiae in naturalis rationis versantur ordine, dum contra a Spiritu illuminata et gubernata fides agnoscit in ipso salutis nuntio « gratiae et veritatis plenitudinem» (cfr *Io* 1,14) quam per historiam patefacere decrevit Deus semelque in sempiternum per Filium suum Iesum Christum (cfr *1 Io* 5,9; *Io* 5,31-32).

10. In Concilio Vaticano II Patres intendentes in Iesum Revelatorem mentes, voluerunt naturam revelationis Dei salutiferam collustrare in historia, cuius hoc modo proprietatem ita significaverunt: « Hac itaque Revelatione Deus invisibilis (cfr *Col* 1,15; *1 Tim* 1,17) ex abundantia caritatis suae homines tamquam amicos alloquitur (cfr *Ex* 33,11; *Io* 15,14-15) et cum eis conversatur (cfr *Bar* 3,38), ut eos ad societatem secum invitet in eamque suscipiat. Haec Revelationis oeconomia fit gestis verbisque intrinsece inter se connexis, ita ut opera, in historia salutis a Deo patrata, doctrinam et res verbis significatas manifestent ac corroborent, verba autem opera proclament et mysterium in eis contentum élucident. Intima autem per hanc Revelationem tam de Deo quam de hominis salute veritas nobis in Christo illucescit, qui mediator simul et plenitudo totius revelationis exsistit ».[8]

11. In tempus propterea inque historiae annales se interserit Dei revelatio. Immo evenit Iesu Christi incarnatio « in plenitudine temporis » (cfr *Gal* 4,4). Duobus ideo milibus annorum post illum eventum necesse esse rursus adseverare istud arbitramur: « Christiana in fide praecipuum habet pondus tempus ».[9] Intra tempus namque profertur in lucem totum creationis ac salutis opus at in primis elucet per Filii Dei incarnationem vivere nos et iam nunc id antecapere quod ipsius temporis erit complementum (cfr *Heb* 1,2).

Quam veritatem homini Deus concredidit de eo ipso eiusque vita in tempus itaque se introducit nec non in historiam. Semel quidem in perpetuum enuntiata est in mysterio Iesu Nazareni. Hoc eloquentibus quidem verbis edicit Constitutio *Dei Verbum:* « Postquam vero multifariam multisque modis Deus locutus est in Prophetis, "novissime diebus istis locutus est nobis in Filio" *(Heb* 1,1-2). Misit enim Filium suum, aeternum scilicet Verbum, qui omnes homines illuminat, ut inter homines habitaret iisque intima Dei enarraret (cfr *Io* 1,1-18). Iesus Christus [...], Verbum caro factum,

[8] CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm de divina Revelatione** *Dei Verbum,* **2,**

[9] **Litt. Ap.** *Tertio millennio adveniente* **(10 Novembris 1994), 10:** *AAS* **87 (1995), 11.**

"homo ad homines" missus, "verba Dei loquitur" *(Io* 3,34), et opus salutare consummat quod dedit ei Pater faciendum (cfr *Io* 5,36; 17,4). Quapropter Ipse, quem qui videt, videt et Patrem (cfr *Io* 14,9), tota sui ipsius praesentia ac manifestatione, verbis et operibus, signis et miraculis, praesertim autem morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione, misso tandem Spiritu veritatis, Revelationem compiendo perficit ».[10]

Efficit itaque populo Dei historia haec iter quoddam ex toto percurrendum, ita ut revelata veritas omnem suam plene aperiat continentiam ob Spiritus Sancti continuam actionem (cfr *Io* 16,13). Id rursus Constitutio *Dei Verbum* docet cum adfirmat: « Ecclesia, volventibus saeculis, ad plenitudinem divinae veritatis iugiter tendit, donec in ipsa consummentur verba Dei ».[11]

12. Locus ita evadit historia ubi comprobare possumus Dei acta pro hominibus. Nos enim attingit ille in iis quae nobis maxime sunt familiaria et ad demonstrandum facilia, quia cotidiana nostra constituunt adiuncta, quibus submotis haud possemus nosmet ipsos intellegere.

Permittit Dei Filii incarnatio ut perennis ac postrema summa videatur completa quam ex se profecta hominum mens numquam fingere sibi valuisset: Aeternum ingreditur tempus, Quod est Omne absconditur in parte, Deus hominis suscipit vultum. Christi in Revelatione igitur expressa veritas iam nullis circumscribitur artis locorum et culturarum finibus, verum cuivis viro et feminae aperitur quae eam complecti voluerit veluti sermonem penitus validum qui vitae tribuat sensum. In Christo omnes homines iam accessum habent ad Patrem; sua namque morte ac resurrectione Ipse vitam aeternam dono dedit quam primus respuerat Adamus (cfr *Rom* 5,12-15). Hanc per Revelationem ultima exhibetur homini de propria vita veritas deque historiae sorte: « Reapse nonnisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit » adseverat Constitutio *Gaudium et spes.*[12] Extra hunc rerum conspectum mysterium vitae singulorum hominum manet aenigma insolubile. Ubi reperire valet homo responsiones illis permoventibus interrogationibus, verbi gratia de dolore atque innocentis cruciatu ac de morte, nisi illo sub lumine quod ex mysterio passionis mortis resurrectionis Christi profluit?

[10] **N. 4.**

[11] **N. 8.**

[12] **N. 22.**

Coram arcano - ratio

13. Non tamen oblivisci licebit Revelationem mysteriis abundare. Sane quidem cuncta sua ex vita Iesus vultum Patris revelat utpote qui venerit ut intima Dei enarraret;[13] verumtamen quam habemus talis vultus cognitio semper designatur incompleta quadam ratione atque etiam nostrae comprehensionis finibus. Sinit una fides nos in mysterium ingredi intimum, cuius congruentem fovet intellectum.

Docet Concilium quod « Deo revelanti praestanda est "oboeditio fidei" ».[14] Perbrevi hac sed densa affirmatione principalis quaedam fidei christianae declaratur veritas. Dicitur, in primis, fidem esse oboedientiae responsionem Deo. Id poscit ut Ille sua agnoscatur in divinitate, sua in transcendentia supremaque libertate. Deus qui facit ut ipse cognoscatur ob suae absolutae transcendentiae auctoritatem, secum etiam adfert credibilitatem eorum quae revelat. Sua fide *adsensum* suum huiusmodi testificationi divinae tribuit homo. Hoc significat eum plene integreque agnoscere rerum revelatarum veritatem, quoniam ipse se pignus illarum exhibet Deus. Veritas haec, quae homini conceditur neque ab eo exigi potest, in contextum se introducit cuiusdam communicationis singularis inter personas rationemque ipsam humanam impellit ut ei se aperiat eiusque altam percipiat significationem. Hanc ob causam actus ille, quo nos Deo committimus, semper ab Ecclesia tamquam tempus habitus est cuiusdam electionis fundamentalis, qua tota involvitur persona. Usque ad extremum intellectus ac voluntas exercent spiritalem suam naturam ut subiecto humano permittatur actum perficere quo uniuscuiusque libertas pleno modo vivatur.[15] In fide proinde non adest dumtaxat praesens libertas: etiam postulatur. Immo, ipsa fides unicuique facultatem dat suam enuntiandi meliore ratione libertatem. Aliis verbis: libertas non in electionibus contra Deum impletur. Quomodo enim verus libertatis usus iudicari posset nulla sese aperiendi voluntas ad id quod sinit homines se totos explicare? Credendo namque persona humana actum suae vitae significantissimum complet; hic enim veritatis certitudinem adsequitur veritas in eaque vivere decernit.

[13] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum,* 4.

[14] *Ibid.,* 5.

[15] Concilium Vaticanum I, ad quod superior haec prolata refertur sententia, docet fidei oboeditionem opus postulare tum intellectus tum voluntatis: « Cum homo a Deo tamquam creatore et Domino suo totus dependeat et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur » (Constitutio dogm. de fide catholica *Dei Filius,* III; *DS:* 3008).

In rationis adiumentum, quae mysterii quaerit intellectum, etiam signa praesentia in Revelatione occurrunt. Adiuvant ea ut altius perquiratur veritas utque mentem ex sese intra mysterium scrutari valeat. Quidquid id est, signa haec, si altera ex parte maiorem tribuunt rationi humanae vim quia sinunt eam propriis viribus, quarum ipsa est invidiosa custos, intra mysterium investigare, ex altera vero parte eam incitant ut eorum veluti signorum naturam transgrediatur ut ulteriorem percipiat significationem eorum quae in se continent. In iis ideoque iam abscondita subiacet veritas, ad quam dirigitur mens et a qua seiungi non potest quin simul signum ipsum illi praebitum deleatur.

Quadamtenus revertimur ad *sacramentalem* Revelationis rationem atque, nominatim, ad eucharisticum signum ubi individua unitas inter rem ipsam eiusque significationem permittit ut mysterii capiatur altitudo. In Eucharistia revera praesens adest ac vivus Christus, suo cum Spiritu operatur, sed, quemadmodum praeclare sanctus Thomas edixit, « Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, praeter rerum ordinem. Sub diversis speciebus, signis tantum, et non rebus, latent res eximiae ».[16] Refert idem philosophus Blasius Pascal: « Sicut Christus Iesus ignotus inter homines fuit, ita manet veritas eius, communes inter opinationes, sine ulla exteriore distinctione. Sic etiam Eucharistia restat inter panem communem ».[17]

Fidei cognitio, demum, mysterium non exstinguit; illud evidentius dumtaxat reddit demonstratque veluti necessarium vitae hominis elementum: Christus Dominus « in ipsa Revelatione mysterii Patris Eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit »,[18] quae nempe ea est ut vitae trinitariae Dei particeps fiat.[19]

14. Verum novitatis prospectum recludunt ipsi scientiae philosophicae doctrinae binorum Conciliorum Vaticanorum. In hominum historiam inducit Revelatio necessitudinis punctum quoddam quo carere non potest homo, si ad suae vitae comprehendendum mysterium pervenire voluerit; aliunde vero haec cognitio continenter ad Dei refertur mysterium quod plane exhaurire mens non valet, sed dumtaxat percipere et in fide complecti. Intra haec duo tempora peculiare habet ratio humana spatium suum unde

[16] *Sequentia* in sollemnitate Sanctissimi Corporis et Sanguinis Domini.

[17] *Pensées,* 789 (ed. L. Brunschvicg).

[18] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 22.

[19] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum,* 2.

investigare ei licet atque comprehendere, quin tamen nulla alia re circumscribatur nisi finita natura suae indolis coram Dei infinito mysterio.

Quapropter in historiam nostram Revelatio infert aliquam veritatem, universalem atque ultimam, quae hominis mentem incitat ne umquam consistat; immo vero, eam impellit ut suae cognitionis fines perpetuo dilatet, donec ea omnia se perfecisse intellegat quae in ipsius erant potestate, nulla praetermissa parte. Ad hanc autem deliberationem adiuvare nos festinat unum ex fecundissimis ingeniis maximeque significantibus in generis hominum historia, ad quem virum honorifice se convertunt tam philosophia quam theologia: sanctus Anselmus. Ille Cantuariensis Archiepiscopus sic sententiam suo in *Proslogion* eloquitur: « Ad quod cum saepe studioseque cogitationem converterem atque aliquando mihi videretur iam capi posse quod quaerebam, aliquando mentis aciem omnino fugeret, tandem desperans volui cessare, velut ab inquisitione rei, quam inveniri esset impossibile. Sed cum illam cogitationem, ne mentem meam frustra occupando, ab aliis, in quibus proficere possem, impediret, penitus a me vellem excludere, tunc magis ac magis, nolenti et defendenti se coepit cum importunitate quadam ingerere. [...] Sed heu! me miserum, unum de aliis miseris filiis Evae, elongatis a Deo! Quid incoepi? Quid effeci? Quo tendebam? Quo deveni? Ad quid aspirabam? In quibus suspiro? [...] Ergo, Domine, non solum es id quo maius cogitari nequit, sed es quiddam maius quam cogitari possit. Quoniam namque valet cogitari esse aliquid huiusmodi; si tu non es hoc ipsum, potest cogitari aliquid maius te: quod fieri nequit ».[20]

15. Revelationis christianae veritas, quae cum Iesu Nazareno congreditur, quemlibet hominem percipere sinit propriae vitae « mysterium ». Dum perinde ac suprema ipsa veritas observat illa autonomiam creaturae libertatemque eius illam etiam obstringit ut ad transcendentiam sese aperiat. Haec coniunctio libertatis ac veritatis maxima evadit planeque Domini intellegitur sermo: «Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos» *(Io* 8,32).

Verum veluti astrum conductorium christiana Revelatio fit homini qui inter condiciones progreditur mentis cuiusdam immanentisticae nec non logicae technocraticae angustias; extrema est facultas quae a Deo praebetur ut pristinum amoris consilium, creatione ipsa inchoatum, denuo plene reperiatur. Hominibus verum cognoscere cupientibus, si ultra se adhuc prospicere valent et intuitum suum extra propria proposita attollere, potestas tri-

[20] **Prooemium et nn. 1. 15: *PL* 158, 223-224,226; 235.**

buitur veram necessitudinem cum sua vita recuperandi, viam persequendo veritatis. Ad hunc rerum statum bene dicta libri *Deuteronomii* adhiberi licet: « Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est neque procul positum nec in caelo situm, ut possis dicere: "Quis nobis ad caelum valet ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus?". Neque trans mare positum, ut causeris dicas: "Quis nobis transfretare poterit mare et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod praeceptum est?". Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum» (30,11-14). Quam notionem quasi vocis celebris imagine refert sententia sancti philosophi et theologi Augustini: « Noli foras ire, in te ipsum redi. In interiore homine habitat veritas ».[21]

His praelucentibus deliberationibus prima iam imponitur conclusio: quam nobis Revelatio cognoscere permittit veritas non fructus est maturus neque summus alicuius cogitationis apex ratione humana enucleatae. Illa contra cum proprietatibus se exhibet gratuiti muneris, gignit notiones poscitque ut amoris tamquam declaratio suscipiatur. Haec veritas revelata locus iam anticipatus in hominum historia est illius postremae ac decretoriae Dei visionis, quae iis destinatur quotquot credunt eumque animo conquirunt sincero. Ultimus propterea singulorum hominum vitae finis tum philosophiae studium exstat tum etiam theologiae. Utraque, licet instrumentis diversis ac doctrinis, hanc "viam vitae" (cfr *Ps* 16 [15],11) respicit quae, perinde ac praecipit nobis fides, novissimum repperit suum egressum plena in laetitia ac perpetua ex Dei Unius ac Trini contemplatione.

Caput II

CREDO UT INTELLEGAM

Sapientia scit omnia et intellegit (cfr *Sap* 9,11)

16. Quam sit inter fidei cognitionem ac scientiam rationis alta iunctura iam Sacris in Litteris significatur mirabilibus quibusdam perspicuitatis affirmationibus. Hoc comprobant *Libri Sapientiales* potissimum. Hoc quidem ferit oculos in hac lectione sine praeiudicatis opinationibus facta harum Scripturae paginarum, quod his in locis non sola Israelis concluditur fides, verum etiam thesaurus societatum et culturarum interea exstinctarum. Veluti ex peculiari quodam consilio Aegyptus et Mesopotamia faciunt ut sua

[21] *De vera religione*, XXXIX, 72: *CCL* 32, 234.

iterum audiatur vox ac communes quaedam proprietates culturarum antiqui Orientis in his paginis revocentur ad vitam, quae nempe conceptionibus insigniter altis abundant.

Non fortuito fit ut, cum hominem describere sapientem vult auctor sacer, eum depingat ut diligentem quaerentemque veritatem: « Beatus vir, qui in sapientia morabitur et qui in iustitia sua meditabitur et in sensu cogitabit circumspectionem Dei; qui excogitat vias illius in corde suo et in absconditis suis intellegens, vadens post illam quasi investigator et in viis illius consistens; qui respicit per fenestras illius et in ianuis illius audiens; qui requiescit iuxta domum illius et in parietibus illius figens palum, statuet casulam suam ad manus illius et requiescet in deversorio bonorum per aevum. Statuet filios suos sub tegmine illius et sub ramis eius morabitur; protegetur sub tegmine illius a fervore et in gloria eius requiescet » *(Eccli* 14,22-27).

Uti patet, scriptori inspirato praebetur cognoscendi cupiditas tamquam proprietas simul omnium hominum communis. Propter intellectum cunctis, tum credentibus tum etiam non credentibus, facultas tribuitur « aquam profundam » cognitionis exhauriendi (cfr *Prv* 20,5). Procul dubio, apud antiquum Israelem orbis eiusque ostenta cognoscebantur non abstracta a rebus cogitatione, quemadmodum philosopho accidebat Ionico vel sapienti Aegyptio; tanto minus comprehendebat bonus tunc Israelita cognitionem humanam iis ipsis modis qui recentioris proprii sunt aetatis, cum magis ad scientiae partitionem tenditur. Nihilo tamen minus in latissimam provinciam totius cognoscendi rationis fecit orbis biblicus ut peculiares suae confluerent partes.

Quales denique? Proprietas ea, qua textus biblicus signatur, in eo consistit quod persuadetur altam et continuam exsistere coniunctionem inter rationis cognitionem atque fidei. Mundus eaque omnia quae in illo contingunt, perinde ac historia variique populi eventus, res quidem sunt respiciendae explorandae et iudicandae propriis rationis instrumentis, fide tamen ab hoc processu haudquaquam subtracta. Ipsa non ideo intercedit ut autonomiam rationis deiciat aut eius actionis regionem deminuat, sed tantummodo ut homini explicet his in eventibus visibilem fieri agereque Deum Israelis. Fieri itaque non potest ut funditus mundus percipiatur eventaque historiae, nisi simul fides in Deum proferatur qui in illis operatur.

Acuit interiorem intuitum fides dum mentem ipsam recludit ad operantem detegendam Providentiae praesentiam in progredientibus eventis. Libri

Proverbiorum enuntiatio multum hac in re significat: « Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius » (16,9). Quod est: homo rationis lumine collustratus suam novit reperire viam, eam vero percurrere facile valet expediteque sine obicibus usque ad extremum, si recto animo inquisitionem suam in fidei inseruerit prospectum. Quam ob rem segregan ratio ac fides non possunt quin simul homini ipsa facultas deficiat mundum Deumque et seipsum congruo modo cognoscendi.

17. Nihil igitur causae est cur inter se ratio ac fides aemulentur: in altera enim altera invenitur et proprium utraque habet spatium sui explicandi. Proverbiorum rursus liber in hanc nos dirigit partem cum exclamat: « Gloria Dei est celare verbum, est gloria regum investigare sermonem » (25,2). Collocantur suo quisque in orbe Deus et homo quasi unica in necessitudine. Omnium rerum origo reponitur in Deo in Eoque mysterii colligitur plenitudo: quod ipsius efficit gloriam; ad hominem officium pertinet veritatem sua ratione pervestigandi, quod eius profecto constituit nobilitatem. Alia hoc ad musivum opus additur tessella a Psalmista cum precatur « mihi autem nimis pretiosae cogitationes tuae, Deus; nimis gravis summa earum. Si dinumerabo eas, super arenam multiplicabuntur; si ad finem pervenerim, adhuc sum tecum» (139[138],17-18). Cognoscendi cupiditas ita magna est secumque talem infert dynamicam vim ut hominis animus, licet terminum experiatur quem praetergredi par non est, ad infinitam tamen adspiret ubertatem quae ultra iacet, quoniam in ea iam percipit responsionem custodiri consentaneam cuilibet quaestioni cui adhuc non est responsum.

18. Quocirca adfirmari licet sua meditatione scivisse Israelem suae rationi viam ad mysterium pandere. In Dei Revelatione potuit altitudinem pertemptare, quousque ratione sua pertingere studebat non autem eo perveniens. Ex hac altiore cognitionis forma profectus, intellexit populus ille electus rationem quasdam observare oportere regulas praecipuas in quibus propriam naturam melius declararet. Prima in eo consistit regula ut ratio habeatur huius veritatis: in itinere constitutum esse hominem quod interrumpí non possit; secunda, ex conscientia nascitur neminem hanc in viam introire superbo animo eius qui omnia propriarum virium effecta esse arbitretur; consistit tertia in « timore Dei », cuius supremam agnoscere debet ratio transcendentiam simulque providum in gubernandis rebus amorem.

Quotiens ab hisce receditur regulis, periculo obicitur homo ne deficiat deveniatque in « stulti condicionem ». Ad Bibliae sententiam huic stultitiae inest minatio vitae. Se enim decipit stultus plura cognoscere, verum non

potest reapse animum in res necessarias intendere. Hoc etiam eum impedit quominus suam recte ordinet mentem (cfr *Prv* 1,7) Tectumque affectum sumat de se deque rebus circumsistentibus. Cum adseverat deinde «non est Deus» (cfr *Ps* 14[13],1) clarissime in posterum demonstrat quatenus sua cognitio desit et quam procul ipse a veritate rerum plena absit de rebus, de earum origine atque sorte.

19. Magni momenti loci qui plus hoc super argumentum lucis effundunt in libro Sapientiae inveniuntur. Inibi loquitur sacer auctor de Deo qui per ipsam rerum naturam sese demonstrat. Penes antiquos naturalium scientiarum studium maxima ex parte cum philosophica cognitione consonabat. Postquam asseveravit sacer textus hominem sui intellectus virtute scire posse «dispositionem orbis terrarum et virtutes elementorum, [...] anni cursus et stellarum dispositiones, naturas animalium et iras bestiarum » *(Sap* 7,17.19-20), paucis verbis, philosophari eum valere, ulterius gressum facit et quidem praecipuum: repetens philosophiae Graecae notionem, ad quam hoc loco res referri videtur, affirmat auctor hominem omnino super natura ratiocinantem posse ad Deum ascendere: « A magnitudine enim et pulchritudine creaturarum cognoscibiliter potest Creator horum videri» *(Sap* 13,5). Primum ideo agnoscitur divinae Revelationis stadium quod mirabilis constituit « liber naturae », quo perlegendo homo rationis suae instrumentis ad Creatoris pertingere potest cognitionem. Si porro intellectu suo non eo usque advenit homo ut Deum omnium Conditorem cognoscat, hoc non tam deficienti instrumento est tribuendum, quantum potius impedimento libera ipsius voluntate ac peccatis propriis interiecto.

20. Hoc sub prospectu bene aestimatur ratio, sed nimium non existimatur. Quidquid assequitur illa verum esse potest, at plenam suam consequitur significationem tum solum cum notiones ampliorem in rerum prospectum proiciuntur, nempe ipsius fidei: «A Domino diriguntur gressus viri; quis autem hominum intellegere potest viam suam? » *(Prv* 20,24). Apud Vetus itaque Testamentum rationem fides liberat quatenus ei congruenter attingere permittit proprium cognitionis obiectum idque in supremo reponere ordine ubi omnia suum habent sensum. Brevi: veritatem ratione consequitur homo, quoniam fide collustratus altum rerum omnium detegit sensum ac nominatim suae exsistentiae. Iure igitur ac merito auctor sacer verae cognitionis initium plane collocat in Dei timore: « Timor Domini principium scientiae» *(Prv* 1,7; cfr *Eccli* 1,14).

Posside sapientiam, posside prudentiam (Prv 4, 5)

21. Non conditur, pro Veteris Testamenti hominibus, cognitio in observatione dumtaxat hominis et orbis et historiae, verum insolubilem poscit etiam coniunctionem cum fide cumque Revelationis doctrinis. Hic inveniuntur illae provocationes quibus occurrere populus electus debuit redderEque responsum. Hanc suam perpendens condicionem homo biblicus perspexit se intellegere non posse nisi « coniunctum » secum et cum populo, cum reliquo orbe ac cum Deo ipso. Haec ad mysterium patefactio, quae ex Revelatione ipsi contingebat, tandem fons illi verae cognitionis exstitit quae permisit rationi eius ut se in infinita spatia propellerei et sic comprehendere posset modis antehac omnino insperatis.

Non deerat inquisitionis impetus, pro auctore sacro, ab illo labore qui oriebatur ex conflictione cum rationis humanae limitibus. Animadvertitur illud, verbi gratia, iis in vocibus quibus Proverbiorum liber fatigationem enarrat qua quis intellegere arcana Dei consilia conatur (cfr 30,1-6). Verumtamen, quantumvis opus fatiget, credens manus non dat. Virtus illa, qua iter suum ad veritatem persequi potest, ei ex certa persuasione obtingit: Deum ipsum veluti « exploratorem » (cfr *Eccle* 1,13) creavisse eiusque munus esse nihil intemptatum relinquere, licet dubia perpetuo ei minitentur. Deo innixus, protenditur semper et ubique ille adversus ea omnia quae pulchra sunt, bona et vera.

22. Primo in Epistulae ad Romanos capite adiuvat nos sanctus Paulus quo melius percipiamus quam sit acuta Librorum Sapientialium deliberatio. Populari sermone argumentationem quandam philosophicam enodans Apostolus altam testificatur veritatem: per creata possunt « oculi mentis » ad Deum cognoscendum advenire. Nam ipse per creaturas facit ut ratio humana «virtutem» suam ac «divinitatem» intueatur (cfr *Rom* 1,20). Hominis rationi ergo illa adsignatur facultas quae excedere videtur ipsos eius naturae limites: non tantum intra sensuum cognitionem non circumscribitur, quoniam de iis critico iudicio meditari valet, sed de sensuum notitiis ratiocinando causam etiam tangere potest quae omnium rerum sensibilium subiacet origini. Philosophicis vocibus dici licet in pergravi loco illo Paulino potestatem hominis metaphysicam adfirmari.

In prisco creationis proposito, iudicante Apostolo, rationis humanae praevisa erat facultas facile sensuum cognitiones excedendi ut ipsa omnium origo reperiretur: Creator. Propter inoboedientiam, qua maluit homo plena

et absoluta libertate sese illi opponere qui eum condiderat, defecit haec potestas ad conditorem Deum revertendi.

Figuris vivis describit Liber Genesis hanc hominis condicionem, narrans Deum eum collocavisse in hortis Eden quibus in mediis situm erat lignum «scientiae boni et mali» (cfr 2,17). Luculenta est figura: non valebat homo pervidere ex seque statuere quid bonum esset quidve malum, at superius quoddam ad principium se referre debebat. Superbiae caecitas protoparentes nostros ita fefellit ut se supremos esse crederent suique plane iuris et posse idcirco excludere cognitionem a Deo profectam. Sua prima inoboeditione viros mulieresque omnes illi implicaverunt atque rationi humanae vulnera intulerunt quae progressionem illius ad plenam veritatem erant impeditura. Facultas humana veritatis cognoscendae iam obscurata erat repudiatione Eius qui fons est veritatis atque origo. Iterum Apostolus aperit quantopere cogitationes hominum, propter peccatum, « vanae » factae sint ipsaeque eorum ratiocinationes detortae ad falsumque ordinatae (cfr *Rom* 1,21-22). Mentis oculi iam non poterant perspicue videre: paulatim facta est ratio humana sui ipsius captiva. Christi dein adventus salutis eventus fuit quo sua ex infirmitate erepta est ratio atque impedimentis liberata quibus ipsa sese omnino incluserat.

23. Postulat idcirco Christiani habitudo ad philosophiam fundamentale quoddam iudicium. In Novo Testamento, potissimum in sancti Pauli epistulis, illud manifestum elucet: « huius mundi sapientia » sapientiae a Deo in Christo Iesu patefactae opponitur. Revelatae sapientiae altitudo consuetos nostros deliberationum terminos perrumpit, utpote qui consentaneo modo eam exprimere nequeant.

Funditus hanc difficultatem imponit initium primae Epistulae ad Corinthios. Crucifixus Dei Filius ipse historicus est eventus ad quem eliditur omnis mentis conatus exstruendi defensionem de exsistentiae sensu congruam ex humanis dumtaxat ratiocinationibus. Verus enim nodus, quo omnis philosophia lacessitur, est Iesu Christi mors in cruce. Hic namque omne conamen redigendi Patris salutiferum consilium in humanam logicam puram ad interitum destinatur. « Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? », instanter percontata Apostolus *(1 Cor* 1,20). Ad haec quae efficere cogitat Deus non amplius sola hominis sufficit prudentis sapientia, verum gressus decretorius quidam efflagitatur ad rem prorsus complectendam novam: « Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes [...] ignobilia mundi et

contemptibilia elegit Deus, quae non sunt, ut ea quae sunt, destrueret » *(1 Cor* 1,27-28). Renuit hominis sapientia contueri sua in infirmitate fundamentum suae fortitudinis; at sanctus Paulus affirmare non haesitat: « Cum enim infirmor, tunc potens sum» *(2 Cor* 12,10). Non valet percipere homo quo pacto vitae fons amorisque mors esse possit, verumtamen ut sui salutis perficiendae consilii mysterium aperiret instituit Deus id quod humana ratio « stultitiam » et « scandalum » appellat. Sermone philosophorum suorum aequalium usus, sanctus Paulus attingit culmen magisterii sui atque illius paradoxi quod enuntiare cupit: « Elegit Deus, quae non sunt ut ea, quae sunt, destrueret» *(1 Cor* 1,28). Amoris demonstrati in cruce Christi gratuitam indolem ut declaret, nihil quidem dubitat Apostolus sermonem multo efficaciorem adhibere quam philosophi usurpabant ipsi suis in disceptationibus de Deo. Vacuefacere non potest ratio humana mysterium amoris quod crux exhibet, cum ex contrario eadem crux praebere potest rationi humanae responsum extremum quod ea conquirit. Non sane verborum sapientiam sed Verbum Sapientiae Paulus recenset veluti veritatis regulam simulque salutis.

Crucis sapientia igitur omnem culturae limitem transgreditur quem ei aliunde imponere nitantur atque imperat ut quisque se aperiat universali veritatis naturae quam in se ipsa gerit. Qualis rationi nostrae obicitur provocatio, qualemve inde percipit utilitatem si se dederit! Philosophia, quae iam ex se agnoscere potest perpetuum hominis ascensum adversus veritatem, adiuvante fide potest se recludere ad recipiendum in « stultitia » Crucis criticum iudicium eorum qui falso arbitrantur se veritatem possidere, dum eam angustiis sui philosophici instituti involvunt. Inter fidem et philosophiam necessitudo in Christi crucifixi ac resuscitati praedicatione scopulum offendit ad quem naufragium facere potest, sed ultra quem patescere potest infinitum veritatis spatium. Hic liquido indicatur inter rationem ac fidem limes; at locus similiter clarus elucescit ubi ambae ipsae congredi possunt.

Caput III

INTELLEGO UT CREDAM

In via veritatem ad inquirendam

24. Lucas Evangelista in Actibus Apostolorum narrat Paulum, varia inter missionis itinera, Athenas pervenisse. Urbs illa, philosophorum sedes, si-

mulacris affluebat, quae diversa idola ostentabant. In altare quoddam repente mentem intendit quare cito exordium sumpsit ad statuendum elementum commune unde nuntium kerigmaticum iniret: « Viri Athenienses, — ait — per omnia quasi superstitiosiores vos video; praeteriens enim et videns simulacra vestra inveni et aram, in qua scriptum erat: "Ignoto Deo". Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis» *(Act* 17,22-23).

Inde exorsus Paulus de Deo loquitur tamquam Creatore, de Eo nempe qui omnia superat et omnia vivificat. Sermonem dein ita prosequitur: « Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum, quaerere Deum si forte attrectent eum et inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum » *(Act* 17,26-27).

Apostolus in luce collocat veritatem quam Ecclesia uti thesaurum habere consuevit; in latebris cordis hominis flagrans Dei desiderium est seminatum. Quod vehementer recolit liturgia Feriae VI in Parasceve, cum, in precibus pro non credentibus, nos invitat ad orandum: « Omnipotens sempiterne Deus, qui cunctos homines condidisti, ut te semper desiderando quaererent et inveniendo quiescerent... ».[22] Iter igitur quoddam exstat quod homo sua ex voluntate emetiri potest: quod quidem initium sumit cum ratio facultate ditatur sese ultra res contingentes extollendi ut in infinitum peregrinetur.

Diversa ratione ac diversa quoque aetate homo penitum hoc desiderium exprimere scivit. Litterae, ars musica, pictura, sculptura, architectura aliique fructus eius fecundae mentis instrumenta facta sunt quibus significatur desiderium investigandi. Philosophia hunc motum peculiarem in modum in se collegit et, per sua instrumenta et secundum proprios usus scientificos, enuntiavit hoc universale hominis desiderium.

25. « Omnes homines scire volunt »[23] et huius desiderii obiectum veritas est. Ipsa vita cotidiana ostendit quantum studium inducat unumquemque nostrum ut, praeter ea quae tantum ex auditu percipiuntur, cognoscere valeat quomodo res vere se habeant. Homo solus est in universo visibili qui non solum facultate pollet sciendi, verum novit etiam se scire, atque hac de causa intendit animum authenticae veritati rerum quae illi obversantur. Nemo indifferens manere potest coram suae scientiae veritate. Si quid fal-

[22] ***Missale Romanum.***

[23] ARISTOTELES, ***Metaphysica*, I, 1.**

sum homo invenit, eo ipso id respuit; si vero veritatem detegere potest, satiatum se sentit. Hanc doctrinam profitetur sanctus Augustinus scribens: « Multos expertus sum, qui vellent fallere, qui autem falli, neminem i).[24] Persona merito dicitur adultam aetatem attigisse tantum cum, pro viribus, vera a falsis diiudicare potest, constituens ita proprium iudicium de authentica rerum veritate. In hoc consistit tot vestigationum causa, praesertim in ambitu scientiarum, quae novissimis saeculis tantos obtinuerunt exitus, ut authenticae progressioni totius humanae societatis faverent.

Non minus ponderis quam theoretica habet investigatio practica: dicimus veritatis investigationem ad bonum implendum intentam. Persona quidem, ethico more se gerens, si secundum liberum et rectum arbitrium operatur, viam beatitudinis ingreditur atque ad perfectionem intendit. Hoc quoque in casu agitur de veritate. Hanc sententiam confirmavimus in Litteris Encyclicis *Veritatis splendor:* « ...sine libertate non datur moralitas... Si ius datur ut quisque observetur in itinere ad inquirendam veritatem, est tamen antea unicuique perquirendae veritatis gravis moralis obligatio eidemque cognitae adhaerescendi ».[25]

Valores igitur, selecti et propriis viribus comparati, veri sint oportet, quandoquidem dumtaxat valores veri perficere possunt personam eiusque naturam ad effectum deducere. Hanc valorum veritatem homo invenit non in se ipse se recludens sed sese aperiens ad eam accipiendam etiam in modis humanam naturam excedentibus. Haec necessaria est condicio ut quisquis ipse sit et adolescat uti adultam et sapientem decet personam.

26. Veritas ab exordiis instar interrogationis homini proponitur: *habetne vita sensum? quo illa cursum suum tendit?* Prima inspectione, exsistentia personalis ostendi posset sensu radicitus destituta. Necesse non est philosophos adire qui absurdum profitentur nec confugere ad provocatorias quaestiones quae inveniuntur in Libro Iob ut dubitetur de vitae sensu. Cotidiana doloris experientia, sive propria sive aliorum, nec non cognitio tot casuum qui sub lumine rationis inexplicabiles videntur, sufficiunt ut quaestio adeo dramática de sensu vitae vitari nequeat.[26] Huc addendum est quod prima veritas absolute certa nostrae exsistentiae, praeter quam quod iam exsistimus, est inevitabilis mortis nostrae condicio. Hac obstupescenti re praehabita,

[24] ***Confessiones,* X,** 23, 33: ***CCL*** 27, 173.

[25] **N.** 34: **AAS** 85 (1993), 1160-1161.

[26] **Cfr** IOANNES PAULUS II, **Litt. Ap.** ***Salvifici doloris*** (11 **Februarii** 1984), 9: ***AAS*** 76 (1984), 209-210.

éxhaustum responsum quaeratur oportet. Unusquisque optat — immo tenetur — cognoscere veritatem de proprio fine. Scire vult utrum mors sit definitiva conclusio eius exsistentiae an sit aliquid quod mortem praetergrediatur; utrum liceat illi in vita ulteriore spem reponere necne. Non absque re mens philosophica cursum decretorium recepit inde ab obitu Socratis quo plusquam duo millennia sic est insignita. Nec casu fit ut philosophi, ob mortis eventum, hanc quaestionem simul cum quaestione de vita deque immortalitate iterum atque iterum sibi proponant.

27. Has interrogationes nemo fugere potest, nec philosophus nec homo plebeius. Ex responsis quae iisdem dantur suprema pendet investigationis pars: utrum fieri possit ut perveniatur necne ad veritatem universalem et absolutam. Ex se, quaevis veritas, etsi non integra, si est authentica, universalis exhibetur et absoluta. Quod verum est, pro omnibus et semper verum esse debet. Hanc praeter universalitatem, tamen, homo quaerit aliquid absolutum quod responsum ferre possit et sensum ad omnia quae vestigantur: ens quoddam supremum quod fundamentum exstet cuiusque rei. Ut aliis utamur verbis, homo quaerit definitivam dilucidationem, valorem quendam supremum, ultra quem nec sint nec esse possint interrogationes aut ulteriora addenda. Opiniones animos allicere possunt, non vero illis satisfacere. Momentum adventat pro omnibus, quo, sive admittitur sive non, necesse est ut propria exsistentia sustentetur veritate absoluta, quae certitudinem pariat nec amplius dubio subiciatur.

Similem veritatem, per saeculorum decursum, philosophi detegere et exprimere curarunt, quandam condendo doctrinam seu scholam philosophicam. Praeter doctrinas philosophicas, tamen, sunt aliae expressiones quibus homo intendit suam « philosophiam » constituere: agitur de suasionibus vel experientiis privatis, de familiae culturaeque traditionibus vel de viis exsistentiae propriis, in quibus quisque alicuius magistri auctoritati se committit. In singulis his indiciis semper flagrans permanet studium assequendi certitudinem veritatis eiusque absoluti valoris.

Diversae de homine veritatis facies

28. Veritatis investigatio non semper — quod nobis est agnoscendum! — simili ostenditur perspicuitate et congruentia. Naturalis limitatio rationis et animi iactatio investigationem cuiusque hominis obumbrant saepeque avertunt. Aliae personales diversae indolis utilitates obruere possunt veritatem. Fieri quoque potest ut homo vitet eam statim ut incipit illam cogno-

scere, quia eius postulationes metuit. Quo non obstante, etiam cum eam fugit, ipsa illius exsistentiam permovet. Numquam enim ille propriam vitam dubio, incertitudine vel mendacio fulcire posset; eiusmodi exsistentia metu et anxietate infestaretur. Homo igitur definiri potest *ille qui veritatem quaeritat.*

29. Cogitari nequit investigationem, tam radicitus in hominis natura confirmatam, prorsus inutilem et inanem evadere. Ipsa quaerendi veritatem facultas et interrogandi, ex se, primum iam constituit responsum. Homo quaerere non inciperet quod prorsus ignoraret aut impervium duceret. Tantummodo spes perveniendi ad quoddam responsum potest eum perducere ad primum ferendum gradum. Hoc quidem re accidit in scientifica pervestigatione: cum doctus vir, perspicientia eius quadam praehabita, cuiusdam phaenomeni explicationem logicam et probabilem quaerit, iam ab initio firmam nutrit spem responsum inveniendi, neque animo frangi tur prae rebus male gestis. Inanem non considerat originalem intuitum tantummodo ex eo quod scopum non attigit; merito potius dicere poterit se aequum responsum nondum in venisse.

Idem dicendum est de perquisitione veritatis in novissimarum quaestionum contextu. Veritatis sitis ita cordi hominis est insita ut, necessitas quaedam eam praetermittendi, propriam exsistentiam in discrimen adducat. Sufficit ut inquiratur in vitam cotidianam ut probetur quo modo demum unusquisque in seipso patiatur illam sollicitudinem quae fluit de quibusdam essentialibus quaesitis et simul quo modo in mente adumbrationem servet saltem illarum responsionum. Agitur de responsionibus, de quarum veritate conscii sumus, quoniam patet eas quoad substantiam non differre a responsionibus ad quas alii plures pervenerunt. Haud dubie quidem non quaelibet veritas quae acquiritur eodem fruitur pondere. Ex latis attamen exitibus simul sumptis confirmatur hominis facultas perveniendi, in universum, ad veritatem.

30. Nunc expedit ut hae diversae veritatum formae properato percurrantur. Numerosiores quidem sunt veritates quae immediata nituntur evidentia vel experimento confirmantur; hae veritates cotidianam vitam scientificamque pervestigationem respiciunt. Alio sub gradu inveniuntur veritates indolis philosophicae, quas homo per speculativam intellectus facultatem attingit. Sunt denique veritates religiosae, quarum fundamenta quodammodo etiam in philosophia ponuntur. Hae continentur in responsioni-

bus, quas diversae religiones, suas secundum cuiusque traditiones, novissimis offerunt interrogationibus.[27]

Quod ad philosophicas attinet veritates, notandum est eas non circumscribi solis doctrinis, interdum evanidis, eorum qui philosophiam profitentur. Omnis homo, ut dictum est, quodam sub modo philosophus est et suas possidet philosophicas notiones, quibus vitam gubernat suam: aliter atque aliter universum quisque sibi efformat conspectum responsumque de propriae exsistentiae sensu: hoc sub lumine rem personalem interpretatur atque sese gerendi modum gubernat. Ibidem interrogandum est de habitudine quae inter veritates philosophico-religiosas intercedit et veritatem in Christo Iesu revelatam. Priusquam huic quaestioni respondeatur, ulterior philosophiae cognitio perpendatur oportet.

31. Homo creatus non est ut vitam degat solus. Ipse nascitur et crescit in familiae sinu, atque annorum decursu industria sua in societatem cooptatur. Itaque ab incunabulis variis inseritur traditionibus, ex quibus non tantum loquelam et culturae institutionem accipit, verum etiam plurimas veritates, quibus, quasi innata ratione, credit. Nihilominus adulescentia et personae maturatio efficiunt ut hae veritates in dubio collocentur et expurgentur per singularem criticam intellectus actionem. Quod non impedit quominus, post hunc transitum, hae eaedem veritates « recuperentur », sive per experientiam ex iisdem factam, sive per subsequentem ratiocinationem. Attamen, in vita hominis veritates simpliciter creditae numerosiores exstant quam illae quas ille obtinet per personalem recognitionem. Quisnam vero stricte cribrare potest innumeros scientiarum exitus, quibus hodierna nititur vita? Quis sua sponte inspicere potest cumulum notitiarum quas ex diversis orbis regionibus cotidie accepimus et quae, generaliter, uti verae habentur? Quis tandem potest iterum tereré experientiae et cogitationis vias, per quas tot thesauri sapientiae et religiosi sensus humanae societatis sunt coacervati? Homo, ille nempe qui quaerit, est igitur etiam *ille qui vivit alteri fidens.*

32. Unusquisque, in credendo, fidem ponit in cognitionibus quas aliae personae sunt adeptae. Hac in re agnoscenda est quaedam significans intentio: una ex parte, cognitio ex fiducia videtur imperfecta cognitionis forma, quae paulatim per evidentiam singillatim comparatam perfici debet; alia ex

[27] **Cfr** CONC. OECUM. VAT. II, **Declaratio de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas *Nostra aetate,*** 2.

parte, fiducia divitior saepe exstat quam simplex evidentia, quoniam secum fert necessitudinem interpersonalem atque in discrimen committit non tantum personales intellectus facultates, verum etiam penitiorem facultatem sese aliis personis confidendi, validiorem et intimiorem cum illis necessitudinem statuendo.

Expedit ut in luce ponatur veritates in hac interpersonali relatione adeptas ad rerum gestarum vel philosophiae ordinem non attinere. Quod potius petitur est ipsa personae veritas: nempe id quod ipsa est et quidquid intimae suae condicionis ostendit. Hominis enim perfectio non ponitur tantum in sola comparanda cognitione abstracta veritatis, verum stat etiam in vivificanti consuetudine deditionis et fidelitatis erga alterum. Hac in fidelitate, cuius vi homo se dedere novit, plenam invenit certitudinem et animi firmitatem. Eodem tamen tempore, cognitio per fiduciam, quae existimatione interpersonali nititur, non datur quin ad veritatem referatur: homo, credendo, veritati quam alter ostendit committitur.

Quot exempla proferri possunt ad illustranda quae diximus! Cogitatio autem Nostra statim vertitur ad martyrum testimonium. Martyr, enim, integerrimus testis est veritatis de exsistentia. Bene novit ille se invenisse, coram Christo Iesu, veritatem de sua vita, quam certitudinem nemo ab eo abstrahere potest. Nec dolor nec saeva mors eum seiungere poterunt a veritate quam detegit cum obviam Christo occurrit. En ratio cur martyrum testimonium ad hodiernum diem admirationem moveat, auditionem inveniat et uti exemplum sumatur. Haec est causa cur eorum verbo confidatur: in illis invenitur evidentia illius amoris qui diuturnis colloquiis non indiget ad persuadendum, eo quod unicuique nostrum de eo quod penitus percepit uti verum et iam diu quaesitum loquitur. Martyr denique, altam in nobis excitat fiduciam, quoniam declarat quidquid nos percepimus et evidens reddit quod nos quoque aequa vi exprimere velimus.

33. Ita intellegere possumus diversas huius quaestionis partes paulatim perfici. Homo ex natura sua veritatem perscrutatur. Haec perscrutatio non tantum destinatur acquisitioni veritatum quarundem partium quae ex eventibus pendent vel scientiis; homo non quaerit tamtummodo verum bonum pro singulis suis consiliis. Eius perscrutatio in ulteriorem intenditur veritatem quae sensum vitae dilucidare possit; quapropter de illa agitur

perscrutatione, quae exitum invenire potest tantum in absoluto.[28] Per facultates in mente insitas, homo similem veritatem et invenire et perspicere potest. Quatenus haec veritas vitalis est et essentialis ad eius exsistentiam, attingitur non tantum per viam rationis, sed etiam per fidentem relictionem in manibus eorum, qui certitudinem et authenticitatem eiusdem veritatis in tuto collocare possint. Facultas et selectio committendi semet ipsos propriamque vitam aliis constituunt sane, secundum anthropologiam, actum significantiorem et expressiorem inter plurimos.

Meminisse liceat quoque rationem in sua perquisitione fidenti dialogo et authentica amicitia esse sustentandam. Suspicionis et diffidentiae aura, quae aliquando speculativam circumplectitur perquisitionem, facit ut in oblivionem detur doctrina priscorum philosophorum qui tenebant amicitiam esse inter contextus magis idoneos ad recte philosophandum.

Ex hucusque dictis colligitur hominem quodam in itinere versari perquisitionis, quae humano sensu finiri nequit: est perquisitio veritatis et cuiusdam personae cui se committere possit. Christiana fides obviam venit ut ei offerat concretam facultatem contemplandi huius inquisitionis impletionem. Postquam enim gradus simplicis fidei superatur, haec hominem inserit in ordinem gratiae ut Christi mysterium participare possit, cuius vi vera et cohaerens Dei Unius et Trini cognitio offertur illi. Ita in Christo Iesu, qui est ipsa Veritas, fides agnoscit novissimam vocationem quae vertitur ad humanam societatem, ut implere possit id quod percipit uti flagrans desiderium.

34. Haec veritas, quam Deus in Christo Iesu nobis revelat, minime opponitur veritatibus quae per philosophiam assumuntur. Immo, duo cogni-

[28] Haec est ratiocinatio cui iam dudum studemus quamque saepius exprimimus: « Quid est homo, quis defectus, et quae est utilitas illius? Et quid est bonum, aut quid nequam illius? » (*Eccli* 18, 7). [...] Queste domande sono nel cuore di ogni uomo, come ben dimostra il genio poetico di ogni tempo e di ogni popolo, che, quasi profezia dell'umanità, ripropone continuamente la *domanda seria* che rende l'uomo veramente tale. Esse esprimono l'urgenza di trovare un perché all'esistenza, ad ogni istante, alle sue tappe salienti e decisive così come ai suoi momenti più comuni. In tali questioni è testimoniata la ragionevolezza profonda dell'esistere umano, poiché l'intelligenza e la volontà dell'uomo vi sono sollecitate a cercare liberamente la soluzione capace di offrire un senso pieno alla vita. Questi interrogativi, pertanto, costituiscono l'espressione più alta della natura dell'uomo; di conseguenza la risposta ad esse misura la profondità del suo impegno con la propria esistenza. In particolare quando *il perché delle cose* viene indagato con integralità alla ricerca della risposta ultima e più esauriente, allora la ragione umana tocca il suo vertice e si apre alla religiosità. In effetti, la religiosità rappresenta l'espressione più elevata della persona umana, perché è il culmine della sua natura razionale. Essa sgorga dall'aspirazione profonda dell'uomo alla verità ed è alla base della ricerca libera e personale che egli compie del divino»: Udienza Generale, 19 ottobre 1983, 1-2: *Insegnamenti* VI, 2 (1983), 814-815.

tionis gradus ducunt ad veritatis plenitudinem. Unitas veritatis est iam fundamentalis postulatus humanae rationis, qui principio non-contradictionis exprimitur. Revelatio offert certitudinem huius unitatis, ostendendo Deum Conditorem esse etiam Deum historiae salutis. Ipse idemque Deus, qui condit et vindicat facultatem intellegendi et ratiocinandi naturalem rerum ordinem, quo docti fidenter nituntur,[29] idem est qui revelatur Pater Domini nostri Iesu Christi. Haec unitas veritatis, naturalis et revelatae, viventem et personalem identitatem suam invenit in Christo, uti Apostolus memorat: «Veritas quae est in Iesu» *(Eph* 4,21; cfr *Col* 1,15-20). Ille est *Verbum aeternum,* in quo omnia creata sunt, simulque est *Verbum incarnatum,* qui in sua integra persona[30] revelat Patrem (cfr *Io* 1,14.18). Quidquid humana ratio « ignorans » (cfr *Act* 17,23) perscrutatur, tantummodo per Christum inveniri potest: quod enim in Ipso revelatur est « plenitudo veritatis » (cfr *Io* 1,14-16) cuiusque creaturae quae in Ipso et per Ipsum creata est, et ita in Ipso constat (cfr *Col* 1,17).

35. In contextu huius summi prospectus, penitus inspiciatur oportet relatio inter veritatem revelatam et philosophiam. Haec relatio duplicem secumfert animadversionem, eo sensu quod veritas quae a Revelatione fluit, veritas est quae simul sub rationis lumine est intellegenda. Hoc duplici praehabito sensu, aequam necessitudinem revelatae veritatis cum cognitione philosophica definire licebit. Qua de re primum perpendamus relationes per saeculorum decursum habitas inter fidem et philosophiam. Hinc igitur quaedam detegi poterunt principia quae constituunt aspectus ad quos referendum est ut inter hos duos gradus cognitionis recta relatio suscipiatur.

[29] « [Galilée] a declaré explicitement que les deux vérités, de foi et de science, ne peuvent jamais se contredire, "L'Ecriture sainte et la nature procédant également du Verbe divin, la première comme dictée par l'Esprit Saint, la seconde comme exécutrice très fidèle des ordres de Dieu", comme il l'a écrit dans sa lettre au Père Benedetto Castelli le 21 décembre 1613. Le Concile Vatican II ne s'exprime pas autrement; il reprend même des expressions semblables lorsqu'il enseigne: "Ideo inquisitio methodica in omnibus disciplinis, si... iuxta normas morales procedit, numquam fidei revera adversabitur, quia res profanae et res fidei ab eodem Deo originem ducunt" *(Caudium et spes,* n. 36). Galilée ressent dans sa recherche scientifique la présence du Créateur qui le stimule, qui prévient et aide ses intuitions, en agissant au plus profond de son esprit ». IOANNES PAULUS II, *Discorso alla Pontificia Accademia delle Scienze,* 10 Novembris 1979: *Insegnamenti, II,* 2 (1979), 1111-1112.

[30] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum,* 4.

Caput IV

DE HABITUDINE INTER FIDEM ET RATIONEM

Praecipui gressus in occursu fidei rationisque

36. Ut Actus Apostolorum testantur, nuntius christianus inde ab exordiis cum doctrinis philosophicis illius aetatis est collatus. Idem Liber narrat disceptationem quam Paulus Athenis habuit cum quibusdam philosophis Epicureis et Stoicis (17,18). Exegeticum examen illius sermonis ad Areopagum habiti in luce posuit usitatas mentiones de variis opinionibus populi praesertim ex origine Stoica. Hoc quidem non fortuito factum est. Primi Christiani, ut a paganis recte perciperentur, in suis sermonibus auditores dumtaxat « ad Moysen et prophetas » remittere non poterant; niti quoque tenebantur naturali Dei cognitione et voce conscientiae moralis cuiusque hominis (cfr *Rom* 1,19-21; 2,14-15; *Act* 14,16-17). Cum autem haec cognitio naturalis apud paganos in idololatriam prolapsa esset (cfr *Rom* 1,21-32), Apostolus censuit sapientius esse sermonem coniungere cum doctrina philosophorum qui ab initio fabulis et cultibus mystericis opponebant conceptus divinam transcendentiam magis reverentes.

Ex praecipuis propositis quae philosophi doctrinae classicae sunt amplexi, consilium exstitit expurgandi a formis mythologicis notionem quam homines de Deo profitebantur. Ut omnibus patet, etiam religio Graeca, non aliter ac pleraeque religiones cosmicae, polytheismum ita profitebatur, ut vel res et eventus naturae in deorum numerum deferret. Conatus hominis ad cognoscendam deorum originem et in eis universi originem, primam suam significationem invenerunt in arte poetica. Deorum origines primum hactenus habentur testimonium huius humanae investigationis. Munus fuit parentum philosophiae efficere ut vinculum ostenderetur inter rationem et religionem. Illi quidem contuitum dilatantes ad principia usque universalia, non amplius acquieverunt fabulis antiquis, sed voluerunt ut eorum fides de divinitate fundamento rationali sustentaretur. Ita susceptum est iter quod, relictis antiquis traditionibus particularibus, se immisit quandam in progressionem quae congruebat cum postulationibus rationis universalis. Scopus ad quem haec progressio tendebat erat criticum iudicium rerum in quas credebatur. Prima hoc in itinere utilitatem tulit divinitatis notio. Superstitiones uti tales sunt recognitae et religio, saltem partim, per rationa-

lem recognitionem est expurgata. Hoc suffulti fundamento, Patres Ecclesiae fecundum instituerunt colloquium cum antiquis philosophis, iter aperientes ad nuntium et ad cognitionem Dei Christi Iesu.

37. Dum mentionem facimus de hoc motu quo Christiani ad philosophiam accesserunt, merito memorari decet statum circumspectionis quem apud Christianos concitabant alia culturae paganae elementa, uti, exempli gratia, doctrina « gnostica ». Philosophia, tamquam sapientia practica et schola vitae, facile misceri poterat cum cognitione indolis superioris, arcanae, paucis perfectis reservatae. Absque dubio Paulus ad hoc genus speculationum arcanarum mentem vertit, cum Colossenses ita admonet: « Videte, ne quis vos depraedetur per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum » (2,8). Quam huius aetatis propria sunt Apostoli verba, si ea ad diversas arcanae doctrinae formas remittimus, quae hodie etiam mentes pervadunt quorundam fidelium qui debito critico sensu carent. Sancti Pauli vestigia sectantes, alii auctores I saeculi, praesertim s. Irenaeus et Tertullianus, vicissim exceptiones posuerunt circa excogitationem culturalem quae veritatem Revelationis interpretationi philosophorum subicere intendebat.

38. Christianismi igitur cum philosophia conventio nec immediata nec facilis exstitit. Usus philosophiae et frequentatio scholarum primis Christianis conturbatio visa sunt potius quam lucrum. Primum et urgens eorum munus erat nuntius Christi a mortuis exsuscitati, qui singulis proponendus erat hominibus, unde illi ad mentis conversionem et ad Baptismi petitionem conducerentur. Quod tamen non significat eos munus ignoravisse perspiciendi cognitionem fidei eiusque causarum. Prorsus aliter! Iniqua ergo et simulata evadit exprobratio Celsi qui Christianum « imperitissimum quemque et rusticissimum »[31] accusare ausus est. Causa huius contemptionis initialis aliunde est perquirenda. Revera, lectio Evangelii responsum ferebat tam satisfaciens quaestioni de vitae sensu, illactenus nondum solutae, ut philosophorum frequentatio res praeterita videretur et, quodammodo, superata.

Quod quidem hodie clarius videtur, si ratio habeatur de contributione Christianismi vindicantis ius universale accedendi ad veritatem. Deiectis repagulis stirpis, ordinis socialis et sexus, Christianismus inde ab exordiis nuntiavit aequalitatem omnium hominum coram Deo. Primum huius con-

[31] ORIGENES, *Contra Celsum*, 3, 55: *SC* 136, 130.

ceptus consectarium respexit argumentum de veritate. Ita aperte superata est notio altioris societatis, cui apud antiquos perquisitio veritatis erat reservata. Quandoquidem accessus ad veritatem bonum est quod ducit ad Deum, omnibus patere debuit haec via percurrenda. Viae quae ducunt ad veritatem multiplices perstant; attamen, eo quod christiana veritas vim salvificam possidet, unaquaeque harum viarum percurri potest ea tamen condicione ut ad extremam metam conducant, videlicet ad Iesu Christi Revelationem.

Inter principes viros qui positivum nexum cum doctrina philosophica fovent, etsi cauta discretio sit habenda, memorandus est sanctus Iustinus: qui, licet summam professus sit existimationem erga Graecam philosophiam, vehementer ac dilucide asseruit se in Christianismo « solam certam et frugiferam philosophiam »[32] in venisse. Pariter Clemens Alexandrinus Evangelium appellavit « veram philosophiam »,[33] et philosophiam interpretatus est finitimam Legi Moysis instar praeviae institutionis ad fidem christianam[34] et praeparationis ad Evangelium.[35] Quoniam « philosophia illam appétit sapientiam quae est in probitate animae et verbi atque in integritate vitae, bene praeparatur ad sapientiam et omni ope annititur ad eam assequendam. Apud nos philosophi dicuntur ii qui diligunt illam sapientiam quae omnia condit et docet, id est, cognitionem Filii Dei ».[36] Primum philosophiae Graecae propositum, secundum auctorem Alexandrinum, non est perficere vel confirmare veritatem christianam; potius munus eius est fidem tueri: « Est quidem per se perfecta et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem Graeca philosophia veritatem non facit potentiorem; sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes, et propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineae apta sepes et vallus ».[37]

39. Hac currente progressione, inspicere licet disputatores christianos cogitationem philosophicam stricto sensu sumpsisse. Prima inter exempla quae inveniri possunt, certe significantius exstat illud Origenis. Adversus impugnationes philosophi Celsi, Origenes ad argumenta responsaque eidem ferenda Platonica usus est philosophia. Memorans haud pauca doctrinae

[32] *Dialogus cum Tryphone Iudaeo,* 8, 1: *PO* 6, 492.
[33] *Stromata* I, 18, 90, 1: *SC* 30, 115.
[34] Cfr *ibid.* I, 16, 80, 5: *SC* 30, 108
[35] Cfr *ibid.* I, 5, 28, 1: *SC* 30, 65.
[36] *Ibid* VI, 7, 55, 1-2: *PC* 9, 277.
[37] *Ibid.* I, 20, 100, 1: *SC* 30, 124.

Platonicae elementa, rudimenta theologiae christianae excogitare coepit. Ipsum quidem nomen, una cum theologiae notione tamquam rationalis sermonis de Deo, ad illud tempus origini Graecae colligabatur. Verbi gratia, secundum Aristotelis philosophiam, nomen nobiliorem partem et verum culmen sermonis philosophici significabat. Sub lumine christianae Revelationis vero, id quod prius doctrinam generatim de deorum natura significabat, sensum prorsus novum assumpsit, eo quod descripsit considerationem quam fidelis faciebat ad *veram* de Deo *doctrinam* exhibendam. Haec nova christiana notio, quae iam diffundebatur, philosophia nitebatur, eodemque tamen tempore paulatim curabat ut sese ab illa secerneret. Historia docet eandem Platonicam doctrinam in theologia assumptam profundas subiisse mutationes, praesertim quod attinet ad notiones de immortalitate animae, de deificatione hominis et origine mali.

40. Hoc in processu quo doctrina Platonica et Neoplatonica paulatim christianae redduntur, peculiarem in modum memoria digni sunt Patres Cappadoces, Dionysius dictus Areopagita ac maxime sanctus Augustinus. Magnus Doctor occidentalis colloquia instituere valuit cum diversis scholis philosophicis, a quibus tamen omni spe est destitutus. Cum vero christianae fidei veritas apparuit illi, tunc fortitudine roboratus est ad absolutam explendam conversionem, ad quam philosophi, crebro ab ipso frequentati, eum inducere nequiverant. Cuius causam ipsemet narrat: « Ex hoc tamen quoque iam praeponens doctrinam catholicam, modestius ibi minimeque fallaciter sentiebam iuberi ut crederetur quod non demonstrabatur (sive esset quid, sed cui forte non esset; sive nec quid esset), quam illic temeraria pollicitatione scientiae credulitatem irrideri; et postea tam multa fabulosissima et absurdissima, quia demonstrari non poterant, credenda imperari ».[38] Augustinus ipsos Platónicos, de quibus praecipuo iure mentionem facere consueverat, exprobravit, qui, quamvis scirent terminum ad quem tendere tenebantur, ignoraverant tamen viam illuc ducentem, nempe Verbum incarnatum.[39] Episcopus Hipponensis edere potuit primam summam synthesim doctrinae philosophicae et theologicae, in quam confluxerant opiniones doctrinae Graecae et Latinae. In ipso quoque summa scientiae unitas, quae biblica doctrina fulciebatur, summitate doctrinae speculativae confirmari et sustentari potuit. Synthesis quam sanctus Augustinus ad rem perduxit, per saecula habita est altissima speculationis philosophicae et theologicae me-

[38] S. AUGUSTINUS, *Confessiones* VI, 5, 7: *CCL* 27, 77-78..

[39] Cfr *ibid.*, VII, 9, 13-14: *CCL* 27, 101-102.

thodus apud mundum Occidentalem. Propriis vitae gestis firmatus sanctimoniaeque spiritu suffultus, inserere etiam potuit in scripta sua innumera argumenta, quae, experientiae respectu habito, futuram quarundam doctrinarum philosophicarum progressionem portendebant.

41. Diversi ergo fuerunt modi per quos Patres Orientales et Occidentales convenerunt cum scholis philosophicis. Hoc tamen non significat illos materiam nuntii eandem reddidisse ac systemata quae memorabant. Tertulliani interrogatio: « Quid ergo Athenis et Hierosolymis? Quid Academiae et Ecclesiae? »,[40] evidens iudicium est conscientiae criticae, qua christiani disputatores iam ab initio quaestionem experti sunt de habitudine inter fidem et philosophiam, summatim simul aspectus considerantes sive utilitatis sive limitationis. Non erant incauti disputatores. Quoniam materiam fidei impense vivebant, altiores speculationis formas attingere sciebant. Quapropter prorsus improbum est eorum operam ad solam translationem veritatum fidei in categorias philosophicas redigere. Immo plura adhuc fecerunt! Curarunt ut in plenam lucem orirentur omnia quae adhuc manebant implicita et propaedeutica in priscorum philosophorum doctrina.[41] Hi enim, uti diximus, munus habuerunt docendi methodum qua mens, externis vinculis liberata, exire poterat ab angustiis fabularum et ad modum excedentem accommodatius sese aperire. Mens igitur purgata et iusta se extollere poterat ad altiores gradus meditationis, validum tribuens fundamentum ad intellegentiam creaturarum, entis transcendentis et absoluti.

Hic vere inseritur novitas a Patribus excogitata. Illi in plenitudine acceperunt rationem apertam ad absolutum atque Revelationis divitias inseverunt in eam. Coniunctio facta est non tantum in ambitu culturarum, quarum altera alterius fascinationem passa est; illa contigit in intima animorum natura et coniunctio data est inter creaturam eiusque Creatorem. Ipsum praetergrediens finem versus quem inconscie ex natura sua tendebat, ratio summum bonum et summam veritatem in persona Verbi incarnati attingere potuit. Quod attinet ad philosophias, Patres non timuerunt agnoscere sive elementa communia sive diversitates quas illae ostendebant quod ad Revelationem. Huius confluentiae conscientia recognitionem diversitatum in eis non obscura vit.

[40] *De praescriptione haereticorum*, VII, 9: *SC* 46, 98.

[41] Cfr CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA, Instructio de Patrum Ecclesiae studio in sacerdotali institutione (10 Novembris 1989), 25: *AAS* 82 (1990), 617-618.

42. In theologia scholastica munus rationis ad philosophiam institutae luculentius efficitur sub impulsu Anselmianae interpretationis de intellectu fidei. Secundum sanctum Cantuariensem Archiepiscopum, primatus fidei certare non intendit cum investigatione rationis propria. Haec enim non vocatur ut iudicium ferat de materia fidei; id facere non potest, quia idoneitate caret. Potius eius munus est invenire sensum, detegere causas quae homines omnes ducere possint ad quandam fidei doctrinam intellegendam. Sanctus Anselmus lucide asserit intellectum investigare teneri quidquid diligat; quo plus diligit, eo plus cognoscere cupit. Qui pro veritate vivit protenditur ad quandam cognitionis formam quae magis magisque amore incenditur erga ea quae cognoscit, quamvis concedere teneatur se non fecisse omnia quae in suis votis fuerunt: « Ad te videndum factus sum; et nondum feci propter quod factus sum ».[42] Desiderium itaque veritatis rationem impellit ad amplius progrediendum; quae, immo, quasi obruitur conscientia propriae facultatis quae in dies latior fit quam id quod attingit. Hic tamen et nunc ratio detegere potest ubinam iter suum perficiatur: « Sufficere namque debere existimo rem incomprehensibilem indaganti, si ad hoc ratiocinando pervenerit ut eam certissime esse cognoscat; etiamsi penetrare nequeat intellectu, quomodo ita sit. [...] Quid autem tam incomprehensibile, tam ineffabile, quam id quod supra omnia est? Quapropter si ea, quae de summa essentia hactenus disputata sunt, necessariis rationibus sunt asserta, quamvis sic intellectu penetrari non possint, ut et verbis valeant explicari; nullatenus tamen certitudinis eorum nutat soliditas. Nam, si superior consideratio *rationabiliter comprehendit incomprehensibile esse,* quomodo eadem summa sapientia sciat ea quae fecit, [...] quis explicet quomodo sciat aut dicat seipsam, de qua aut nihil, aut vix aliquid ab homine sciri possibile est? ».[43]

Fundamentalis concordia inter cognitionem philosophicam et fidei cognitionem iterum confirmatur: fides postulat ut obiectum suum auxilio rationis comprehendatur; ratio, culmen investigationis attingens, necessarium ducit quidquid fides ostendit.

Perennis sancti Thomae Aquinatis sententiarum novitas

43. Locus omnino singularis hoc in longo itinere sancto Thomae reservatur, non tantum ob ea quae in eius doctrina continentur, verum etiam ob

[42] S. ANSELMUS, *Proslogion,* 1: *PL* 158, 226.
[43] ID., *Monologion,* 64: *PL* 158, 210.

habitudinem dialogicam quam ille tunc temporis interserere scivit cum Arabica et Hebraica doctrina. Illa quidem aetate, qua christiani disputatores reperiebant veteres thesauros philosophiae, et immediatius philosophiae Aristotelicae, summum eius exstitit meritum quod eminere fecerit concordiam inter rationem et fidem. Utriusque lumen, rationis scilicet et fidei, a Deo procedit, ille ratiocinatus est, idcirco inter se opponere nequeunt.[44]

Thomas adhuc acrius denotat naturam, obiectum proprium philosophiae, ad intellegentiam divinae revelationis conferre posse. Fides igitur rationem non metuit sed eam quaerit fiduciamque in ipsa collocat. Quemadmodum gratia supponit naturam eamque perficit,[45] ita fides supponit et perficit rationem. Quae, fidei lumine illustrata, eximitur a fragilitate et a limitatione quae ex peccati commissione proveniunt, et necessariam invenit fortitudinem, qua in cognitionem mysterii Dei Unius et Trini se subievet. Etsi in luce vehementer ponit supernaturalem fidei indolem, Doctor Angelicus non est oblitus ipsius rationabilitatis praestantiam; immo, penitus descenderé scivit et sensum illius sapientiae circumscribere. Fides quidem quodam modo est « exercitium cogitationis »; ratio hominis nec abrogatur nec minuitur, cum fidei veritatibus assentit; hae tamen veritates ex libera et conscia selectione attinguntur.[46]

Hac quidem de causa iure meritoque sanctus Thomas ab Ecclesia Magister doctrinae constanter est habitus et exemplum quod ad modum theologiam tractandi. Nos iuvat in memoriam revocare ea quae Dei Servus Decessor Noster Paulus VI scripsit septimo occurrente centenario ab obitu Doctoris Angelici: « Maxima profecto fuerunt s. Thomae et audacia in veritate quaerenda, et spiritus libertas in novis tractandis quaestionibus, et illa mentis probitas, eorum propria, qui, dum nullo modo patiuntur christianam veritatem contaminari profana philosophia, hanc tamen *a priori* minime respuunt. Quare, in christianae doctrinae historia eius nomen in numerum refertur praecursorum, quibus novus philosophiae atque scientiae universalis cursus debetur. Caput autem et quasi cardo doctrinae, qua ipse, ut summa et quasi prophetica ingenii acie praeditus erat, quaestionem dissolvit de novis mutuis relationibus inter rationem et fidem, in eo positum est, quod mundi *saecularitatem* cum arduis ac severis Evangelii postulatis com-

[44] Cfr *Summa contra Gentiles* I, VII.

[45] Cfr *Summa Theologiae,* I, 1, 8 ad 2: «cum enim gratia non tollat naturam sed perficiat».

[46] Cfr IOANNES PAULUS II, *Allocutio ad participes IX Congressus Thomistici Internationalis* (29 Septembris 1990): *Insegnamenti,* XIII, 2 (1990), 770-771.

posuit; atque hoc modo sese subduxit ab inclinatione, naturae aliena, ad mundum eiusque bona contemnenda, neque tamen descivit a supremis et indeclinabilibus principiis supernaturalis ordinis ».[47]

44. Praecipuas inter perceptiones sancti Thomae illa est quae missionem respicit quam Spiritus Sanctus explicat cum humanam scientiam maturat in sapientia. Iam a primis paginis *Summae Theologiae*[48] Aquinas Doctor primatum docere voluit illius sapientiae quae est donum Spiritus Sancti et quae ad divinarum rerum cognitionem ducit. Eius theologia nos docet sapientiae proprietatem in eius arta conglutinatione cum fide et cognitione divina. Illa cognoscit per connaturalitatem, fidem praesumit et efficit ut concipiatur rectum iudicium suum, initium sumens a veritate ipsius fidei: « ...sapientia quae ponitur donum differt ab ea quae ponitur virtus intellectualis acquisita. Nam illa acquiritur studio humano: haec autem est "de sursum descendens", ut dicitur Iac. 3, 15. Similiter et differt a fide. Nam fides assentit veritati divinae secundum seipsam: sed iudicium quod est secundum veritatem divinam pertinet ad donum sapientiae ».[49]

Primatus tamen huic sapientiae tributus non inducit Doctorem Angelicum ut duas alias additicias formas sapientiae obliviscatur: formam nempe *philosophicam*, quae fulcitur facultate qua intellectus, intra proprios limites, instruitur ad res investigandas; et formam *theologicam*, quae ex Revelatione pendet et fidei veritates scrutatur, ipsum Dei mysterium attingendo.

Intime persuasus de eo quod « omne verum a quocumque dicatur a Spiritu Sancto est »,[50] sanctus Thomas nulla adductus utilitate, veritatem dilexit. Quaesivit eam ubicumque ea exprimi potuit, universalem eius indolem quam maxime illustrando. Magisterium Ecclesiae in ipso vidit et aestimavit ardens veritatis studium; doctrina illius, eo quod universalem, obiectivam et transcendentem veritatem semper asseruit, attigit culmina « quibus attingendis impar humana intelligentia est ».[51] Merito quidem ille appellari potest « apostolus veritatis ».[52] Quoniam indubitanter ad veritatem animum attendebat, revera obiectivum eius sensum agnoscere scivit. Eius vere est philosophia essendi et non apparendi dumtaxat.

[47] Litt. Ap. *Lumen Ecclesiae* (20 Novembris 1974), 8: *AAS* 66 (1974), 680.

[48] Cfr I, 1, 6: « Praeterea, haec doctrina per studium acquiritur. Sapientia autem per infusionem habetur, unde inter septem dona Spiritus Sancti connumeratur ».

[49] *Ibid.*, II, II, 45, 1 ad 2; cfr etiam II, II, 45, 2.

[50] *Ibid.* I, II, 109, 1 ad 1 ubi notam AMBROSIASTRI *In 1 Cor* 12, 3 dictionem resumit: *PL* 17, 258.

[51] LEO XIII, Litt. Encycl. *Aeterni Patris* (4 Augusti 1879): *ASS* 11 (1878-1879), 109..

[52] PAULUS VI, Litt. Ap. *Lumen Ecclesiae* (20 Novembris 1974), 8: *AAS* 66 (1974), 683.

Seiunctae a ratione fidei tragoedia

45. Primis conditis studiorum universitatibus, theologia propius cum aliis formis investigationis et scientificae cognitionis conferri potuit. Sanctus Albertus Magnus et sanctus Thomas, quamquam asserebant exsistentiam cuiusdam compagis inter theologiam et philosophiam, primi fuerunt viri docti qui necessariam agnoverunt autonomiam qua philosophia et scientiae indigebant, ut singulae argumentis propriae investigationis incumberent. Attamen, inde ab exeunte Medio Aevo legitima distinctio inter has duas cognitionis areas paulatim in nefastum discidium mutata est. Post nimiam animi rationalistarum cupiditatem, quorundam disputatorum propriam, sententiae talia posuerunt fundamenta, ut pervenirent ad philosophiam seiunctam et omnino autonomam quod ad fidei veritates. Varia inter consectaria huius seiunctionis diffidentia quaedam exstitit in dies validior quod attinet ad ipsam rationem. Quidam generalem, scepticam et agnosticam diffidentiam profiteri coeperunt, vel ad maius spatium fidei tribuendum, vel ad quamcumque evertendam de eadem mentionem rationalem.

Ut breviter dicamus, quidquid doctrina Patrum doctorumque Medii Aevi cogitaverat atque exsecuta erat veluti profundam unitatem, causam cognitionis accommodatae ad altissimas speculationis formas, omnino reapse deletum est ope doctrinarum faventium defensioni cognitionis rationalis a fide seiunctae eamque substituentis.

46. Extremae opinationes, quae magis valent, in occidentali praesertim historia, perbene noscuntur et videntur. Nihil est immodestiae edicere philosophicam disciplinam recentioris temporis magna ex parte esse progressam a christiana Revelatione gradatim disiunctam, eo usque opposita palam attingeret. Praeterito saeculo hic motus suum fastigium attigit. Quidam « idealismi » asseclae multifarie fidem eiusque elementa, vel Iesu Christi mortem ac resurrectionem, in dialécticas structuras ratione intellegibiles immutare contenderunt. Huic opinioni variae humanismi athei species, philosophice elucubratae, obstiterunt, quae fidem reputarunt perniciosam atque progressum plenae rationalitatis prohibentem. Haud veritae sunt ipsae ne novas religiones sese exhiberent quorundam consiliorum fulcimento utentes, quae in politica ac sociali ratione, in systemata quaedam evaserunt omnia complectentia humanitati exitiosa.

In rebus scientificis vestigandis mens positivistica adolevit, quae non modo discessit ab omni significatione opinationis christianae de mundo, ve-

rum etiam, ac potissimum, omnia indicia metaphysicae moralisque rationis prolabi sivit. Inde factum est ut quidam scientiae periti, ethica mente omnino carentes, in periculo versati sint ne amplius persona eiusque tota vita medium teneret studii locum. Immo quidam illorum, de viribus technicae artis progressus plane conscii, concedere videntur sollicitatione praeter mercatus rationes, demiurgicae potestati in naturam ac in ipsum hominem.

Veluti consequens discriminis rationalismi tandem *nihilismus* crevit. Quatenus philosophia nullius rei, pro hominibus nostrae aetatis quandam suam habet pellicientem vim. Eius fautores inquisitionem putant in se ipsam conclusam, nulla data spe neque facultate adipiscendi veritatis metam. In nihilismi opinatione exsistentia dat tantum copiam quiddam sentiendi et experiendi, qua in re evanida primas agunt partes. Ex nihilismo illa opinio orta est de nullo officio definitive tenendo, quandoquidem fugacia et temporaria sunt omnia.

47. Non est obliviscendum, ceterum, in hodierna cultura philosophiae partes esse immutatas. Ex sapientia et universali scientia, in unam quamlibet e multis scientiae provinciis redacta est; immo, quibusdam ex rationibus, partes omnino supervacanae eidem dumtaxat tribuuntur. Aliae interea rationalitatis formae magis magisque increbuerunt, quae philosophicae disciplinae leve pondus manifeste tribuerunt. Pro veritatis contemplatione atque finis ultimi sensusque vitae inquisitione, formae hae rationalitatis diriguntur — vel saltem sunt convertibiles — veluti « rationes instrumentales », quae inserviant utilitatis propositis, voluptatibus vel dominationi.

Quam lubricum sit hanc viam decurrere inde a Nostris primis Litteris Encyclicis editis ediximus, cum scripsimus: « Nostrae aetatis homo semper urgeri videtur iis ipsis rebus, quas efficit, nempe proventu operis manuum suarum et magis etiam laboris mentis et voluntatum propensionum. Fructus huius multiformis industriae humanae obnoxii sunt — nimis celeriter quidem ac saepe tali modo, qui praevideri non possit — « alienationi », quatenus illis, qui eos protulerunt, simpliciter auferuntur: hoc non solum fieri contigit nec tanta ratione, quanta, saltem ex parte, in quodam ambitu ex eorum effectibus consequenter et oblique enato, iidem fructus contra hominem ipsum convertuntur. Haec videtur esse summa acerbissimae condicionis exsistentiae hominum nostri temporis, prout maxima et universali amplitudine patet. Quare homo maiore in dies afficitur timore. Metuit enim, ne fructus sui, non omnes quidem neque plerique, sed nonnulli et ii sane,

qui singularem partem habent ingenii eius et industriae, contra se ipsum convertantur ».[53]

His culturae immutationibus praepositis, nonnulli philosophi, veritatem ipsius causa inquirere desistentes, sibi hoc unum statuerunt ut obiectivam certitudinem practicamve utilitatem obtinerent. Proximum fuit ut vera rationis dignitas effunderetur, quae nempe facultatem amisit verum cognoscendi et absolutum vestigandi.

48. Quod in postrema hac historiae philosophiae parte eminet, pertinet, igitur, ad contemplatam progredientem fidei a philosophica ratione distractionem. Omnino verum est quod, res attente cogitanti, in philosophica quoque cogitatione eorum qui operam dederunt spatio inter fidem et rationem dilatando, magni pretii germina cogitationum nonnumquam ostenduntur, quae penitus excussa et recta mente cordeque exculta, efficiunt ut veritatis iter reperiatur. Haec cogitationis germina inveniri possunt, exempli gratia, in perpensis explicationibus de perceptione experientiaque, de specierum summa deque irrationali personalitate deque intersubiectivitate, de libertate bonisque, de tempore historiaque. Mortis quoque argumentum graviter unumquemquem philosophum compellare potest, ut in se ipse germanum suae vitae sensum reperiat. Id autem non sibi vult praesentem inter fidem et rationem necessitudinem subtilem iudicii conatum non postulare, quandoquidem tum ratio tum fides sunt extenuatae et sunt factae altera alteri debiles. Ratio, Revelatione nudata, devia itinera decucurrit, quae eandem in discrimen inferunt haud cernendi ultimam metam. Fides, ratione carens, animi sensum et experientiam extulit, atque sic in periculo versatur ne amplius sit universalis oblatio. Fallax est cogitare fidem, coram infirma ratione, plus posse; ipsa, contra, in grave periculum incidit ne in fabulam ac superstitionem evadat. Eodem modo ratio, quae fidei firmatae non obversatur, ad novitatem et radicalitatem ipsius « esse » contuendas non lacessitur.

Ne importuna igitur videatur gravis firmaque Nostra compellatio, ut fides et philosophia artam illam coniunctionem redintegrent, quae eas congruas efficiat earum naturae, autonomia vicissim servata. Fidei parrhesiae respondere debet rationis audacia.

Litt.. Encycl. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 15: *AAS* 71 (1979), 286.

Caput V

DE RE PHILOSOPHICA MAGISTERII IUDICIA

Magisterii prudens discretio uti veritati praestitum officium

49. Suam ipsius philosophiam non exhibet Ecclesia, neque quamlibet praelegit peculiarem philosophiam aliarum damno.[54] Recondita huius temperantiae causa in eo reperitur quod philosophia, etiam cum necessitudinem instituit cum theologia, secundum suam rationem suasque regulas agere debet; nullo modo alioquin cavetur ut illa ad veritatem vergat et ad eam per cursum ratione perpendendum tendat. Levis auxilii esset quaedam philosophia quae non procederet ratione gubernante secundum sua ipsius principia peculiaresque methodologias. Quod huius rei caput est, autonomiae radix, qua philosophia fruitur, in eo invenitur quod ratio natura sua ad veritatem vergit ipsaque praeterea ad eam consequendam necessaria habet instrumenta. Philosophia huius « statuti constitutivi » sibi conscia facere non potest quin servet necessitates quoque et perspicuitates veritatis revelatae proprias.

Historia tamen demonstravit declinationes et errores in quos haud semel recentiore potissimum aetate philosophicae opinationes inciderint. Munus non est Magisterii neque officium opem ferre ad lacunas philosophicae cogitationis mancae implendas. Eius est, contra, palam et strenue obsistere, cum philosophicae sententiae dubiae periculum iniciunt ne Revelatio recte intellegatur nec non cum falsae factiosaeque effunduntur opiniones, quae graves errores disséminant, exturbantes Dei populi simplicitatem et fidei sinceritatem.

50. Ecclesiae ideo Magisterium, sub fidei lumine suum iudicium criticum de philosophicis opinationibus ac sententiis, quae cum doctrina christiana contendunt, ex auctoritate proferre potest ac debet.[55] Ad Magisterium in primis pertinet iudicare quae praesumptiones philosophicae et consecutiones veritati revelatae aversentur, pariterque postulata significare quae sub lumine fidei a philosophia requiruntur. In philosophicae praeterea scientiae progressu complures philosophantium scholae sunt ortae. Etiam plures hae disciplinae Magisterium compellant ad iudicium officiose enuntiandum an

[54] Cfr Pius XII, Litt. Encycl, *Humani generis* (12 Augusti 1950): *AAS* 42 (1950), 566.

[55] Cfr CONC. OECUM. VAT. I, Const. dogm. de Ecclesia Christi *Pastor aeternus: DS* 3070; CONC. OECUM. VAT. II, Const dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 25 c.

primigenia principia, quibus hae scholae nituntur, cum postulatis Dei verbi ac theologicae cogitationis propriis componi possint necne.

Ecclesia quippe demonstrare debet id quod fidei alienum oriri potest in quadam philosophica disciplina. Complures namque philosophicae cogitationes, ut opiniones de Deo, de homine, de eius libertate deque eius ethica agendi ratione, Ecclesiam recta compellant, quandoquidem veritatem revelatam quam ipsa tuetur contingunt. Cum hoc iudicium enuntiamus, nos Episcopi « testes veritatis » esse debemus in diaconia sustinenda humili sed tenaci, quae singulis philosophis aestimanda est, in commodum « rectae rationis », rationis videlicet quae de vero congruenter cogitat.

51. Hoc autem iudicium non quaedam infitiatio intellegi primo debet, proinde quasi Magisterium auferre vel imminuere quaslibet actiones velit. Immo eius cohortationes volunt in primis philosophicas vestigationes lacessere, promovere, incitare. Philosophi ceterum primi necessitatem percipiunt se ipsos iudicandi, errores, si qui sunt, corrigendi necnon nimis angustos fines transgrediendi in quibus eorum philosophica cogitatio gignitur. Illud praecipuum est considerandum, unam esse veritatem, quamvis eius significationes historiae vestigia exhibeant atque, insuper, e ratione humana propter peccatum sauciata et hebetata oriantur. Inde constat nullam historicam philosophiae formam legitime sibi vindicare posse facultatem totam veritatem complectendi, neque plene explanandi hominem, mundum, hominis necessitudinem cum Deo.

Hodiernis porro temporibus, cum systemata, rationes, opinationes ac argumenta philosophica saepe minutatissime digesta multiplicentur, magis magisque sub fidei lumine acumen iudicii deposcitur. Quod iudicium est arduum, quia, si quidem iam est laboriosum ingénitas ac non alienabiles facultates rationis agnoscere, finibus constitutivis et historicis additis, multo incertius interdum erit iudicium discernendi, in singulis philosophicis notionibus, id quod, sub fidei respectu, validum et frugiferum exhibent, pro eo quod praebent falsum et periculosum. Ecclesia utique scit thesauros sapientiae et scientiae in Christo abscondi (cfr *Col* 2,3); quocirca operam dat ut philosophica inquisitio evolvatur, ne via intercludatur, quae ad mysterium agnoscendum ducit.

52. Recentioribus non modo temporibus Ecclesiae Magisterium suam mentem de quibusdam philosophicis doctrinis patefecit. Ut quaedam supponamus exempla, sufficit ut memorentur saeculorum decursu declarationes

de opinionibus quibusdam quae affìrmabant animas praeexsistere,[56] itemque de variis idololatriae esoterismique superstitiosi obnoxiis formis quae in astrologicis enuntiationibus[57] continentur; ne obliviscamur scripta magis systematica adversus averroismi Latini sententias, quae christianae fidei aversantur.[58]

Si Magisterii verbum crebrius a superiore inde saeculo exauditum est, id accidit quod illa aetate non pauci catholici suum esse officium putarunt suam philosophiam opponere opinionibus recentiorum philosophorum. Tunc autem Ecclesiae Magisterium omnino coactum est ad vigilandum ne hae philosophicae doctrinae vicissim in formas falsas et negatorias transgrederentur. Sunt idcirco censura aequabiliter affecti hinc *fideismus*[59] et *traditionalismus radicalis,*™ propter eorum diffidentiam naturalium rationis facultatum, illinc *rationalismus,*[61] et *ontologismus,*[62] quandoquidem rationi naturali id tribuebant, quod solummodo fidei lumine cognosci potest. Quae valida in his disceptationibus continebantur Constitutione dogmantica *Dei filius* recepta sunt, qua primum Concilum Oecumenicum quoddam, Vaticanum scilicet I, sollemniter inter Revelationem ac fidem necessitudinem pertractavit. Doctrina quae in documento illo continetur penitus et salubriter philosophicam complurium fidelium inquisitionem affecit atque hodiernis quoque temporibus quiddam perstat praeceptivum ad quod tendere debemus ad iustam congruentemque christianam hac de re inquisitionem consequendam.

53. Potius quam de singulis philosophorum sententiis, Magisterii effata de necessitate cognitionis naturalis atque, ideo, novissime philosophicae pro fide intellegenda tractaverunt. Concilium Vaticanum I, summatim referendo et sollemniter doctrinam confirmando quam ordinarium in modum constan-

[58] **Cfr SYNODUS CONSTANTINOPOLITANA, *DS* 403.**

[57] **Cfr CONCILIUM TOLETANUM I, *DS* 205; CONCILIUM BRACARENSE I, *DS* 459-460; XYSTUS V, Bulla *Coeli et terrae Creator* (5 Ianuarii 1586): *Bullarium Romanum* 4/4, Romae 1747, 176-179; URBANUS VIII, *Inscrutabilis iudiciorum* (1 Aprilis 1631): *Bullarium Romanum,* 6/1, Romae 1758, 268-270.**

[58] **Cfr CONC. OECUM. VIENNENSE, Decr, *Fidei catholicae, DS* 902; CONC. OECUM. LATERANENSE V, Bulla *Apostolici regiminis, DS* 1440.**

«9 Qf, y^e^es a *Ludovico Eugenio Bautain iussu sui Episcopi subscriptae* (8 Septembris 1840), *DS,* 2751-2756; *Theses a Ludovico Eugenio Bautain ex mandato S. Congr. Episcoporum et Religiosorum subscriptae* (26 Aprilis 1844), *DS* 2765-2769.

[60] **Cfr S. CONGR. INDICIS, Decr. *Theses contra traditionalismum Augustini Bonnetty* (11 Iunii 1855), *DS* 2811-2814.**

[61] **Cfr Pius IX, Breve *Eximiam tuam* (15 Iunii 1857), *DS* 2828-2831; Breve *Gravissimas inter* (11 Decembris 1862), *DS* 2850-2861,,**

[62] **Cfr S. CONGR. S. OFFICII, Decr. *Errores ontologistarum* (18 Septembris 1861), *DS* 2841-2847.**

Perque fidelibus Magisterium pontificium ministravit, lucide edixit quam inseparabiles sint simulque plane seiunctae naturalis Dei cognitio et Revelatio, ratio et fides. Concilium ex praecipua postulatione sumpsit initium, quam ipsa Revelatio praesumebat, Deum scilicet esse naturaliter cognosci posse, rerum omnium principum et finem,[63] atque sollemni illa iam memorata enuntiatione desiit: « Duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum ».[64] Asseverare ideo contra omnes rationalismi species oportebat fidei mysteria a philosophicis inventis separari, illaque haec praecedere et transcendere; altera ex parte adversus proclivia ad fidem blandimenta, necesse fuit ut veritatis unitas confirmaretur ideoque etiam efficax emolumentum quod rationalis cognitio tribuere potest ac debet fidei cognitioni: « Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare se ipsum non possit, nec verum vero umquam contradicere ».[65]

54. Nostro quoque saeculo, Magisterium plus quam semel hanc rem agitavit, admonens de rationalismi blanditiis. Hoc in prospectu Pii PP. X est consideranda opera, qui animadvertit modernismi fundamentum illas esse philosophicas notiones, quae phaenomenismum, agnosticismum et immanentismum redolebant.[66] Neque momentum pondusve obliviscendum catholicae detrectationis marxistarum philosophiae atque communismi athei.[67]

Pius PP. XII deinceps vocem suam intendit cum, in Litteris illis Encyclicis quarum titulus *Humani generis*, de erratis sententiis moneret, quae cum evolutionismi, exsistentialismi et historicismi opinionibus nectebantur. Idem Pontifex clarius edixit placita haec non a theologis esse elucubrata ac prolata, sed « extra ovile Christi »[68] originem traxisse; simul addidit tales errores non simpliciter eiciendos, sed iudicio critico ponderandos: « Iamvero theologis ac philosophis catholicis, quibus grave incumbit munus divinam humanamque veritatem tuendi animisque inserendi hominum, has opinatio-

[63] Cfr CONC. OECUM. VAT. I, Cost. dogm. de fide catholica *Dei Filius*, II: *DS* 3004; et can. 2,1: *DS* 3026

[64] *Ibid.*, IV: *DS* 3015, memoratum in CONC. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 59.

[65] CONC. OECUM. VAT. I, Const. dogm. de fide catholica *Dei Filius*, IV: *DS* 3017.

[66] Cfr Litt. Encycl.. *Pascendi dominici gregis* (8 Septembris 1907): *ASS* 40 (1907), 596-597.

[67] Cfr Pius XI, Litt. Encycl. *Divini Redemptoris* (19 Martii 1937): *AAS* 29 (1937), 65-106,,

[68] Litt. Encycl. *Humani generis* (12 Augusti 1950): *AAS* 42 (1950), 562-563.

nes plus minusve e recto itinere aberrantes neque ignorare neque neglegere licet. Quin immo ipsi easdem opinationes perspectas habeant oportet, tum quia morbi non apte curantur nisi rite praecogniti fuerint, tum quia nonnumquam in falsis ipsis commentis aliquid veritatis latet, tum denique quia eadem animum provocant ad quasdam veritates, sive philosophicas sive theologicas, sollertius perscrutandas ac perpendendas ».[69]

Postremo etiam Congregatio pro Doctrina Fidei, peculiare suum explens officium pro universali Romani Pontificis magisterio,[70] iterum de periculo monuit in quo versari possunt quidam theologiae liberationis theologi sumendo sine iudicii acumine principia et rationes a marxismo mutuata.[71]

Superioribus igitur temporibus identidem ac diversimode de re philosophica iudicium discernendi exercuit Magisterium. Quod autem Decessores Nostri recolendae memoriae attulerunt magni pretii existimatur subsidium quod oblivione obruere haudquaquam licet.

55. Si hodiernas condiciones consideramus, animadvertimus pristinas restitui quaestiones, easdemque proprietatibus novis. Non agitur tantum de quaestionibus quae singulas personas coetusve complectuntur, sed de cogitationibus inter homines serpentibus ita ut quodammodo in mentem communem iam convertantur. Talis est, exempli gratia, radicalis de ratione diffidentia, quam recentes multarum inquisitionum philosophicarum explicationes ostendunt. Hac de re compluribus ex partibus audita est vox de « interitu metaphysicae »: est voluntas ut philosophia tenuioribus muneribus contenta sit, quae tantum versetur in factis intepretandis vel in vestigationibus de quibusdam certis argumentis humanae cognitionis vel eiusdem de structuris.

In ipsa theologia quaedam praeteriti temporis iterum emergunt sollicitationes. In nonnullis huius aetatis theologicis scholis, exempli gratia, quidam *rationalismus* progreditur, praesertim cum placita, quae philosophice habentur valida, praeceptiva ad theologicam inquisitionem agendam iudicantur. Id potissimum accidit cum theologus, scientiae philosophicae expers, sine

[69] *Ibid., Im.,* 563-564,

[70] Cfr IOANNES PAULUS II, Const. Ap, *Pastor Bonus* (28 Iunii 1988), artt. 48-49: *AAS* 80 (1988), 873: CONGR. DE DOCTRINA FIDEI, Istructio de ecclesiali theologi vocatione *Donum veritatis* (24 Maii 1990), 18: *AAS* 82 (1990), 1558.

[71] Cfr Instr, de quibusdam aspectibus « theologiae liberationis » *Libertatis nuntius* (6 Augusti 1984), VII-X: *AAS* 76 (1984), 890-903.

iudicio sententiis iam in communem loquelam cultumque receptis, at satis rationali fundamento carentibus, temperatur.[72]

Neque desunt qui in *fideismum* periculose regrediantur, quippe qui rationalis cognitionis philosophicaeque scientiae pondus ad fidem intellegendam, immo ad ipsam facultatem possidendam in Deum credendi, non agnoscant. Hodie pervagata opinio huius fideisticae propensionis est « biblicismus », qui Sacrarum Litterarum lectionem earumque explicationem unicum arbitratur veridicae congruentiae caput. Sic evenit ut Dei verbum cum sola Sacra Scriptura aequetur, hoc modo Ecclesiae doctrinam perimendo, quam Concilium Oecumenicum Vaticanum II palam confirmavit. Constitutio *Dei Verbum* postquam commonefecit simul in Sacris Libris simul in Traditione[73] inesse Dei verbum, graviter edicit: « Sacra Traditio et Sacra Scriptura unum verbi Dei sacrum depositum constituunt Ecclesiae commissum, cui inhaerens tota plebs sancta cum Pastoribus suis adunata, in doctrina Apostolorum et communione, fractione panis et orationibus iugiter perseverat (cfr *Act* 2,42) ».[74] Non ad Sacram Scripturam dumtaxat igitur sese refert Ecclesia. Etenim « suprema fidei eius regula »[75] ex unitate oritur quam inter Sacram Traditionem, Sacram Scripturam et Ecclesiae Magisterium posuit Spiritus, quae sic mutuo implicantur, ut haec tria seiunctim nullo modo esse possint.[76]

Non est porro subaestimandum periculum quod inest in proposito quodam Sacrae Scripturae veritatem eruendi ex una tantum adhibita methodologia, necessitate neglecta latioris exegesis, quae una cum tota Ecclesia ad textus plene intellegendos accedere sinat. Quotquot in Sacrae Scripturae studium incumbunt prae se usque ferre debent varias methodologias expla-

[72] **Concilium Vaticanum I claris iam verbis et auctoritate hunc errorem iam condemnavit «Hanc vero fidem [...] Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab ea revelata esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest »: Const. dogm. *Dei Filius,* III: *DS* 3008, et can. 3.2: *DS* 3032. Ceterum idem Concilium sic iudicat: « ratio numquam idonea redditur ad ea percipienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt»: *ibid.,* IV: *DS* 3016. Sic haec conclusio: « Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino»: *ibid.,* IV: *DS* 3018.**

[73] **Cfr nn 9-10.**

[74] ***Ibid.,* 10.**

[75] ***Ibid.,* 21**

[76] **Cfr *ibid.,* 10,**

natorias in aliqua ipsas etiam inniti opinatione philosophica: est illa acumine pensitanda antequam sacris scriptis aptetur.

Aliae absconditi fideismi formae agnosci possunt eo quod theologia speculativa parvi aestimatur ac pariter philosophia classica despicatui habetur, ex cuius notionibus sive fidei intellectus sive dogmaticae ipsae formulae verba exceperunt. Pius PP. XII, felicis recordationis, de hac traditionis philosophicae oblivione necnon de desertis translaticiis locutionibus monuit.[77]

56. Aliquo modo, postremo, effatis omnia complectentibus et absolutis diffidunt, ii potissimum qui arbitrantur ex consensu, non ex intellectu obiectivae realitati obnoxio depromi veritatem. Certe illud intellegi potest, in mundo qui in multas peculiaresque partes dispertitur, eum complexivum ultimumque vitae sensum difficulter agnosci, quem translaticia philosophia quaesivit. Verumtamen sub lumine fidei quae in Christo Iesu hunc ultimum sensum agnoscit, facere non possumus quin philosophos, christianos vel non christianos, incitemus ut rationis humanae facultati confidant neque metas in philosophandi arte nimis mediocres prae se ferant. Huius iam ad finem vergentis millennii historica lectio testatur hanc esse calcandam viam: oportet veritatis ultimae cupido vestigationisque desiderium non amittantur, quae cum audacia novos cursus detegendi coniunguntur. Fides ipsa rationem lacessit ad omnem secessionem deserendam et ad omnia periclitanda, ut persequatur quae pulchra, bona veraque sunt. Fides sic rationis fit certus atque suadens advocatus.

Ecclesia philosophiae studiosa

57. Magisterium, utcumque, in erroribus notandis doctrinisque philosophorum aberrantibus non se continuit. Pari cura praecipua principia ad germanam philosophicae cogitationis renovationem assequendam confirmavit, definita demonstrando etiam curricula, quae sunt tenenda. Hac in re, Leo PP. XIII, Litteris suis encyclicis *Aeterni Patris,* vere historicae significationis fecit illam pro Ecclesiae vita progressionem. Id scriptum ad hoc usque tempus unum exstat documentum pontificium illius gradus, quod philosophiae totum dicatur. Concilii Vaticani I eximius ille Pontifex doctrinam de necessitudine inter fidem et rationem repetiit atque amplificavit, idemque philosophicas cogitationes fidei ac theologicae scientiae summo esse

[77] **Cfr Litt. Encycl. *Humani generis* (12 Augusti 1950): *AAS* 42 (1950), 565-567; 571-573.**

auxilio demonstravit.[78] Uno plus post saeculo complura illius scripti indicia sive re sive paedagogi eo usu nihil amiserunt utilitatis; primum ex omnibus est id quod ad incomparabilem sancti Thomae philosophiae praestantiam spectat. Doctoris Angelici doctrina restituta Leoni PP. XIII optima videbatur semita ad illum philosophiae usum recuperandum, quem postulabat fides. Sanctus Thoma — scripsit ille — « rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavi^ tum dignitati consuluit ».[79]

58. Quae feliciter consecuta sit haec Pontificis invitatio omnes noverunt. Sancti Thomae de doctrina inquisitiones nec non aliorum scholasticorum auctorum novum impetum habuerunt. Historica studia valde excitata sunt et hanc ob rem mediaevalium philosophorum iterum sunt repertae divitiae, quae tunc temporis fere ignorabantur, atque novae Thomisticae scholae ortae sunt. Historica adhibita methodologia, sancti Thomae operum cognitio admodum progressa est atque innumeri fuerunt vestigatores qui animose in rerum philosophicarum theologicarumque disputationes illius aetatis Thomisticam traditionem induxerunt. Catholici theologi huius saeculi auctoritate praestantiores, quorum cogitationibus et vestigationibus multum debet Concilium Oecumenicum Vaticanum II, huius renovationis philosophiae Thomisticae filii sunt. Ecclesia, saeculo vertente XX, valida philosophorum turma uti sic potuit, qui Angelici Doctoris in schola sunt instituti.

59. Thomistica utcumque et neothomistica renovatio, philosophicae repetitae cogitationis in cultura christianae indolis non fuit solum signum. Iam antea, atque una cum Leoniana invitatione, non pauci catholici philosophi exstiterant, qui recentioribus philosophantium cogitationibus innitentes, propria utentes methodologia, magnae auctoritatis duraturique momenti opera philosophica ediderant. Fuerunt qui sic altas summas composuerunt ut nihil ab his esset in videndum maximis idealismi commentis; alii porro ad fidem nova ratione tractandam, lumine praefulgente renovati intellectus conscientiae moralis, epistemologica fundamenta iecerunt; alii quandam induxerunt philosophiam quae, ab immanentia vestiganda sumpto initio, ad transcendentiam aditum reseravit; alii tandem in phaenomenologicae provinciam methodologiae fidei postulata inserere contenderunt. Diversis denique rationibus formae philosophicarum cogitationum sunt effec-

[78] **Cfr LEO XIII, Litt. Encycl,. *Aeterni Patris* (4 Augusti 1879): *ASS* 11 (1878-1879), 97-115.**

[79] ***Ibid., l.m.,* 109..**

tae, quae praeclaram christianae doctrinae traditionem in fidei rationisque unitate vitalem servaverunt.

60. Concilium Oecumenicum Vaticanum II autem pro parte sua de philosophia locupletissimam ac fertilissimam exhibet doctrinam. Oblivisci non possumus, his potissimum consideratis Litteris Encyclicis, Constitutionis *Gaudium et spes* integrum quoddam caput anthropologiae biblicae esse quasi compendium, idemque exstare pro philosophia quoque consilii fontem. Illis in paginis de humanae personae valore agitur, quae ad imaginem Dei creata est, eius dignitatis et praestantiae prae ceteris creaturis ratio affertur atque eius rationis transcendens facultas ostenditur.[80] Atheismi quoque quaestionem *Gaudium et spes* considerat et illius philosophicae opinationis errorum apposite afferuntur causae, non alienabili praesertim personae spectata dignitate ac libertate.[81] Procul dubio altam philosophicam significationem habent illarum paginarum sententiae, quas Nos in Nostras primas Litteras Encyclicas *Redemptor hominis* rettulimus, quaeque veluti firmum quoddam constituunt ad quod Nostra doctrina constanter convertitur: « Reapse nonnisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit. Adam enim, primus homo, erat figura futuri *(Rom* 5,14), scilicet Christi Domini. Christus, novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eidemque altissimam eius vocationem patefacit ».[82]

Concilium de philosophia quoque discenda tractavit, cui ad sacerdotium candidati operam dare debent; quae cohortationes in universum sunt ad christianam totam institutionem convertendae. Affirmat enim Concilium: « Philosophicae disciplinae ita tradantur ut alumni imprimis ad solidam et cohaerentem hominis, mundi et Dei cognitionem acquirendam manuducantur, innixi patrimonio philosophico perenniter valido, ratione quoque habita philosophicarum investigationum progredientis aetatis ».[83]

Haec praecepta etiam atque etiam sunt confirmata nec non in aliis Magisterii documentis explicata, ut solida philosophica institutio praestetur, iis praesertim qui ad theologicas disciplinas se comparant. Ipsi autem saepenumero huius institutionis pondus ostentavimus iis qui, in pastorali vita, ali-

[80] Cfr nn. 14-15.

[81] Cfr *ibid.,* 20-21.

[82] *Ibid.,* 22; cfr IOANNES PAULUS II, Litt. Encycl. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 8: *AAS* 71 (1979), 271-272.

[83] Decr, de institutione sacerdotali *Optatam totius,* 15,,

quando cum hodierni mundi necessitatibus contendere et causas aliquorum morum intellegere debebunt, prompta responsa daturi.[84]

61. Si quidem compluribus temporibus necesse habuimus hanc questionem iterum attingere, cogitationum Doctoris Angelici vim confirmavimus atque ut eius philosophia comprehenderetur institimus, id ex eo ortum est quod Magisterii praescripta haud semper optanda animi promptitudine servata sunt. In catholicis scholis multis, annis post Concilium Oecumenicum Vaticanum II finitum, huius rei quaedam visa est hebetatio propterea quod minoris aestimata est non modo philosophia scholastica; verum etiam in universum tota philosophica disciplina. Mirantes ac dolentes animadvertimus haud paucos theologos esse participes huius neglegentiae philosophicae disciplinae.

Diversae numerantur rationes quae alienae huic voluntati subsunt. Diffidentia de ratione apprime est referenda, quam huius aetatis philosophia magnam partem ostendit, quippe quae metaphysicam de ultimis hominis quaestionibus inquisitionem late deserat, ut proprium studium in peculiaria regionaliaque negotia convertatur, quae nonnumquam mere sunt formalia. Huic rei praeterea accedit erratum iudicium quod circa praesertim « scientias humanas » exstitit. Concilium Oecumenicum Vaticanum II saepe probandum pondus scientificae inquisitionis confirmavit, ut hominis mysterium altius intellegeretur.[85] Si quidem theologi ad has scientias cognoscendas easdemque recte in suis inquisitionibus adhibendas invitantur, id tamen intellegi non debet ipsis implicite dari potestatem philosophiam segregandi vel amovendi in pastorali institutione ac « fidei praeparatione ». Oblivisci denique non potest in fidei inculturationem reciperatum studium. Vita praesertim novensilium Ecclesiarum effecit ut, una cum praeclaris cogitationis formis, intellegeretur complures inesse popularis sapientiae manifestationes, quae verum patrimonium culturae et traditionum constituunt. Harum

[84] Cfr IOANNES PAULUS II, Const. Ap *Sapientia christiana* (15 Aprilis 1979), artt. 79-80: *AAS* 71 (1979), 495-496; Adhort. Ap.. postsynodalis *Pastores dabo vobis* (25 Martii 1992), 52: *AAS* 84 (1979), 750-751. Cfr quoque quaedam S. Thomae de philosophia commenta: *Discorso al Pontificio Ateneo Internazionale Angelicum* (17 Novembris 1979): *Insegnamenti* II, 2 (1979), 1177-1189; *Discorso ai partecipanti dell'VIII Congresso Tomistico Internazionale* (13 Septembris 1980): *Insegnamenti* III, 2 (1980), 604-615; *Discorso ai partecipanti al Congresso Internazionale della Società «San Tommaso » sulla dottrina dell'anima in S. Tommaso* (4 Ianuarii 1986): *Insegnamenti* IX, 1 (1986), 18-24. Praeterea S. CONGR. PRO EDUCATIONE CATHOLICA, *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis* (6 Ianuarii 1970), 70-75: *AAS* 62 (1970), 366-368; Decr. *Sacra Theologia* (20 Ianuarii 1972): *AAS* 64 (1972), 583-586.

[85] Cfr Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 57; 62.

tamen consuetudinum inquisitio una cum philosophiae vestigatione procedere debet. Haec ipsa sinet ut probanda popularis sapientiae lineamenta exsistant, dum necessario illa cum Evangelio enuntiando coniungit.[86]

62. Firmiter confirmare placet philosophiae disciplinam praecipuum habere momentum quod abstrahi non potest in studiorum theologicorum ratione et in alumnorum apud Seminaria institutione. Haud igitur inconsiderate studiorum theologicorum *curriculum* antecedat temporis quoddam spatium, quo peculiare philosophiae ediscendae praevideatur opus. Electio haec, quam Concilium Lateranense V confirmavit,[87] in experientia radices agit quam Media Aetas est adepta, cum convenientia inter philosophicam et theologicam disciplinam conspicuum obtinuit locum et momentum. Haec studiorum ratio affecit, iuvit et curavit, quamvis oblique, maximam partem promotionis recentioris philosophiae. Conspicuum exemplum exhibet beneficium, quod contulerunt Francisci Suarez *Disputationes metaphysicae,* quae etiam in Studiorum Universitatibus Germaniae Luteranis reperiebantur. Haec autem methodologia relicta sive in sacerdotali institutione sive in theologica inquisitione grave detrimentum attulit. Conspiciatur, exempli gratia, cogitationis et hodiernae culturae indiligentia, quae effecit ut omnes dialogi formae tollerentur vel omnes philosophiae sine iudicio susciperentur.

Magna Nos tenet spes has difficultates sublatum iri, prudenti intercedente philosophica et theologica institutione, quae numquam in Ecclesia desinere debet.

63. Has propter rationes, Nobis visum est instantem esse rem, his Nostris Litteris Encyclicis, aere studium confirmare, quod philosophiae tribuit Ecclesia; immo artam coniunctionem, qua theologicum opus et philosophica inquisitio nectuntur. Inde Magisterii officium oritur philosophicam scientiam discernendi et concitandi, quae fidei minime aversetur. Nostrum est quaedam principia et indicia exhibere, quae necessaria arbitramur, ut ordinata necessitudo et efficax inter theologiam et philosophiam instituatur. Eorum sub lumine clarius iudicari poterit an qualemve necessitudinem cum diversis philosophicis scholis opinationibusque instituere debeat theologia, quas hodiernus mundus exhibet.

[88] **Cfr *ibid.*, 44.**

[87] **Cfr** CONC. OECUM. LATERANENSE V, **Bulla *Apostolici regiminis sollicitudo,* Sessio** VIII: ***Conc. Oecum. Decreta,*** 1991, 605-606.

Caput VI

MUTUA INTER THEOLOGIAM ET PHILOSOPHIAM ACTIO

Fidei scientia atque philosophicae rationis postulata

- 64. Dei verbum singulis hominibus omni tempore et in omnibus terrarum orbis locis destinatur; et homo est naturaliter philosophus. Theologia autem, quatenus repercussa et scientifica elaboratio intellectus huius verbi sub fidei lumine, seu quasdam suas propter rationes seu ad peculiaria munia obeunda facere non potest quin necessitudinem cum philosophicis scholis instituat, quae reapse annorum decursu invaluerunt. Peculiaribus methodologiis theologis haud significatis, quod quidem ad Magisterium non pertinet, quaedam munia theologiae propria memorare potius volumus, in quibus ad philosophicas cogitationes ipsam propter naturam revelati Verbi est decurrendum.

65. Theologia veluti scientia fidei ordinatur duobus statutis principiis methodologicis, quae sunt: *auditus fidei* et *intellectus fidei.* Altero principio ipsa Revelationis depositum obtinet, quemadmodum id pedetemptim collustraverunt Sacra Traditio, Sacrae Litterae et vivum Ecclesiae Magisterium.[88] Altero, theologia cogitationis postulatis respondere vult per speculativam ratiocinationem.

De congrua *auditus fidei* comparatione, philosophia theologiae suam peculiarem affert opem cum cognitionis personalisque communicationis structuram considerat atque nominatim varias species et officia loquelae. Aequum pariter est pondus quod confert philosophia ut ecclesialis Traditio, Magisterii effata nec non eximiorum theologiae magistrorum sententiae aptius intellegantur: hi enim mentem suam patefaciunt saepe per cogitata formasque cogitationis, quae a certa quadam philosophica traditione mutuo suscipiuntur. Hac in re theologus rogatur ut non modo significet notiones vocabulaque, quibus Ecclesia cogitat suamque doctrinam definit, verum etiam ut penitus philosophicas opinationes intellegat quae forte tam notiones quam nomina affecerint, ut ad rectas congruasque significationes perveniatur.

[88] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm de divina Revelatione *Dei Verbum,* 10.**

66. Si vero *intellectus fidei* ponderatur, animadvertendum est apprime divinam Veritatem « propositam nobis in Scripturis Sacris secundum doctrinam Ecclesiae intellectis »[89] propria frui intellegibilitate tam logice congruenti ut proponatur veluti germana sapientia. *Intellectus fidei* hanc veritatem clarius recludit, non modo logicas intellectivasque structuras percipiens enuntiationum quibus Ecclesiae doctrina componitur, verum etiam, et in primis, salutis sensum extollens quam tales enuntiationes pro singulis et pro humanitate continent. Per has nimirum enuntiationes simul sumptas fidelis ad salutis historiam cognoscendam pervenit, cuius fastigium in persona Christi eiusdemque paschali mysterio reperitur. Fidei assentiendo fit ipse huius mysterii particeps.

Theologia dogmatica, ex parte sua, facultatem possidere debet adipiscendi universalem sensum mysterii Dei Unius et Trini atque oeconomiae salutis simul per rationem narrationis, simul, potissimum per formam ratiocinationis. Id efficere debet, profecto, intellectivis adhibitis notionibus quae critico iudicio effinguntur cum omnibus communicabili. Etenim absque philosophiae adiumento res theologicae illustrari non possunt, quales exempli gratia, sermo de Deo, personales intra Trinitatem relationes, actio Dei in mundo creantis, necessitudo inter Deum et hominem, Christi identitas qui est verus Deus et verus homo. Idem in diversis theologiae moralis argumentis viget, ubi quaedam notiones immediate usurpantur, veluti lex moralis, conscientia, libertas, personalis responsalitas, culpa, et similia, quae ad philosophicae ethicae rationem definiuntur.

Necesse est ideo ut fidelis ratio naturalem habeat, veram congruentemque cognitionem de rebus creatis, de mundo et de homine, quas res etiam Revelatio divina tractat; magis etiam, ipsa facultatem habere debet moderandi hanc cognitionem per modum intellectionis et argumentationis. Quapropter theologia dogmatica speculativa praesumit et complectitur philosophiam hominis, mundi atque, altius, ipsius « esse », quae quidem in obiectiva veritate innititur.

67. *Theologia fundamentalis,* suam propter disciplinae indolem quae officium sustinet rationem fidei reddendi (cfr *1 Pt* 3,15), munus in se recipere debebit comprobandi et enodandi necessitudinem inter fidem et philosophicam scientiam. Concilium iam Vaticanum I, doctrinam resumens Pauli (cfr *Rom* 1,19-20), in id iam animos converterat, quasdam scilicet exstare veri-

[89] S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae* II-II, 5, 3 ad 2.

tates quae naturaliter, ideoque philosophice, cognosci possunt. Earum cognitio necessario anteponitur ad Dei Revelationem suscipiendam. In Revelatione eiusque credibilitate vestiganda una cum consentaneo fidei actu, theologia fundamentalis demonstrare debet, sub cognitionis per fidem lumine, quasdam eminere veritates, quas iam ratio suo in autonomo vestigationis itinere percipit. Iisdem plenitudinis sensum tribuit Revelatio, dum eas ad divitias dirigit mysterii re velati, in quo ultimum finem reperiunt. Cogitetur, exempli gratia, de naturali Dei cognitione, de facultate divinam Revelationem ab aliis phaenomenis secernendi vel de eius credibilitate agnoscenda, de humana loquela habili, facta ad loquendum significanti veroque modo de illis etiam rebus, quae humanam experientiam praegrediuntur. Omnibus ex his veritatibus mens ducitur ad exsistentiam agnoscendam cuiusdam viae quae est fidei reapse praeparatoria, quae in Revelationem accipiendam recidere potest, propriis principiis propriaque autonomia haud declinatis.[90]

Simili modo theologia fundamentalis intimam convenientiam ostendere debebit inter fidem eiusque praecipuam necessitatem sese explicandi per rationem, quae maxima cum libertate consentire potest. Fides poterit hoc modo « iter plene demonstrare rationi illi, quae sincere veritatem requirit. Sic fides, Dei donum, quamvis ratione haudquaquam innitatur, nullo pacto ea carere potest; similiter exstat necessitas, ut ratio ex fide vim sumat, novusque fines consequatur, ad quos sola pervenire non potest ».[91]

68. *Theologia moralis* fortasse etiam maiore indiget philosophiae auxilio. In Novo Foedere enim humana vita multo minus temperatur quam in Vetere Testamento. Vita in Spiritu fideles ducit ad libertatem responsalitatemque quae ipsam Legem transgrediuntur. Evangelium utcumque et apostolica scripta sive universalia christiane agendi principia ministrant sive doctrinam praeceptaque singularia. Ut eadem peculiaribus vitae individualis et socialis condicionibus accommodentur, oportet Christianus suam conscientiam funditus obstringere possit suique ratiocinii vim. Aliis verbis, id requirit ut theologia moralis recto philosophico prospectu utatur sive quod

[90] **« Eo quod condiciones perquirantur in quibus homo per se ipse praecipuas quaestiones de vitae sensu, de fine ad eam tribuendo atque de ea re quae post mortem erit, interrogat, id pro theologia fundamentali constituit necessarium exordium, ut hodiernis quoque temporibus fides plene iter ipsi rationi ostendat, quae sincere veritatem requirit ». IOANNES PAULUS PP. II, *Lettera ai partecipanti al Congresso internazionale di Teologia Fondamentale a 125 anni dalla «Dei Filius»* (30 Septembris 1995), 4: *L'Osservatore Romano* (3 Octobris 1995), p. 8.**

[91] ***Ibid.***

ad naturam humanam societatemque spectat sive quod ad ethicae deliberationis principia universalia.

69. Quispiam fortasse obiciat in praesenti condicione theologo esse deveniendum ut opem recipiat, potius quam a philosophia, ab aliis humanae scientiae formis quae sunt historia ac potissimum scientiae, quarum omnes homines singulares mirantur recentiores progressus. Alii autem, post auctum de necessitudine inter fidem et culturam sensum, affirmant theologiam esse convertendam potius ad translaticias sapientias quam ad philosophiam quae ex Graecia orta est quaeque Eurocentrica dicitur. Alii denique, initium ex falsa culturarum pluralismi opinatione sumentes, universale plane respuunt patrimonii philosophici bonum, quod recepit Ecclesia.

Hae aestimationes, quae ceterum in conciliari doctrina reperiuntur,[92] aliquam veritatem prae se ferunt. Eo quod ratio fit ad scientias, quae ratio compluribus in casibus utilis est quandoquidem pleniorem de obiecto vestigando cognitionem praebet, necessaria tamen non est obliviscenda pars quam agit cogitatio proprie philosophica, critica et in universalem rem vergens, quae ceterum a feraci culturarum permutatione requiritur. Illud proprie confirmare cupimus in uno certoque casu non esse consistendum, princeps munus neglegendo, ostendendi videlicet universalem indolem obiecti fidei. Hoc praeterea non est obliviscendum: quod philosophica cogitatio peculiariter confert, intellegere sinit tum in diversis vitae opinationibus tum in culturis, « non quid homines senserint, sed qualiter se habeat veritas rerum ».[93] Non variae hominum opiniones, sed veritas dumtaxat theologiae opitulari potest.

70. Peculiariter autem est ponderandum argumentum, quod convenientiam tangit inter culturas, etiamsi necessario de ea re penitus non edisseratur, propter implicationes quae inde sive in re philosophica sive in re theologica oriuntur. Quod Ecclesia convenit culturas et cum iisdem contendit, id usque ab Evangelii praedicati initio experta est Ecclesia. Christi praeceptum discipulis datum lustrandi omnia loca, « usque ad ultimum terrae » (*Act* 1,8), ut ab Eo revelata Veritas transmitteretur, copiam communitati christianae dedit probandi continuo nuntii universalitatem atque impedimenta ex culturarum diversitate inducta. Locus epistulae sancti Pauli ad

[92] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 15; Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*, 22.

[93] S. THOMAS AQUINAS, *De Caelo*, 1, 22.

Ephesios efficacem opem fert, ut intellegatur quemadmodum primaeva christiana communitas hoc negotium egerit. Apostolus scribit: « Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum et medium parietem maceriae solvit» (2,13-14).

Eiusmodi scripto ob oculos habito, nostra cogitatio latius panditur et mutationem attingit quae facta est postquam Gentiles ad fidem pervenerunt. Pro divitiis salutis, quam Christus attulit, decidunt impedimenta quae varias culturas dissociant. Dei repromissio in Christo fit nunc donatio universalis: non amplius circumscripta cuiusdam populi proprietatibus, eius sermone et moribus, sed cunctis destinatur ut patrimonium ex quo quisque haurire libere potest. Locis ex diversis ac consuetudinibus omnes in Christo ad unitatem participandam familiae filiorum Dei vocantur. Christus ipse sinit ut duo populi « unum » sint. Qui erant « longinqui », novitatis beneficio quam paschale mysterium attulit « proximi » fiunt. Iesus divisionis parietes diruit et peculiari consummatoque modo per participationem sui mysterii unitatem efficit. Haec unitas tam est alta ut cum sancto Paulo effari possit Ecclesia: « Ergo iam non estis extranei et advenae, sed estis concives sanctorum et domestici Dei » *(Eph* 2,19).

Hac tam simplici enuntiatione luculenta veritas significatur: fidei concursus cum diversis culturis reapse effecit novam rem. Culturae, cum altius radices in natura humana agunt, testimonium secum ferunt illius apertionis ad universalitatem et transcendentiam quae propria est hominis. Ipsae ideo exhibent diversas ad veritatem accessiones, quae perutiles sunt homini, cui valores praebent qui magis magisque humanam reddere valent eius exsistentiam.[94] Eo quod culturae antiquarum consuetudinum repetunt valores, ipsae secum ferunt — etiamsi implicite, sed hanc propter rationem haud minus vere — indicium, quod remittit ad Deum in natura sese manifestantem, sicut antea demonstratum est cum de sapientialibus scriptis et de sancti Pauli doctrina sermo factus est.

71. Culturae, quippe quae cum hominibus eorumque historia arte coniungantur, eosdem communicant cursus ad quos humanum tempus manifestatur. Immutationes ideo progressionesque recensentur, inductae a congressionibus quas homines inter se convenientes effecerunt quasque mutuae

[94] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 53-59.**

communicationes eorum vitae exemplarium pepererunt. Culturae aluntur bonorum communicatione, earumque vis vitalis ac diuturnitas pendent ex facultate patendi novitatibus suscipiendis. Quomodo hi motus explicantur? Quisque homo in quadam cultura illigatur, ex ea pendet, eandemque magnopere afficit. Ipse est simul filius perinde ac pater culturae in qua defigitur. In omnibus vitae significationibus, is aliquid secum comportât quod eum inter creaturas denotat: id est, duratura ad mysterium apertio eiusque inexplebile cognitionis desiderium. Quapropter unaquaeque cultura habet in se et patefacit inustam intentionem in aliquam consummationem. Itaque dici potest culturam habere in se facultatem suscipiendi divinam Revelationem.

Ratio ipsa, secundum quam Christiani suam fidem experiuntur, cultura imbuitur illius loci qui proximus est et efficit vicissim ut eiusdem natura procedente tempore effingatur. Unicuique culturae Christiani immutabilem Dei veritatem praebent, quam Ipse in populi historia et cultura revelavit. Saeculorum sic decursu ille repetitur eventus cuius testes fuerunt peregrini qui die illo Pentecostes Hierosolymis adstabant. Cum Apostolos audivissent, rogaverunt: « Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilaei sunt? Et quomodo nos audimus unusquisque propria lingua nostra, in qua nati sumus? Parthi et Medi et Elamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam quoque et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam quoque et Pamphyliam, Aegyptum et partes Libyae, quae est circa Cyrenem, et advenae Romani, Iudaei quoque et proselyti, Crêtes et Arabes, audimus loquentes eos nostris linguis magnalia Dei» *(Act* 2,7-11). Evangelium diversis in culturis enuntiatum, dum a singulis quibus destinatur fidei adhaesionem requirit, non impedit quominus ii suam culturalem proprietatem retineant. Id nullam discretionem gignit, quandoquidem baptizatorum populus illa universalitate distinguitur, quae omnes humanos cultus recipit, progressum iuvando illius rei quae in ea implicatur, ad plenam in veritate explicationem consequendam.

Quapropter id quod est cultura numquam fieri potest iudicandi norma, minus ac minus norma veritatis novissima pro Dei Revelatione. Huic illive culturae non aversatur Evangelium, proinde quasi, eam conveniens, id quod ad eam pertinet eripere velit eandemque cogat extrarias formas et alienas sumere. Nuntius contra, quem in mundum atque in culturas defert fidelis, vera est liberationis forma ab omni perturbatione a peccato effecta, itemque est vocatio ad plenam veritatem. Hac in conspiratione, non modo culturae nulla re exuuntur, sed concitantur potius ut sese ad veritatem evangelicam aperiant, unde incitamenta ad alios progressus assequendos nanciscantur.

72. Eo quod evangelizationis missio suo in cursu philosophiam Graecam primam convenit, id haudquaquam significat ceteros aditus excludi. Hodie, quotiescumque Evangelium culturae ambitus attingit ad quos christiana doctrina antea non accessit, nova exsurgunt inculturationis opera. Eaedem fere quaestiones, quas primaeva aetate enodare debuit Ecclesia, hodiernis hominibus afferuntur.

Cogitationes Nostrae sua sponte ad orientales plagas convertuntur, quae perantiquis pietatis philosophiaeque traditionibus locupletantur. Inter eas India conspicuum obtinet locum. Grandis spiritalis impetus Indicam impellit mentem ad eam experientiam adipiscendam, quae, temporis spatiique impedimentis animo expedito, absolutum bonum attingat. In huius liberationis exquirendae processu, praecipuae metaphysicae scholae ponuntur.

Huius temporis Christianorum est, praesertim Indorum, locupleti ex eiusmodi patrimonio elementa illa depromere quae cum illorum fide coniungi possunt, ita ut christiana doctrina ditior fiat. Hac in discretione agenda, quae ex conciliari Declaratione *Nostrae aetate* sumit consilium, quasdam iudicandi normas ii ob oculos habebunt. Prima norma est humani spiritus universalitas cuius postulata in diversissimis culturis eadem reperiuntur. Altera, quae ex prima oritur, haec est: cum Ecclesia maioris momenti convenit culturas antea haud attactas, id, quod per inculturationem Graecae et Latinae disciplinae adepta est, posthabere non potest. Talis si repudiaretur hereditas, providum Dei consilium oppugnaretur, qui per temporis historiaeque semitam suam ducit Ecclesiam. Haec, ceteroqui, iudicandi lex propria est Ecclesiae omnium aetatum, etiam subsequentis, quae se persentiet divitem factam iis ex rebus quas adepta erit per orientalium culturarum hodiernum accessum, et in hac hereditate nova indicia reperiet, ut frugifer instituatur dialogus cum culturis illis, quas humanitas iuvabit ut prospèrent in suo ad futuram aetatem itinere. Tertio, cavebitur ne legitima proprietatis singularitatisque Indicae philosophiae expostulatio cum sententia illa confundatur, culturalem scilicet traditionem sua in diversitate concludi debere eamque per dissidentiam cum ceteris traditionibus emergere, quod quidem naturae humani spiritus ipsi est contrarium.

Quod de India dictum est, adscribitur patrimonio praestantium culturarum Sinensium et Iaponensium aliarumque Asiae Nationum itemque refertur thesauro culturarum Africae translaticiarum, quae verbis potissimum sunt transmissae.

73. His rebus consideratis, necessitudo quae inter theologiam et philosophiam opportune institui debet notam habebit cuiusdam circularis progres-

sionis. Theologiae initium atque primigenius fons est Dei verbum in historia revelatum, dum ultimum propositum necessario erit ipsius intellectio quae sensim est perspecta succedentibus aetatibus. Quandoquidem autem Dei verbum est Veritas (cfr *Io* 17,17), fieri non potest quin ad eiusdem aptiorem intellectum opem conferat humanae veritatis inquisitio, philosophans scilicet mens, quae suis servatis legibus explicatur. Non agitur de hac vel illa notione vel parte cuiusdam systematis philosophici in theologico sermone simpliciter adhibenda; decretorium est quod fidelis ratio suae cogitationis facultatem exerceat ad verum reperiendum quendam intra motum, qui, initium ex Dei verbo sumens, consequi conatur pleniorem eiusdem comprehensionem. Omnino porro liquet, agendo has intra duas res — Dei verbum scilicet altioremque eius cognitionem — rationem paene percipi et quodammodo gubernari, ut semitas illas vitet quae extra Veritatem revelatam eandem perducant ac, tandem, simpliciter extra ipsam veritatem; immo ea incitatur ad explorandas semitas, quas sola ne suspicatur quidem se illas decurrere posse. Hoc ex circulari motu cum Dei verbo philosophia locupletar evadit, quia novos et inexspectatos attingit fines.

74. Ubertatis comprobatio huius necessitudinis exhibetur personalibus eventibus clarorum theologorum christianorum, qui ut philosophi etiam eximii enituerunt, qui scripta sic altae speculativae praestantiae reliquerunt, ut iure antiquae philosophiae aequarentur doctoribus. Id tum de Ecclesiae Patribus dici potest, inter quos saltem sanctus Gregorius Nazianzenus atque sanctus Augustinus annumerantur, tum de Doctoribus mediaevalibus, inter quos trias illa elucet quam constituunt sancti Anselmus, Bonaventura et Thomas Aquinas. Fecunda illa philosophiae verbique Dei consociatio etiam ex magnanima emergit investigatione a recentioribus doctis provecta, in quibus memorare placet ex orbe occidentali homines veluti Ioannem Henricum Newman, Antonium Rosmini, Iacobum Maritain, Stephanum Gilson, Edith Stein simulque ex orientali orbe studiosos ut Vladimirum S. Solov'ev, Paulum A. Florenskij, Petrum K. Öaadaev, Vladimirum N. Lossky. Uti paret, hi cum memorantur auctores, quibuscum alia pariter proferri possunt nomina, non omnem eorum doctrinae aestimationem prodere cupimus, verum exempla quaedam praestantiora illius efferre itineris investigationum philosophicarum ad quod beneficia singularia comparatio attulit cum fidei doctrinis. De hoc autem non est ambigendum: horum doctorum spiritalis itineris contemplatio non poterit quin progredienti veritatis inquisitioni proficiat atque usui consectariorum in hominum utilitatem. Sperari

oportet hanc eximiam philosophicam-theologicam traditionem nunc et futuro de tempore suos successores necnon pro Ecclesiae humanitatisque bono cultores esse inventuram.

De diversis philosophiae statibus

75. Quemadmodum patet ex historia necessitudinum inter fidem et philosophiam sicut supra paucis dictum est, diversi philosophiae status prae fide christiana distingui possunt. Primus status *philosophiam a Revelatione evangelica penitus distractam* complectitur: philosophiae est condicio quae aetatibus illis ante Redemptorem natum historice exstitit atque post Eum in regionibus nondum ab Evangelio contactis. Hac in condicione philosophia legitime affectât se *sui iuris* esse inceptum, quae videlicet secundum suas ipsius leges agit, quae suis unis viribus innititur. Quamvis de gravibus limationibus conscii simus, quae ingenitae humanae debilitati adscribuntur, haec affectatio est sustentanda et roboranda. Philosophicum namque studium, prout ad veritatem intra naturalem provinciam perquirendam tendit, saltem implicite rei supernaturali patens est.

Immo magis: etiam cum theologicus ipse sermo philosophicis notionibus et argumentationibus utitur, cogitationis rectae autonomiae necessitas est servanda. Etenim argumentatio, quae secundum strictas normas rationales evolvitur, effecta quaedam universaliter valida consequitur et praestat. Etiam hic viget principium, secundum quod gratia non destruit, sed perficit naturam: fidei assensus, qui tum intellectum tum voluntatem obstringit, liberum arbitrium cuiusque fidelis rem revelatam suscipientis haud dissolvit sed perficit.

Ex hoc congruo postulato penitus opinio illa digreditur sic dictae philosophiae « seiunctae », quam complures philosophi recentiores persequuntur. Potius quam ut aequam philosophandi autonomiam affirmet, ipsa sibi arrogat ius quidlibet sua in provincia excogitandi, quod quidem, ut patet, illegitimum est: veritatis adiumenta respuere, quae ex divina revelatione oriuntur, idem est ac aditum intercludere ad altiorem veritatem cognoscendam, ipsius philosophiae detrimento contingente.

76. Alter philosophiae status locutione *philosophiae christianae* a multis designatur. Haec appellatio legitima est, dummodo ipsa in ambiguum ne detrahatur: id enim non significat Ecclesiam philosophiam publicam suam habere, quandoquidem fides qua talis non est philosophia. Hac locutione ars designatur christiane philosophandi, meditatio scilicet philosophica quae

vitaliter cum fide coniungitur. Non agitur ideo simpliciter de philosophia quadam a christianis philosophis confecta, qui suis in inquisitionibus aliquid contra fidem dicere noluerunt. Cum de philosophia christiana sermo fit, omnes comprehendi debent praestantes illi progressus philosophicae disciplinae, qui numquam contigissent nisi opem directe vel oblique christiana fides attulisset.

Duae ergo sunt christianae philosophiae species, quarum altera est subiectiva, secundum quam fides purificat rationem. Ut theologalis virtus, ipsa rationem a nimia confidentia exsolvit, ad quam illecebram facile philosophi inclinant. Iam sanctus Paulus Ecclesiaeque Patres, atque nobis proximi philosophi veluti Pascal et Kierkegaard, censura quadam id notarunt. Humiliter animum colligit philosophus ut quasdam quaestiones tractet, quas difficulter explicare valet haud consideratis Revelationis elementis. Puta, exempli gratia, mali dolorisque quaestiones, personalem Dei identitatem atque interrogationem de vitae sensu vel, strictius, quaestionem metaphysicam radicalem: « Cur est aliquid? ».

Pars exinde adest obiectiva, quae ad ipsam materiam spectat: lucide quasdam exhibet veritates Revelatio, quas tametsi attingere potest ratio, nunquam tamen easdem repperisset si suis unis viribus innixa esset. Hoc in rerum prospectu quaestiones ponuntur, veluti notio Dei personalis, liberi et creatoris, quae ad philosophicae cogitationis progressum tantum pondus habuit, potissimum quod spectat ad philosophiam respicientem ipsum « esse ». Ad hanc provinciam ipsa peccati realitas quoque pertinet, quemadmodum ipsa fidei lumine manifestatur, quae quidem operam dat ut quaestio de malo congruenti ratione philosophice ponatur. Persona quoque, quae veluti spiritale quiddam consideratur, est peculiaris fidei proprietas: dignitatis christianus nuntius, aequalitatis ac libertatis hominum procul dubio vim habuit in philosophica cogitata, quae recentiores philosophi pepererunt. Ad propiora tempora accedentes, id memorare debemus quod agnitum est momentum quod induit etiam pro philosophia historicus eventus, christianae Revelationis culmen. Non casu ille cuiusdam historiae philosophiae factus est cardo, qui veluti novum veritatis humanae inquisitionis caput exhibetur.

Inter obiectiva philosophiae christianae elementa necessitas quoque adnumeratur perquirendi rationalitatem nonnullarum veritatum, quae in Sacris Scripturis significantur, veluti supernaturalis vocationis hominis possibilitas atque peccatum ipsum originale. Haec munia rationem lacessunt ad agnoscendum quiddam inibi inesse veri rationalisque, longe multumque ul-

tra illos angustos fines quibus ipsa se conclusura erat. Argumenta haec reddunt re rationis provinciam laxiorem.

Has agitantes rationes, philosophi haud facti sunt theologi, propterea quod fidei veritatem intellegere et collustrare non studuerunt sumpto initio a Revelatione. Sua in ipsorum provincia, via meraque ratione sua usi agere perrexerunt, sed suam inquisitionem ad novos veri ambitus explicaverunt. Asseverare licet quod sine hac Dei verbi acri opera, philosophiae recentioris ac recentissimae magna pars haud exsisteret. Res suum praecipuum habet momentum, quamvis christianam orthodoxiam a compluribus novissimorum horum saeculorum philosophis deseri observetur.

77. Alius philosophiae significans status habetur cum *ipsa theologia ad philosophiam provocat.* Theologia reapse semper philosophico indiguit adiumento atque indiget. Cum sub fidei lumine rationis criticae sit opera, theologica inquisitio rationem cognitionibus et argumentationibus excultam et figuratam tota in sua vestigatione praesumit atque deposcit. Theologia porro philosophia indiget quacum paene dialogum instituat, ut comprobet intellegibilitatem universalemque principiorum suorum veritatem. Non casu accidit ut philosophiae non christianae susciperentur ab Ecclesiae Patribus et mediaevalibus theologis explicandi causa. Haec historica res praestantiam demonstrat *autonomiae* quam etiam hoc in suo tertio statu servat philosophia, sed necessarias praecipuasque immutationes pariter ostendit, quas ipsa pati debet.

Hoc ipsum propter necessarium insigneque adiumentum a Patrum usque aetate *ancilla theologiae* vocitata est philosophia. Nomen istud minime usurpatum est ad subiectionem servitutemque quandam significandam vel munus demonstrandum merae functionis philosophiae in theologiam collatum. Locutio potius significatione adhibita est qua usus est Aristoteles, cum de scientiis experimentalibus quasi de « ancillis primae philosophiae » dissereret. Eiusmodi locutio, quae difficulter hodie propter autonomiae principia, quemadmodum supra dictum est, adhibetur, saeculorum decursu iuvit ut necessaria inter duas scientias necessitudo significaretur earumque dissociationis impossibilitas.

Si autem theologus recusaret philosophia uti, periculum esset ne ipse inscius philosopharetur seque concluderet structuris cogitationis fidei intellegendae parum aptis. Philosophus, ex parte sua, si quodlibet excludendum esse cogitaret cum theologia commercium, per se fidei christianae principia capessere suum esse sentiret, sicut nonnullis recentioribus philosophis conti-

git. In utroque casu periculum exstaret ne delerentur primaria autonomiae principia, quae omnis scientia servare vult. Hic philosophiae status quem consideravimus, quandoquidem in Revelatione intellegenda implicatur, una cum theologia sub Magisterii eiusque iudicii auctoritate strictius ponitur, sicut antea demonstravimus. Ex fidei namque veritatibus quaedam necessitates derivant, quas philosophia servare debet cum necessitudinem instituit cum theologia.

78. His praepositis cogitationibus, probe intellegitur cur subinde laudaverit Magisterium sancti Thomae philosophiae merita eundemque putaverit ductorem atque theologicae disciplinae exemplar. Nihil intererat philosophicas quasdam quaestiones complecti, neque imperare peculiares opinationes ut tenerentur. Magisterii propositum erat, atque est, significare quemadmodum sanctus Thomas germanum sit exemplar illorum qui veritatem perquirant. Eius enim in meditatione rationis postulata et fidei vis altissimam invenerunt summam ex iis quae humana cogitatio unquam attigit, quippe qui Revelationis proprietatem radicitus tuitus sit, proprium rationis cursum numquam deprimendo.

79. Clarius quae antea edixit Magisterium ostendentes, novissima hac in parte quaedam postulata enuntiare volumus, quae theologia — immo, antehac Dei verbum — philosophicae cogitationi ac recentioribus philosophiis hodie exhibet. Quemadmodum supra dictum est, ad suas regulas agere suisque principiis inniti debet philosophus; nisi una tamen esse non potest veritas. Revelatio, et quae in ea continentur, rationis inventa eiusque legitimam autonomiam numquam comprimere possunt; at ratio, ex parte sua, sese interrogandi et percontandi facultatem numquam amittere debet, sibi omnino conscia se absolutum quiddam propriumque non esse. Veritas revelata, clare id quod est collustrando sumens initium ex splendore quem efficit id quod per se Est, philosophicae cogitationis iter illuminabit. Revelatio christiana verus fit, itaque, locus ubi philosophica et theologica disciplina, mutuam necessitudinem instituentes, coniunguntur et reciprocantur. Optandum igitur est ut theologi ac philosophi a sola veritatis auctoritate temperentur ita ut philosophia cum Dei verbo congruens contexatur. Philosophia haec locus erit ubi humani cultus et christiana fides convenient, consensionis erit sedes inter fideles et non fideles. Opem feret ut fideles sibi sint altius conscii altitudinem sinceritatemque fidei iuvari dum nectitur cum cogitatione dumque eam non recusat. Patrum rursus doctrina in hanc nos persuasionem perducit: « Et ipsum credere, nihil aliud est, quam cum assensio-

ne cogitare [...] Omnis qui credit, et credendo cogitat, et cogitando credit [...] quoniam fide si non cogitatur nulla est».[95] Et etiam: «Si tollatur assensio fides tollitur, quia sine assensione nihil creditur».[96]

Caput VII

POSTULATA HODIERNA ET OFFICIA

Verbi Dei postulationes haud renuntiandae

80. Continent Sacrae Litterae, tam explicito quam modo implicito, complura elementa ex quibus haurire licet claram cuiusdam philosophicae crassitudinis aestimationem hominis orbisque. Gradatim conscii facti sunt Christiani iis in paginis sacris divitem concludi thesaurum. Inde quidem elucet id quod experimur non esse absolutum, non esse increatum neque ex se ipso generatum. Deus est Absolutus unus. De Bibliorum paginis praeterea manifesto apparet species hominis veluti *Dei imaginis,* quae certa prae se fert indicia de eius essentia ac libertate nec non animae immortalitate. Quandoquidem orbis creatus non sibi solus sufficit, omnis deceptio autonomiae, quae creaturas omnes a Deo suapte natura pendere proindeque hominem etiam negaverit, ad calamitates perducit quae rationabilem harmoniae inquisitionem sensusque humanae vitae delent.

Mali pariter moralis quaestio, quod omnium est tristissimum, in Bibliis agitatur, ubi illud dicitur haud posse ad aliquod vitium materiae debitum redigi, verum vulnus potius esse quod ex inordinata libertatis humanae affirmatione proficiscitur. Verbum Dei, denique, quaestionem providet de ipsius vitae sensu suumque praebet responsum dum ad Christum Iesum, incarnatum Dei Filium, dirigit hominem qui vitam humanam plenissime complet. Aliae similiter rationes enucleari possunt ex textus sacri lectione; attamen repudiatio inde elucet cuiuslibet formae relativismi, materialismi, pantheismi.

Primaria huius « philosophiae » in Bibliis repositae persuasio haec est: humana vita et mundus ipse aliquid significant et ordinantur ad sui perfectionem quam in Christo Iesu eveniunt. Incarnationis mysterium manebit semper veluti medium punctum ad quod quis referatur ut comprehendere possit arcanum vitae humanae, orbis conditi et Dei ipsius. Hoc in mysterio

[95] S. AUGUSTINUS, *De praedestinatione sanctorum,* 2, 5: *PL* 44, 963.
[96] ID., *De fide, spe et caritate,* 7: *CCL* 46, 61.

extremae fiunt philosophiae provocationes, quoniam incitatur ratio humana ut suam efficiat logicam viam ad deruendos muros quibus periculum est ne ipsa circumdetur. Hic, vero, tantummodo vitae humanae sensus in summum evadit. Intima enim Dei hominisque essentia intellegimus redditur: in Verbi Incarnati mysterio, divina natura atque humana cum suis cuiusque proprietatibus servantur simulque declaratur necessitudo singularis qua colligantur in coniunctione mutua sine permixtione.[97]

81. Animadverti oportet inter significantiora hodiernae nostrae condicionis elementa esse « discrimen significationis ». Iudicia, saepe indolis scientificae, de vita et mundo eatenus sunt multiplicata ut praebeatur nobis re vera species aliqua divisarum notitiarum. Istud efficit ut difficulter ac nonnumquam frustra sensus sive significatio rerum conquiratur. Immo vero — id quod magis animum obturbat — in hac datorum factorumque congerie quibus hodie vivitur et quae videntur condere ipsius vitae viam, sunt qui interrogent utrum adhuc interrogare attineat de ipso rerum sensu. Opinationum multitudo inter quas disputatur cui sit respondendum, aut etiam variae rationes interpretandi et contemplandi mundum hominisque vitam, nihil aliud perficiunt nisi ut exsecutam efficiant intimam hanc dubitationem quae facile in scepticismi atque indifferentiae affectionem transit vel etiam varias in nihilismi indicationes.

Hinc autem consequitur ut hominum animus quadam forma ambiguae cogitationis occupetur, quae eo illos permovet ut magis etiam in se concedantur intra propriae immanentiae fines, nulla habita transcendentis ratione. Philosophia quae caret omni interrogatione de vitae humanae significatione magno obicitur periculo ne humana ratio in usum dumtaxat alicuius instrumenti reducatur, omni vero veritatis inquirendae studio sublato.

Ut autem verbo Dei conveniat necesse in primis est philosophia suam reperiat *sapientialem amplitudinem* quaerendi novissimum ac omnia complectentem sensum vitae. Haec prima necessitas, si res bene ponderantur, ipsi philosophiae addit perutile incitamentum ut suae ipsius naturae accommodetur. Id agens, enim, non erit dumtaxat decretoria quaedam et critica postulatio quae diversis scientiae partibus earum fundamentum ac limitem designat, verum proponetur etiam veluti extrema facultas colligandi totam scientiam actionemque hominum, dum ad unum finem eos concurrere cogit adque sensum ultimum. Haec sapientialis amplitudo eo magis hodie posci-

[97] Cfr CONC. OECUM. CHALCEDONENSE, *Symbolum, Definitio: DS* 302.

tur quia amplior technicae humani generis potentiae auctus renovatam peracutamque petit bonorum supremorum conscientiam. Si technica haec instrumenta forma alicuius ordinationis ad finem non solum utilitatis deficiant, cito videri illa possint inhumana, immo in generis humani potentiales eversores aliquando se convertere.[98]

Ultimum hominis finem patefacit verbum Dei universalemque addit sensum ipsius actionibus in terris. Hanc ob causam philosophiam illud hortatur ut se dedat reperiendo naturali sensus huius fundamento, qui nempe religiosa cuiusque hominis constitutio est. Quaecumque philosophia negare voluerit hunc ultimum et universalem sensum reperiri posse, erit non modo impar verum etiam erronea.

82. Ceterum hoc sapientiae munus non potest aliqua philosophia explere quae ipsa vicissim non est vera solidaque scientia, quae scilicet non tantum dirigitur ad elementa peculiaria et relativa — sive functiones tangunt sive formas vel utilitates — rerum ipsarum, sed ad totam ultimamque earum veritatem, id est ad essentiam ipsam obiectorum cognitionis. Ecce itaque secunda postulatio: ut hominis comprobetur facultas adipiscendae *veritatis cognitionis;* quae, ceterum, cognitio obiectivam attingat veritatem, per illam *adaequationem rei et intellectus* quam Scholasticae disciplinae doctores appellaverunt.[99] Haec postulatio, fidei plane propria, explicatis verbis in Concilio Oecumenico Vaticano II est rursus inculcata: « Intellegentia enim non ad sola phaenomena coarctatur, sed realitatem intellegibilem cum vera certitudine adipisci valet, etiamsi, ex sequela peccati, ex parte obscuratur et debilitatur ».[100]

Philosophia prorsus phaenomenorum aut rerum aequivocarum haud idonea erit quae hoc suppeditet auxilium divitiis verbi Dei altius perscrutandis. Etenim, pro concesso semper Sacra Scriptura habet hominem, licet falsitatis sit reus fallaciaeque, cognoscere tamen posse et comprehendere perlucidam semplicemque veritatem. Libris Sacris ac praesertim Novo Testamento, insunt loci et adfirmationes indolis omnino ontologicae. Veras enim declarationes potuerunt proferre auctores inspirati, quae nempe res denotarent obiectivas. Dici non potest Traditionem catholicam ullo modo erra visse

[98] Cfr IOANNES PAULUS II, Litt. Encycl. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 15: *AAS* 71 (1979), 286-289.

[99] Cfr verbi causa S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae,* I, 16, 1; S. BONAVENTURA, *Coli. in Hex.,* 3, 8, 1.

[100] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 15.

cum dicta quaedam sancti Ioannis ac sancti Pauli accepit velut sententias de ipsa Christi essentia. Cum his affirmationibus et intelligendis et exponendis dat operam, theologia subsidio proinde indiget alicuius philosophiae quae facultatem cognitionis obiective verae non neget, quantumvis perfici illa possit. Hoc pariter de conscientiae moralis valet iudiciis, quae Sacrae Litterae concedunt esse posse obiective vera.[101]

83. Priores hae postulationes tertiam secum important: opus est philosophia naturae *vere metaphysicae,* quae excedere nempe valeat empirica indicia ut, veritatem conquirens, ad aliquid absolutum ultimum, fundamentale pertingat. Haec postulatio iam implicita reperitur in cognitionibus indolis sapientialis tum etiam analyticae; est necessitas praesertim cognitionum de bono morali cuius extremum fundamentum est Bonum supremum, Deus ipse. Nolumus hic loqui de metaphysica re tamquam de peculiari schola aut particulari consuetudine historica. Adfirmare id dumtaxat interest realitatem ac veritatem transcendere facta et elementa empirica; refert etiam defendere hominis potestatem cuius vi hanc rationem transcendentem ac metaphysicam percipiat modo vero certoque, licet imperfecto et analogico. Ita quidem metaphysica disciplina non respicienda est tamquam anthropologiae opposita, quandoquidem metaphysica ipsa sinit solide stabiliri dignitatis personae conceptum ex eius spiritali natura. Persona, nominatim, locum constituit praecipuum ut quis congrediatur cum actu essendi ac, propterea, cum meditatione metaphysica.

Ubicumque praesentem quandam appellationem ad absolutum et transcendens detegit homo, inibi ei aperitur indicatio metaphysicae rerum interpretationis: in veritate ac pulchritudine, in bonis moralibus ac personis ceteris, in esse ac in Deo. Magna manet nos provocatio hoc exeunte millennio, ut nempe transitum facere sciamus tam necessarium quam urgentem *a phaenomeno ad fundamentum.* Non ideo licet in sola experientia consistere; etiam quotiens haec exprimit et ostendit interiorem hominis naturam eiusque spiritalitatem, necesse est speculativa ponderatio spiritalem substantiam attingat nec non fundamentum cui innititur. Philosophica notio ideo quae omne metaphysicum spatium negaverit ex se prorsus inepta erit nec idonea ut officium congruum expleat mediationis ad Revelationem comprehendendam.

[101] **Cfr IOANNES PAULUS II, Litt. Encycl. *Veritatis splendor* (6 Augusti 1993), 57-61: *AAS* 85 (1993), 1179-1182.**

Perpetuo se verbum Dei ad ea refert quae experientiam praetergrediuntur atque etiam hominum cogitationem; at hoc « mysterium » patefieri non posset neque theologia illud quadamtenus intelligibile efficere valeret,[102] si humana cognitio artis experientiae sensuum limitibus circumscriberetur. Quocirca metaphysica exsistit tamquam quaedam intercessio praestans in theologica inquisitione. Theologia quidem, prospectu metaphysico destituta, ultra experientiae religiosae investigationem progredi non poterit neque permittere ut *intellectus fidei* congruenter universalem veritatis revelatae transcendentemque vim significet.

Si metaphysicae partes tantopere extollimus, hoc ideo accidit quod persuasum Nobis habemus necessariam hanc esse viam ad statum discriminis superandum, in quo hodie philosophia magna ex parte omnino versatur, et ad quosdam improbos nostra in societate diffusos emendandus mores.

84. Manifestius etiam elucet metaphysici operis pondus si progressus expenduntur quos hodie scientiae hermeneuticae iam efficiunt nec non variae sermonis humani pervestigationes. Consectaria quae his effluxerunt ex studiis utilissima esse possunt ad fidei intellectum, quatenus structuram cogitationis humanae sermocinationisque patefaciunt atque omnem sensum in sermone inclusum. Verumtamen earundem disciplinarum cultores sunt qui suis inquisitionibus eo dumtaxat adveniunt ut explicent quo pacto intellegatur et quo modo exprimatur rerum universitas, non tamen rationis humanae facultatem probant ut rerum essentia detegatur. Quomodo non dispici potest hoc in affectu confirmatio illius discriminis fiduciae, quod aetas nostra patitur, de rationis humanae potestate? Cum vero, ex praemissis quibusdam gratuitis, hae sententiae iam fidei doctrinam obscurant eiusve universalem denegant virtutem, tunc non modo rationem demittunt, verum sese ipsas omnino excludunt. Fides etenim luculenter postulat ut hominum sermo via quadam universali — etiam vocibus analogicis tamen non ideo minus significantibus — realitatem divinam ac transcendentem.[103] Res nisi ita se haberent, Dei verbum, quod semper divinum est licet lingua humana contineatur, nihil de Deo significare posset. Huius verbi interpretatio non huc illuc ab explicatione alia in aliam explicationem conicere nos potest, ad nullam nos adducens affirmationem simpliciter veram; alioquin nulla esset Dei Revelatio, sed tantummodo significatio humanarum notionum de Deo et de iis quae existimatur ille de nobis cogitare.

[102] **Cfr CONC. OECUM. VAT. I, Const dogm. de fide catholica *Dei Filius,* IV: *DS* 3016.**

[103] **Cfr CONC. OECUM. LATERANENSE IV, *De errore abbatis Ioachim,* II: *DS* 806.**

85. Probe novimus postulata haec, a philosophia ipsi Dei verbo iniuncta, videri posse ardua multis qui hodiernam investigationis philosophicae experiuntur condicionem. Hanc omnino ob causam, ea omnia Nostra facientes quae iam complures annos Summi Pontifices docere non desistunt quaeque rursus inculcavit Concilium Oecumenicum Vaticanum II, vehementer confitemur Nobis esse persuasum hominem visionem unicam et ordinatam scientiae assequi posse. Hoc unum officiorum est quod christiana cogitatio proximo quidem christianae aetatis millennio in se recipere debebit. Multiplex scientiae humanae partitio, quatenus partim tantum ad veritatem accedere sinit ideoque etiam sensum ipsum perfringit, interiorem hominis hodierni impedit unitatem. Quare de his omnibus non potest sollicitari Ecclesia? Hoc sapientiae munus in eius pastores recta via ex Evangelio defluit neque ipsi se subducere possunt officio illius muneris explendi.

Quotquot hodie veluti philosophi respondere cupiant illis postulationibus quas cogitationi humanae Dei verbum imponit, eos credimus omnino suum debere explicare sermonem secundum easdem postulationes nec non continuam cohaerentiam cum diuturna illa traditione quae, ab antiquis profecta, transit per Ecclesiae Patres atque scholasticae disciplinae magistros, ut tandem ad intellegendos cogitationis recentioris atque huius aequalis temporis praecipuos fructus adveniat. Philosophus si hanc traditionem usurpare noverit seque ex ea dirigere, certe non poterit ipse fidelem se non demonstrare ipsi necessitati autonomiae philosophicarum investigationum.

Hoc sensu plurimum id significat, quod nempe quidam philosophi hodiernis in adiunctis se exhibeant fautores iterum detecti pergravis ponderis traditionum ad rectam cognitionis formam. Appellatio enim ad traditionem non sola praeteriti temporis recordatio est; agnoscit potius illa patrimonium culturae quod pertinet omnes ad homines. Par immo est dicere nos ad traditionem pertinere neque licere statuere de ea uti velimus. Hinc plane, quod radices in ipsam traditionem aguntur, permittitur nobis hodie ut cogitationem aliquam primam et novam et de futuro tempore providam enuntiemus. Eadem haec appellatio magis etiam pertinet ad theologiam. Non solum quia vivam Ecclesiae Traditionem ipsa possidet tamquam primigenum rerum fontem,[104] verum etiam quod idcirco theologia posse debet tum revocare altam traditionem theologicam quae priora saecula signavit, tum pe-

[104] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum,* 24; Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius,* 16.**

rénnem illius philosophiae traditionem quae novit spatii temporisque fines excedere suam ob sapientiam.

86. Inculcata haec necessitas solidi vinculi continuationis deliberationum philosophicarum cum inquisitionibus traditionis christianae illuc spectat ut praevertatur periculo quod quibusdam hodie latius diffusis sententiis subest. Quamquam breviter, opportunum censemus immorari iis in sententiis quarum ostendantur errores indeque pericula philosophicae industriae intenta.

Eorum quidem primum (periculum) voce *eclecticismi* nuncupatur, quo nomine illius hominis describitur affectio qui, in investigando, in docendo et in argumentatione theologica, singulas notiones accipere solet diversis perceptas ex philosophiis, nulla earum habita ratione cohaerentiae neque ordinatae coniunctionis nec historicae collocationis. Hoc pacto ita se praebet ut veritatis partem in aliqua notione distinguere ab aliis erratis vel imperfectis rebus nequeat. Extrema eclecticismi dispici potest forma etiam rhetorico in abusu vocabulorum philosophicorum quae aliqui theologi interdum usurpant. Non utilis est similis abusus inquisitioni veritatis neque mentem sive theologicam sive philosophicam instituit ut modo serio ductoque argumentetur. Grave et altum doctrinarum philosophicarum studium tum etiam proprii earum sermonis et contextus ex quo sunt enatae, multum adiuvat ut eclecticismi pericula vincantur permittitque aptam in earum argumentationes theologicas ingressionem.

87. Error ipsius methodi est eclecticismus, qui tamen in se opinationes etiam *historicismi* contegere potest. Recte ut praeteriti temporis comprehendatur doctrina, ea necesse est sua in historiae atque culturae inseratur adiuncta. Primaria historicismi sententia, ex contrario, ea est ut philosophiae cuiusdam veritas sustineatur natura propria sua ad aliquod certum tempus aptata aut ad definitum historicum munus. Ita quidem, saltem implicite, perennis veri virtus negatur. Id quod aliqua aetate valebat ut verum, potest cessare id esse alio tempore, uti defendet historicista. Notionum humanarum historia, demum, ad eius iudicium paulo plus est quam atheologicum inventum ex quo haurire licet ut sententiae prioris temporis demonstrentur iam maximam partem praetermissae et in praesentia omni significatione carentes. Contra, potius reminiscendum est, etiamsi ipsa veritatis formula temporibus quadamtenus et culturae formis vinciatur, veritates vel errores inibi repertos posse nihilominus agnosci et uti tales aestimari, quantumvis spatio tempore ve distent.

Intra theologicam meditationem plerumque se praebet historicismus quadam sub ratione « modernismi ». Dum enim quis merito studet sermonem theologicum accommodum et pervium reddere aequalibus suis, affirmationibus et dictionibus philosophicis tantummodo recentioribus utitur, criticis neglectis iudiciis quae ad traditionis lumen tandem aliquando proferenda sunt. Haec modernismi via, quoniam veritatem praesenti pro utilitate permutat, haud idonea reperitur ad veritatis satisfaciendum postulatis quibus respondeat theologia oportet.

88. Aliud expendendum est periculum, nempe *scientismus.* Haec philosophiae notio respuit tamquam validas omnes cognitionis formas alienas iis quae sunt scientiarum positivarum propriae atque in provinciam solorum phantasmatum reicit tum religiosam et theologicam cognitionem tum ethicam et aestheticam scientiam. Praeteritis temporibus eadem notio intra positivismum et neo-positivismum declarabatur, qui sensu destitutas iudicabant affirmationes metaphysicae indolis. Censura epistemologica omnem huic sententiae abstulit fidem, sed ecce novo renascitur sub scientismi vestitu. Hoc sub prospectu, bona ad animi motuum dumtaxat effecta rediguntur atque « essendi » notio praeteritur ut aliquid spatii nudis et simplicibus tribuatur factis. Sese igitur scientia praeparat ut per technologicos progressus omnibus dominetur vitae humanae partibus. Felices qui nullo modo possunt negari successus scientificae investigationes nec non horum temporum technologiae plurimum adiuverunt ut mens scientistica disseminaretur quae nullis iam videtur finibus circumscribi, cum in varias iam intraverit culturae formas et mutationes fundamentales ibi quoque effecerit.

Pro dolor, quod ad interrogationem pertinet de vitae sensu, notandum est a fautoribus scientismi eandem haberi quaestionem tamquam propriam orbis irrationalis aut omnino ficti. Non minus autem deludit huius mentis tractatio magnis de aliis philosophiae quaesitis quae, si iam non omnino praetermittuntur, aliqua deliberatione agitantur quae similitudinibus apparentibus fulcitur, fundamento carentibus omnino rationali. Hoc humanam rerum ponderationem reddit pauperiorem, cui fundamentales quaestiones illae subtrahuntur quas *rationale animai,* inde suis ab initiis in terra, perpetuo sibi proposuit. Postquam, hanc secundum sententiam, criticum iudicium ex ethica aestimatione est omissum, scientistarum doctrina efficere valuit ut plures sibi persuadèrent id quod technica ratione fieri possit hanc ipsam ob causam morali ratione accipi posse.

89. Haud minorum periculorum praenuntius est ipse *Pragmatismus,* qui animi affectus ad eum maxime pertinet qui, suis in electionibus, usum recusat deliberationum theoreticarum vel existimationum ethicis principiis innitentium. Insignia sunt practica consectaria quae ab eiusmodi mentis opinatione profluxerunt. Nominatim vero eo deventum est ut popularis regiminis opinatio proferretur quae nullo modo ad fundamenta ordinis officiorum et debitorum referretur ac propterea immutabilia: honestas vel inhonestas quorundam morum secundum maioris partis suffragia in senatibus statuitur.[105] Patent autem huiusmodi iudicationis consectaria: praecipuae morales sententiae sive pronuntiationes paulatim disputationibus subduntur quorundam institutorum. Praeterea: ipsa anthropologica disciplina graviter afficitur, proposita una dumtaxat hominis visione, a qua longe absunt ethicae dubitationes nec non vitales explicationes de sensu doloris ac sacrificii, vitae et mortis.

90. Hucusque recensitae opinationes perducunt vicissim ad latiorem quandam notionem quae hodie efficere videtur communem multarum philosophiarum prospectum quae iam a sensu essendi recesserunt. Loquimur enim de interpretatione nihilistica quae simul omnis fundamenti repudiationem continet omnisque veritatis obiectivae negationem. *Nihilismus* est humanitatis hominis ipsius negatio et eius proprietatis, prius quam adversetur postulationibus et doctrinis verbi Dei propriis. Etenim haud oblivisci licet neglectum ipsius « esse » necessario secum etiam longinquitatem adferre ab obiectiva veritate ac, proinde, ab ipso fundamento illo quod hominis sustinet dignitatem. Fieri sic potest ut de vultu hominis illae submoveantur partes et species quae similitudinem Dei patefaciunt, unde paulatim aut ad destructivam potentiae cupiditatem adducitur aut solitudinis ad desperationem. Amota enim semel hominis veritate, omnino quis decipitur se liberum illum facere contendens. Nam veritas atque libertas aut coniunguntur simul aut simul misere amittuntur.[106]

[105] Cfr IOANNES PAULUS II, Litt. Encycl. *Evangelium vitae* (25 Martii 1995), 69: *AAS* 87 (1995), 481.

[106] Eandem in sententiam primis Nostris in Litteris Encyclicis, cum Evangelii sancti Ioannis exponeremus dictionem « cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos » (8,32), sic elocuti sumus: «Haec verba principalem in se necessitatem continent simulque admonitionem: necessitatem videlicet animi honesti erga veritatem uti condicionis verae libertatis; admonitionem pariter, ut declinetur quaevis simulata tantum libertas, quaelibet levis unique tantum parti favens libertas, omnis demum libertas, quae totam veritatem de homine ac mundo non permeet. Etiam hodie, duobus annorum milibus post, Christus nobis comparet tamquam ille,

91. Explanantes principia sententiarum modo propositarum noluimus integram praebere descriptionem hodiernae philosophiae condicionis: ceterum difficulter redigi illa potest unicam ad aestimationem. Adseverare Nostra potius interest hereditatem scientiae ac sapientiae revera pluribus locupletari in regionibus. Satis memorare est logicam, sermonis philosophiam, epistemologiam, naturae philosophiam, anthropologiam, altiorem investigationem affectuum cognitionis, existentialem accessum ad libertatis explicationem. E contrario, principii immanentiae affirmatio, quae veluti media subiacet postulatis rationalisticis, iam a priore saeculo responsiones excitavit quibus altissima dubitatio inducta est de aliis postulatis de quibus eo usque disputatum non erat. Enatae ita sunt sententiae irrationales, simulque criticum iudicium aperuit manifesto vacuam omnino postulationem absoluti dominii rationis.

A quibusdam subtilioribus auctoribus aetas nostra uti tempus « postmodernum» est designata. Vocabulum istud, saepius quidem adhibitum de rebus inter se dissidentibus, indicat emergentem quandam elementorum novorum summam quae sua amplitudine et efficacitate graves manentesque perficere potuerunt mutationes. Ita verbum idem primum omnium adhibitum est de notionibus ordinis aesthetici et socialis et technologici. In provinciam deinde philosophiae est translatum, at certa semper ambiguitate signatum, tum quia iudicium de iis quae uti « post-moderna » appellantur nunc affirmans nunc negans esse potest, tum quia nulla est consensio in perdifficili quaestione de variarum aetatum historicarum terminis. Verumtamen unum illud extra omnem dubitationem invenitur: rationes et cogitationes quae ad spatium post-modernum referuntur congruam merentur ponderationem. Secundum enim quasdam earum opinationes certitudinum tempus dicitur iam sine remedio transiisse et homini ipsi iam discendum esse in rerum quodam prospectu vivere ubi nullus reperiatur sensus, sub nomine nempe rerum fugientium ac temporariarum. Omnem certitudinem iudicio suo delentes, complures auctores, necessariis neglectis distinctionibus, in dubium etiam fidei certitudines deducunt.

Quadamtenus confirmatur hic nihilismus in terrifica maiorum experientia quibus aetas nostra est distincta. Ante calamitosum huius experimenti

qui homini libertatem in veritate innixam affert, ille, qui hominem ab omnibus liberat, quae istam libertatem coarctant, minuunt et quasi perfringunt ipsis in eius radicibus, nempe in hominis anima, corde, conscientia»: Litt. Encycl. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 12: *AAS* 71 (1979), 280-281„

casum, **Optimismus** rationalisticus, qui in historia **deprehendebat victricem** rationis progressionem, felicitatis libertatisque fontem, **haud** restitit ita ut iam ex maximis periculis et minis huius exeuntis saeculi invitatio sit ad desperationem.

Verum nihilominus est certam quandam mentem positivisticam etiam nunc fidem tribuere deceptioni, cuius vi, propter reperta scientifica et technica, homo veluti demiurgus assequi ex se solo possit sibique obtinere plenum suam in fortunam dominatum.

Hodierna theologiae officia

92. Quatenus est Revelationis intellegentia, variis in historiae aetatibus theologia semper cognovit sibi diversarum culturarum postulationes esse suscipiendas ut intra eas, consentanea cum doctrinae explicatione, fidei elementa tradere posset. Hodie quoque duplex ad eam pertinet munus. Altera ex parte opus explicet illa oportet quod Concilium Oecumenicum Vaticanum II suo tempore ei commisit: suas ut proprias renovaret docendi rationes quo evangelizationi efficacius inserviret. Hac in re quis recordari non potest de verbis a Summo Pontifice Ioanne XXIII prolatis dum aperiret Concilium? Dixit enim tunc: « Oportet ut, quemadmodum cuncti sinceri rei christianae, catholicae, apostolicae fautores vehementer exoptant, eadem doctrina amplius et altius cognoscatur eaque plenius animi imbuantur atque formentur; oportet ut haec doctrina certa et immutabilis, cui fidele obsequium est praestandum, ea ratione pervestigetur et exponatur quam tempora postulant nostra ».[107]

Ex altera vero parte oculos theologia intendat necesse est ultimam in veritatem quam ei commendat Revelatio ipsa neque sibi satis esse existimet in mediis consistere intervallis. Decet enim reminisci theologum opus suum respondere « ad vim dynamicam, quae in ipsa fide inest » suaeque inquisitionis argumentum id esse: « Veritas, Deus vivus eiusque salutis consilium per Iesum Christum revelatum ».[108] Hoc munus, quod ante omnia afficit theologiam, simul quidem philosophiam provocat. Quaestionum enim multitudo, quae hodie premunt, communem poscit operam etiamsi multiplicibus rationibus illa expletur, ut cognoscatur denuo veritas atque exprimatur. Veritas, quae Christus est, ubique auctoritate universali se

[107] *Allocutio qua Concilium est inchoatum* (11 Octobris 1962): *AAS* 54 (1962), 792.

[108] CONGR. PRO DOCTRINA FIDEI, Instr, de vocatione ecclesiali theologi *Donum veritatis* (24 Maii 1990), 7-8: *AAS* 82 (1990), 1552-1553

imponit quae gubernat, incitat et prospérât tum theologiam tum etiam philosophiam.

Quod creditur veritatem ubique validam cognosci posse, haud prorsus inde oritur intolerantia; condicio contra necessaria est ad verum sincerumque inter homines dialogum. Hac sola condicione fieri potest ut discidia vincantur et iter ad unam integram veritatem percurratur secundum eas semitas quas solus Domini resuscitati Spiritus cognoscit.[109] Nunc ipsum cupimus explicare quo pacto unitatis necessitas hodie in re conformetur, inspectis praesentibus theologiae officiis.

93. Propositum princeps quod explere vult theologia in eo consistit, ut *Revelationis intellectus praebeatur fideique doctrina.* Media propterea ipsius pars ac veluti centrum eius deliberationum erit mysterii ipsius Dei Unius et Trini contemplatio. Huc per mysterii Incarnationis Filii Dei ponderationem acceditur: eo quod ipse factus est homo ac deinde occucurrit passioni et morti, quod mysterium in gloriosam eius resurrectionem atque ascensionem ad dexteram Patris evasit, unde veritatis Spiritum misit suam ad constituendam et animandam Ecclesiam. Hoc in rerum prospectu principale theologiae munus fit Dei *kenosis* intellectus, quod magnum humanae menti restat mysterium quae vix credibile opinatur dolorem mortemque posse amorem illum declarare qui nihil vicissim expetens sese dono concedit. Hac autem in re primaria quaedam necessitas iniungitur urgensque simul locorum ipsorum intenta pervestigatio: in primis Sacrarum Litterarum, deinde eorum quibus viva Ecclesiae Traditio profertur. Hic autem hodie nonnullae emergunt quaestiones, ex parte dumtaxat novae, quibus addi non potest solutio neglectis philosophiae officiis.

94. Respicit prima difficilis quaestio necessitudinem inter significationem et veritatem. Quemadmodum omnibus aliis in textibus accidit, ita etiam

[109] **In Litteris Encyclicis *Dominum et vivificantem* explicantes locum *Io* 16,12-13 scripsimus: «Iesus Paraclitum, Spiritum veritatis, exhibet ut eum qui "docebit et suggeret", ut eum qui ei "testimonium perhibebit"; nunc vero ait "deducet vos in omnem veritatem". Locutio "deducet vos in omnem veritatem", prout ad ea refertur, quae Apostoli "non possunt portare modo", imprimis necessario coniungitur *cum exinanitione Christi,* passione et Cruce peracta, quae eo tempore, quo has protulit voces, iam impendebat. Postea tamen patefit illud "deducere in omnem veritatem" necti non solum cum scandalo Crucis, sed etiam cum iis omnibus, quae Christus «fecit et docuit» *(Act* 1,1). Re enim vera mysterium Christi, ut totum, postulat fidem, cum haec hominem in mysterii revelati "realitatem" opportune inducat. Illud ergo "deducere in omnem veritatem" in fide et per fidem ad effectum adducitur: quod Spiritus veritatis operatur, idque ex eius actione in homine promanat. Hac in re Spiritus Sanctus est hominis summus magister, est lux spiritus humani », n. 6: *AAS* 78 (1986), 815-816.**

fontes, quos interpretatur theologus, ante omnia aliquam transmittunt significationem quae illuminanda est atque explananda. Nunc vero se exhibet haec significatio tamquam de Deo veritatem, quae a Deo ipso sacrum per textum traditur. Quocirca hominum in sermone incorporatur Dei sermo, qui suam veritatem communicat, ea admirabili « indulgentia » quae logicam Incarnationis rationem refert.[110] Revelationis ideo interpretans fontes oportet theologus se ipse interroget quae alta et germana sit veritas quam Scripturarum loci aperire volunt etiam intra sermonis limites.

Ad Bibliorum quod attinet locos ac praesertim Evangeliorum, minime quidem redigitur eorum veritas in eventuum dumtaxat historicorum narrationem vel in factorum nudorum patefactionem, perinde ac positivismus historicisticus contendit.[111] Hi ex contrario loci proponunt eventus quorum veritas ponitur ultra simplicem historiae casum: in eorum significatione *in* et *pro* salutis historia reperitur. Plene haec explicatur veritas illo ex perenni usu quem Ecclesia fecit illorum textuum saeculorum decursu, pristinam eorundem servando significationem. Pernecessarium itaque est ut etiam philosophice de necessitudinis ratione interrogetur quae inter factum eiusque significatum intercedit; haec necessitudo proprium historiae efficit sensum.

95. Non uni populo neque aetati uni destinatur Dei verbum. Dogmaticae similiter pronuntiationes, quantumvis temporis illius culturam referant quo eduntur, constantem tamen et decretoriam efferunt veritatem. Hinc ergo quaestio exsistit quomodo inter se concilientur absoluta universalisque veritatis indoles atque inevitabiles historiae culturaeque condiciones earum formularum quibus eadem significatur veritas. Uti superius iam diximus, historicismi opinationes haud possunt defendi. Usus autem disciplinae hermeneuticae, quae ad metaphysicae scientiae patet postulata, demonstrare valet quo pacto ex adiunctis historicis et incertis, in quibus textus sacri maturuerunt, ad veritatem transitus fiat ibidem patefactam, quae easdem illas praetergreditur condiciones.

Suo historico circumscriptoque sermone licet homini veritates expromere quae linguarum transcendunt usum. Etenim numquam potest nec tempore nec aliqua culturae forma coarctari veritas; intra historiam cognoscitur at historiam ipsam egreditur.

[110] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 13.

[111] Cfr PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, Instr, de historica Evangeliorum veritate (21 Aprilis 1964): *AAS* 56 (1964), 713.

96. Sinit, haec consideratio, nos alterius iam difficultatis providere solutionem: de perpetua agitur auctoritate et vi sermonum conceptuumque adhibitorum in conciliorum definitionibus. Venerabilis iam Noster Decessor Pius XII hanc eandem quaestionem suis Encyclicis Litteris *Humani generis* pertractavit.[112]

Hoc de argumento non facile disceptatur, quandoquidem serio animo ratio habeatur oportet ipsius significationis quam variis in culturae regionibus temporumque aetatibus verba sibi sumpserunt. Cogitationis humanae historia utcumque luculenter comprobat per progressionem varietatemque culturarum quasdam principales notiones universalem suam adservare cognoscendi vim proindeque veritatem earum affirmationum quam recludunt.[113] Res ita si non sese haberent, philosophia atque scientiae inter se haud quidquam communicare valerent neque percipi apud culturas diversas ab iis a quibus excogitatae sunt et elaboratae. Restat propterea hermeneutica quaestio, at solvi potest. Ceterum multarum notionum vera vis non prohibet quin imperfecta sit earum significatio; qua in re philosophica disceptatio multum efficere potest. Optatur, idcirco, ut peculiari studio coniunctio pervestigetur inter sermonem intellectivum et veritatem, atque etiam proponantur apta itinera ad rectam eius intellegentiam.

97. Si grave theologiae officium est fontium interpretatio, aliud etiam et maioris prudentiae necessitatisque est *revelatae veritatis perceptio* sive *intellectus fidei* explicatio. Sicut iam superius innuimus, *intellectus fidei* postulat ut philosophia essendi partes quae in primis sinant ut *theologia dogmatica* consentaneo modo expleat sua munia. Dogmaticus primorum annorum

[112] « Liquet etiam Ecclesiam non cuilibet systemati philosophico, brevi temporis spatio vigenti, devinciri posse: sed ea quae communi consensu a catholicis doctoribus composita per plura saecula fuere ad aliquam dogmatis intellegentiam attingendam, tam caduco fundamento procul dubio non nituntur. Nituntur enim principiis ac notionibus ex vera rerum creatarum cognitione deductis; in quibus quidem deducendis cognitionibus humanae menti veritas divinitus revelata, quasi stella, per Ecclesiam illuxit. Quare mirum non est aliquas huiusmodi notiones a Conciliis Oecumenicis non solum adhibitas, sed etiam sancitas esse, ita ut ab eis discedere nefas sit»: Litt. Encycl. *Humani generis* (12 Augusti 1950): *AAS* 42 (1950), 566-567; cfr COMMISSIO THEOLOGICA INTERNATIONALIS, docum. *Interpretationis problema* (Octobris 1989): *Ench. Vat.* 11, nn. 2717-2811.

[113] « Ipse autem *sensus* formularum dogmaticarum semper verus ac secum constans in Ecclesia manet, etiam cum magis dilucidatur et plenius intellegitur. Christifideles ergo se avertant oportet ab opinione secundum quam [...] formulae dogmaticae (aut quaedam earum genera) non possint significare determinate veritatem, sed tantum eius commutabiles approximationes, ipsam quodammodo deformantes seu alterantes ». S. CONGR. PRO DOCTRINA FIDEI, Decl. circa Catholicam Doctrinam de Ecclesia contra nonnullos errores hodiernos tuendam *Mysterium Ecclesiae* (24 Iunii 1973), 5: *AAS* 65 (1973), 403.

huius saeculi Pragmatismus, ad quem fidei veritates nihil aliud quam morum normae esse dicuntur, iam redargutus est atque reiectus;[114] nihilominus semper quis allicitur ut has intellegat veritates modo plane * functionali. Tunc enim res recidet in rationem quandam prorsus inopportunam, reductivam ac necessaria gravitate speculativa destitutam. Verbi causa, Christologia, quae « de basi » dumtaxat proficiscatur, quemadmodum hodie dicere consueverunt, vel ecclesiologia ad societatis civilis exemplum solummodo composita, talis reductionis periculum declinare non possent.

Si traditionis theologicae universos complecti vult *intellectus fidei* thesauros, ad philosophiam essendi decurrere debet. Haec enim necessario quaestionem essendi rursus proponet secundum postulationes atque totius traditionis philosophicae etiam recentioris utilitates adlatas, omni omissa opportunitate in superatas iam philosophicas rationes futiliter recidendi. Intra metaphysicae christianae traditionis prospectum philosophia essendi est philosophia actuosa seu dynamica quae ipsis in suis ontologicis, causalibus et communicativis structuris praebet veritatem. Impetum suum ac perennem impulsum in eo reperit quod actu ipso « essendi » sustentatur, unde plena et generalis permittitur ad solidam rerum universitatem patefactio, omnibus excessis terminis ut Ille qui rebus omnibus consummationem tribuit attingatur.[115] Ea in theologia, quae sua ex Revelatione depromit principia tamquam a novo cognitionis fonte, haec omnino confirmatur indicandi ratio intimum secundum illud vinculum inter fidem et metaphysicam rationalitatem.

98. Explicari similes possunt deliberationes etiam ratione habita *moralis theologiae.* Philosophiae redintegratio postulatur etiam ut intellegatur fides ad credentium vitam actionemque spectans. Ante oculos constitutis provocationibus hodiernis in re sociali, oeconomica, in re politica ac scientifica, ethica hominis conscientia confunditur. In Litteris Encyclicis *Veritatis splendor* docuimus Nos complures in orbe nostro exsistentes difficultates inde oriri quod est « crisis circa veritatem. Amissa notione veritatis universalis de bono quod ab humana mente percipi potest, necessario de conscientia opinio est immutata, quae iam suo in primigenio statu non consideratur, tamquam scilicet actus intellectus personae cuius est adhibere universalem cognitionem boni in peculiari quadam condicione et iudicium facere de ho-

[114] Cfr CONGR. S. OFFICII, Decr, *Lamentabili* (3 Iulii 1907), 26: *ASS* 40 (1907), 473.

[115] Cfr IOANNES PAULUS II, *Allocutio apud Pontificium Athenaeum « Angelicum »* (17 Novembris 1979), 6: *Insegnamenti,* II, 2 (1979), 1183-1185.

nesto eligendo hic et nunc; eo tenditur ut personae conscientiae privilegium tribuatur statuendi autonoma ratione normam boni marique, indeque agendi. Mens haec arte coniungitur cum individualistica ethica, secundum quam quisque cum sua confertur veritate, quae ab aliorum veritate differt ».[116]

Totas per easdem Encyclicas Litteras praecipuas extulimus partes attinentes ad veritatem morali in provincia. Veritas haec de plerisque ethicis quaestionibus, quae magis hodie premunt, a theologia morali intentam exposcit meditationem quae eius in Dei verbo radices illuminet. Suum ut expleat hoc munus, debet ideo moralis theologia uti ethica philosophiae disciplina, quae bonorum veritatem respicit; ethica videlicet utatur oportet disciplina quae neque subiectiva sit neque utilitati soli serviat. Haec postulata ethica ratio importat atque ante flagitat philosophicam anthropologiam nec non metaphysicam bonorum tractationem. Hanc unicam rerum indicationem adhibens, quae cum christiana vitae sanctitate virtutumque humanarum et supernaturalium exercitatione cohaeret, moralis theologia diversas sua in regione quaestiones agitare poterit — cuius generis sunt pax socialisque iustitia, familia, vitae defensio locorumque naturae custodia — multo quidem efficacius et plenius.

99. Theologicum Ecclesiae opus ad fidem et catechesim in primis nuntiandam deputatur.[117] Nuntiatio sive « kerygma » ad conversionem vocat, Christi proponendo veritatem quae eius consummatur paschali in Mysterio: in Christo, enim, uno veritatis agnosci potest plenitudo quae homines salvat (cfr *Act* 4,12; *1 Tim* 2,4-6).

Hinc probe pariter intellegitur cur praeter theologiam sibi etiam *catechesis* adsumat maius quoddam pondus: in se enim haec complectitur philosophica aliqua consectaria fidei sub lumine vestiganda. Doctrina intra catechesim tradita aliquid certe ad instituendam personam humanam confert. Debet catechesis, quae etiam communicatio est facta per verba, Ecclesiae Magisterium tota ex ipsius integritate praebere,[118] coniunctionem illius etiam cum credentium vita demonstrans.[119] Unicum ita efficitur doctrinam inter et

[116] N. 32: *AAS* 85 (1993), 1159-1160.

[117] Cfr IOANNES PAULUS II, Adhort. Ap, *Catechesi tradendae* (16 Octobris 1979), 30: *AAS* 71 (1979), 1302-1303; CONGR. PRO DOCTRINA FIDEI, Instr, de vocatione ecclesiali theologi *Donum veritatis* (24 Maii 1990), 7: *AAS* 82 (1990), 1552-1553,

[118] Cfr IOANNES PAULUS II, Adhort. Ap. *Catechesi tradendae* (16 Octobris 1979), 30: *AAS* 71 (1979), 1302-1303.

[119] Cfr *ibid.,* 22, *l.m.,* 1295-1296.

vitam vinculum quod aliter attingi non potest. Non sane veritatum intellectivarum corpus in catechesi traditur, verum viventis Dei mysterium.[120]

Plurimum aequabiliter philosophica disputatio confert ad necessitudinem collustrandam inter veritatem et vitam, inter eventum et doctrinalem veritatem ac, praesertim, rationem inter transcendentem veritatem et sermonem qui humanitus intellegi potest.[121] Mutua consociatio inter disciplinas theologicas et exitus variis ex opinationibus philosophicis perceptos exprimet, itaque, veram fecunditatem in fide communicanda altiusque in ea comprehendenda.

CONCLUSIO

100. Quandoquidem iam transierunt plus quam centum anni cum Leonis XIII Litterae Encyclicae *Aeterni Patris* prodierunt, quas saepenumero hoc in Nostro scripto commemoravimus, necessarium Nobis visum est de necessitudine inter fidem et philosophiam distinctius sermonem repetere. Omnino manifestum est momentum quod habet philosophica cogitatio in cultura explicanda et in personalibus socialibusque moribus temperandis. Ipsa multum potest, quod haud semper clare percipitur, etiam circa theologiam eiusdemque diversas disciplinas. Has propter causas consentaneum necessariumque esse indicavimus vim confirmare quam philosophia pro fidei intellectu finibusque habet, quibus ipsa occurrit cum obliviscitur vel Revelationis veritates denegat. Ecclesia enim persuasissimum habet fidem et rationem « opem sibi mutuam » ferre,[122] dum utraque simul iudicium criticum et purificatorium exercet, simul stimulum admovet ad inquisitionem producendam et altius perscrutandas res.

101. Si autem opinationum historiam respicimus, in occidentali potissimum parte, commode percipiuntur divitiae quae ad hominum progressum a philosophiae et theologiae occursu atque ab earum ipsarum acquisitionum permutationibus manarunt. Theologia, quae dono apertionem recepit proprietatemque quarum vi tamquae fidei scientia exsistere valet, rationem certe lacessivit ut radicali novitati pateret, quam Dei Revelatio secum fert. Hoc sine dubio philosophiae fuit utilitati, quae hoc modo novos prospectus in alias significationes comparere vidit, quae rationi altius sunt perscrutandae.

[120] Cfr *ibid.*, 7, *l.m.*, 1282.
[121] Cfr *ibid.*, 59, *l.m.*, 1325.
[122] CONC. OECUM. VAT. I, Const. dogm. de fide catholica *Dei Filius*, IV: *DS* 3019.

His quidem consideratis rebus, quemadmodum confirmavimus theologiae esse sinceram cum philosophia necessitudinem redintegrare, ita similiter iterare debemus philosophiae pro cogitationis bono et progressu recuperandam esse cum theologia necessitudinem. Reperiet in ea non singulorum hominum cogitationem, quae, quamvis alta locuplesque sit, unius personae tamen limitibus et lineamentis circumscribitur, sed communis cogitationis divitias. Theologia namque in veritate perquirenda, sua natura, nota *ecclesialitatis*[123] sustentatur itemque Dei Populi traditione cum multiformitate sapientiae et culturarum in fidei unitate.

102. In momento et philosophicae cogitationis vera magnitudine hoc modo innitens, Ecclesia tum hominis dignitatem tum evangelicum nuntium tuetur. Nihil hodie plus quam haec praeparatio instat, perducendi scilicet homines ad eorum detegendam facultatem cognoscendi verum[124] inveniendique anhelitum versus summam consummatamque exsistentiae significationem. Harum altarum rationum in prospectu, quas Deus in hominum natura inscripsit, liquidius humana apparet significatio Dei verbi, quod humaniores reddit homines. Philosophiae beneficio, quae etiam vera facta est sapientia, huius temporis homo sic agnoscet se tanto esse humaniorem quanto plus, Evangelio confidendo, Christo pateat.

103. Philosophia, praeterea, est tamquam speculum in quod populorum cultus repercutitur. Philosophia, quae, theologicis necessitatibus impellentibus, una cum fide concorditer progreditur, particeps est illius « culturae evangelizationis », quam Paulus VI inter praecipua evengelizationis proposita annumera vit.[125] Dum autem *novae evangelizationis* necessitatem iterare numquam intermittimus, philosophos compellamus, qui altius veri, boni et pulchri granditatem vestigent, quibus Dei verbum aditum patere sinit. Id magis instat, si provocationes expenduntur, quas novum millennium secum ferre videtur: ipsae peculiari ratione regiones antiquaeque traditionis christianae culturas afficiunt. Haec quoque consideratio veluti praecipuum originaleque ad novam evangelizationem persequendam habendum est adiumentum.

[123] « Nemini idcirco licet theologiam tractare, quasi de quibusdam agatur notionum eius collectaneis: sed quivis sciat oportet se arcte coniunctum esse debere cum hoc munere docendi, cum hoc munere veritatem docendi, quod Ecclesiae ipsi incumbat ». IOANNES PAULUS II, Litt, Encycl. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 19: *AAS* 71 (1979), 308

[124] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Declaratio de libertate religiosa *Dignitatis humanae,* 1-3.

[125] Cfr Adhort. Ap, *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 20: *AAS* 68 (1976), 18-19.

104. Philosophica in disciplina saepe solummodo invenitur consensus et dialogus instituitur cum illis qui nostram fidem haud communicant. Hodiernus philosophicus motus postulat ut philosophi attente periteque fideles agant partes facultatibusque polleant ea percipiendi quae hodiernis temporibus exspectantur, recluduntur et agitantur. Dum secundum rationem eiusque regulas argumentatur, christianus philosophus, qui illo semper intellectu dirigitur quem Dei verbum subministrat, quandam ratiocinationem agere potest quae etiam ab illis, qui nondum omnem veritatem capiunt quam divina Revelatio ostendit, intellegi et sensu percipi potest. Provincia haec in qua consensus ac dialogus reperiuntur eo plus habet momenti propterea quod quaestiones quae impensius humanitati opponuntur — puta quaestionem oecologicam, pacis quaestionem vel convictum stirpium et culturarum — communi opera eaque perspicua et sincera Christianorum et asseclarum aliarum religionum expediri possunt necnon illorum quibus, quamvis nullius sint religionis, cordi est hominum renovatio. Id quidem confirmavit Concilium Oecumenicum Vaticanum II: « Desiderium talis colloquii, quod sola caritate erga veritatem ducatur, servata utique congrua prudentia, ex nostra parte neminem excludit, neque illos qui praeclara animi humani bona colunt, eorum vero Auctorem nondum agnoscunt, neque illos qui Ecclesiae opponuntur eamque variis modis persequuntur ».[126] Philosophia illa, in qua aliquid Christi veritatis splendet, qui est humanarum quaestionum una ac postrema responsio,[127] fulcimentum erit illius ethicae verae simulque omnem orbem complectentis, qua hodiernus homo indiget.

105. His Litteris Encyclicis finem imponentibus, Nobis placet cumprimis ad *theologos* mentem Nostram postremo con vertere, qui peculiari animi intentione philosophicas Dei verbi implicationes observent ac cogitationes in illa re defigant, unde speculativa ac practica scientiae theologicae granditas emergat. De ecclesiali opera iis gratias agere cupio. Artus inter sapientiam philosophicam et theologicam disciplinam nexus in singularissimis christianae traditionis divitiis de revelata veritate vestiganda ponitur. Quapropter eosdem cohortamur ut recipiant et veritatis metaphysicam rationem clarius extollant ad criticum et impellentem dialogum instituendum sive cum nostrae aetatis philosophia sive cum omni philosophica traditione, quae cum Dei verbo concinat aut dissonet. Ob oculos continenter habeant sententiam praeclari cogitationis spiritalitatisque magistri, sancti Bonaventurae scilicet,

[126] **Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium ei spes,* 92.**
[127] **Cfr *ibid,,* 10,**

qui legentem suum in *Itinerarium mentis in Deum* introducens, eundem monet « ne forte credat, quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exultatione, industria sine pietate, scientia sine caritate, intelligentia sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata ».[128]

Mens quoque Nostra ad eos dirigitur *quorum est sacerdotibus institutionem tradere,* tam academicam quam pastoralem, ut peculiari studio philosophicam praeparationem curent illorum qui hodiernis hominibus Evangelium enuntiare debebunt, ac magis illorum qui theologiae perquirendae et docendae operam dabunt. Ad Concilii Oecumenici Vaticani II praescripta[129] et subsequentia praecepta operari contendant, ex quibus instans officium oritur, quod a nemine posthaberi potest, quodque nos omnes alligat, ut opem sincere profundeque feramus ad fidei veritatem communicandam. Grave porro officium non est obliviscendum magistrorum antea convenienterque instituendorum, qui in Seminariis et ecclesiasticis Institutis philosophiam tradant.[130] Necesse est hoc docendi opus congruentem scientificam institutionem secum ferat, ordinatam rationem exhibeat, magnum traditionis christianae suppeditando patrimonium efficiaturque denique debito iudicio, hodiernis spectatis Ecclesiae mundique necessitatibus.

106. Ad *philosophos* praeterea Nos convertimus et *eos qui philosophiam docent,* ut, ob oculos philosophica traditione usque probabili habita, animose repetant sincerae sapientiae veritatisque, metaphysicae etiam, philosophicae disciplinae rationes. Se illis interrogari patiantur postulationibus, quae e Dei verbo effluunt ac strenue suam ratiocinationem et argumentationem agant ut ei interrogationi respondeatur. Ad veritatem usque tendant atque ad bonum quod verum continet sint intenti. Hoc modo sinceram illam ethicam effingere poterunt, qua homines, his potissimum annis, omnino indigent. Ecclesia attente et amabiliter eorum inquisitiones spectat; pro certo ideo habeant eam iustam eorum scientiae autonomiam colere. Credentibus praesertim animum addere volumus, qui in philosophica provincia agunt, ut varios ambitus humanae industriae per rationem illam collustrent quae securior acriorque fit propter adiumentum quod fides ministrat.

128 *Prologo,* 4: Opera omnia, Firenze 1891, t. V, 296.

129 Cfr Decr. de institutione sacerdotali *Optatam totius,* 15.

130 Cfr IOANNES PAULUS II, Const. Ap. *Sapientia christiana* (15 Aprilis 1979), artt. 67-68: *AAS* 71 (1979), 491-492.

Facere denique non possumus quin *scientiae peritos* alloquamur, qui suis inquisitionibus de mundo in universum plus plusque cognitionum praebent deque incredibili varietate ipsius elementorum, tum animalium tum inanimorum, quae multiplices structuras atomicas et moleculares exhibent. Hoc potissimum saeculo ii tam progressi sunt ac tales attigerunt metas, ut admiratione nos subinde afficiamur. Dum admiramur ac simul incitamus hos scientificae inquisitionis vestigatores principes, quibus multum praesentis prosperitatis debet humanitas, eos cohortemur oportet ut suos labores usque persequantur, semper in illa *sapientiae* provincia manentes, in qua cum scientiae technicaeque artis fructibus bona philosophica et ethica coniunguntur, quibus peculiariter et artissimo vinculo persona humana significatur. Scientiae cultor prorsus sibi est conscius veritatis vestigationem numquam desinere, etiam cum ad quandam finitam mundi hominisve partem spectat; ad quiddam reicit enim quod locatur supra proxima studiorum obiecta, ad interrogationes scilicet quae Mysterii aditum recludunt.[131]

107. Omnes rogamus ut penetralia contueantur hominis, quem Christus suo in amoris mysterio servavit, quique usque veritatem sensumque perquiri. Complures philosophicae scholae, eum fallentes, ei persuaserunt ipsum absolutum esse sui dominum, qui de fortuna sua deque eventura sorte per se decernere possit, sibimet ipsi suisque dumtaxat fidens viribus. Numquam haec erit hominis praestantia. Illud tantum eum efficiet quod in veritatem se inseri eligit, sub Sapientiae umbra suum struens domicilium ibique inhabitans. Hoc solummodo in veritatis prospectu intelleget plane exprimi suam libertatem ac suam ad dilectionem Deique cognitionem vocationem, veluti summam sui explicationem.

108. Postremam Nostram cogitationem ad Eam convertimus, quae Ecclesiae deprecatione *Sedes Sapientiae* invocatur. Ipsius vita vera est parabola quae collustrare poterit quae antea a Nobis dicta sunt. Etenim inter vocationem Beatae Virginis et verae philosophiae strictam consonantiam prospicere licet. Quemadmodum namque ad suam humanitatem et femininam naturam tradendam ipsa vocata est, unde Dei Verbum carnem sumere posset fieretque unus ex nobis, sic ad operam sustinendam, rationalem videlicet et criticam, vocatur philosophia, ut theologia, veluti fidei intellectio, fecunda sit et efficax. Atque sicut Maria, Gabrielis nuntio assentiendo, nihil

[131] IOANNES PAULUS II, *Discorso all'Università di Cracovia per il 600° anniversario dell'Alma Mater Jagellonica* (8 Iunii 1997), 4: *L'Osservatore Romano*, 9-10 Iunii 1997, p. 12.

suae verae humanitatis ac libertatis amisit, sic philosophica disciplina, in his accipiendis quae Evangelii veritas suppeditat, nihil suae autonomiae amittit, sed omnes suas inquisitiones ad summam perfectionem propelli experitur. Hanc quidem veritatem plane intellexerunt sancti antiquitatis christianae monachi, a quibus Maria « fidei mensa intellectualis »[132] appellabatur. Ipsam congruentem verae philosophiae effigiem respiciebant sibique erant conscii se debere *cum Maria philosophari.*

Sedes Sapientiae iis qui sapientiae vestigandae dependunt vitam portus sit tutus. Ad sapientiam iter, quod est postremum sincerumque omnis scientiae propositum, ab omnibus impedimentis expediat intercedendo Ea quae, Veritatem parturiens eandemque in corde servans, in sempiternum tota cum humanitate ipsam communicavit.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xiv mensis Septembris, in festo Exaltationis Sanctae Crucis, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servae Catharinae Jarrige Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit » *(Ps* 23[22],1). Hac de re plane conscia Venerabilis Dei Serva Catharina Jarrige totam suam vitam in Deo et proximo deserviendum contulit. Cum « in valle umbrae mortis » *(Ps* 23[22],4) ambulabat ut vexatos sacerdotes iuvaret, cum ostiatim pro pauperibus mendicabat, in quibus vultum Christi patientem agnoverat, cum aegrotis adsidebat atque misericordiae opera agebat, gerebat ipsa in corde suo Dominum, suum scilicet scutum et praesidium (cfr *Ps* 84[83],12), quem, in mundum lucem effundens Evangelii, testabatur. Novissima ex septem liberis alicuius familiae agricolarum, mulier haec fortis et animosa die iv mensis Octobris anno MDCCLIV orta est

[132] i) vospà TĵÇ TCíaTEwc Tpá7ts£a: S.P.N. EPIPHANIUS, *Homilia in laudes Sanctae Mariae Deiparae: PO* 43, 493.

in oppido quod Doumis dicunt hodiernae dioecesis Sancti Fiori. Puella opera agrestia exercuit, deinde compluribus familiis opitulata est, sibi aestimationem concilians ob fidelitatem et operis prudentiam. Robusta fuit corpore, laeta ingenio, sermone soluta. Postquam xm fere annos nata primum sacram Eucharistiam recepit, in spiritus fervore adolevit atque cum adulta intellexisset a Deo se vocari ad eidem inserviendum, se ipsam et mundi illecebras proiecit, xxiv annos fere nata cum duobus sororibus ad oppidum Mauriac se contulit atque secundum regulam tertii Ordinis Sancti Dominici vota nuncupavit. Quae res ei fuit nuptiale foedus cum Deo ictum ac praecipuum de corporis spiritusque operibus misericordiae officium. Quocirca amanter catechesi tradendae, pauperibus iuvandis, aegrotis, captivis, moribundis curandis sese dicavit. Omnes dilexit et ab omnibus est redamata. Agnomen ei indiderunt « Catinon menette », scilicet Catharinam parvam monialem indigentium. Eius caritas überaus fuit potissimum reipublicae immutatione Gallicae ob veniente, quo tempore Dei Serva schismatis scissuram persensit quam civilis cleri constitutio procuravit. Veluti S. Catharina Senensis animose fidem, amorem in Christum, Ecclesiam, sacerdotes Pontifici fideles professa est. His morti et exsilio obnoxiis, absconditis ac tamen petitis, gravi suo incommodo et periculo, corporis et spiritus solacium praebuit, cum eosdem in sacramentis ministrandis iuvaret et sacerdotium fidelium commune ipsa exerceret. Iuvenem Sacerdotem Filiol, capitis damnatum, solata est eundemque ad patibulum est persécuta. Hanc propter de membris Christi patientibus sollicitudinem atque de Ecclesiae ministris, anno MDCCXCIV in carcerem coniecta est et in ius vocata. Aetate civilis religiosique motus transacta, clerum iuvare perrexit, ut paroecia in oppido Mauriac iterum constitueretur atque xxn per annos in illius loci valetudinario infirmorum fuit ministra: fuit femina « plena operibus bonis et eleemosynis » *(Act* 9,36), quae omnia Christi nomine patravit, qui eam confortabat (cfr *Philp* 4,13). Inermis sed fide et continuata precatione bene instructa Mariali praesertim Rosario sana et operosa usque ad postremos quinque sui terrestris exitus dies, vitae operumque sanctitate emicuit. « Emori volo iustorum morte » dictitabat. Sic die iv mensis Iulii anno MDCCCXXXVI in oppido Mauriac contigit. Quandoquidem « opera eos sequuntur beatos qui in Domino moriuntur » (cfr *Apc* 14,13), Catharina sanctitatis fama circumfusa, in historia et populi veneratione perstitit. Beatificationis et canonizationis Causa anno MCMXI incohavit in dioecesi Sancti Fiori. Die xxv mensis Iunii anno MCMXCVI Decretum super miro prodiit, quod anno MCMXXXVI evenit quodque

eiusdem Venerabilis intercessioni adscriptum est. Statuimus igitur beatificationis ritus ut Romae celebraretur die xxrv mensis Novembris eiusdem anni.

Hodie igitur, in Vaticana Basilica Sancti Petri, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: Nos, vota Fratrum Nostrorum Rinaldi Stecher, Episcopi Oenipontani, Christophori Schönborn, Archiepiscopi Vindobonensis et Renati Séjourné, Episcopi Sancti Fiori, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Dei Servi Otto Neururer, Iacobus Gapp et Catharina Jarrige Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali: Ottonis Neururer die tricésima Maii; Iacobi Gapp die decima tertia Augusti; et Catharinae Jarrige die quarta Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Spectabilis haec mulier claras dedit religiosae pietatis operumque bonorum testificationes, quae, animarum studio incitata, multos homines iuvit iisque opem liberaliter tulit. Exoptamus igitur ut salutifera Domini dona et Evangelii beneficia illi affatim adipiscantur eiusdem exemplo suffulti et praesidio.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiv mensis Novembris, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri undevicesimo.

De mandato Summi Pontificis
88 ANGELUS card. SODANO

Loco ffi Sigilli
In Secret., Status tab., n. 418,116

II

Venerabili Dei Servae Birgittae a Iesu Morello Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Et si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum» *(Io* 12,32). Birgitta Morello, a Christo cruci affixo flagranter a pueritia usque pellecta, totam suam vitam in mysterii pascha-

lis amoris redemptionisque lumine exegit, inde inexstinguibile studium in Dei gloriam hominumque universalem salutem hauriendo. Eo quod ipsa religiosas Ursulinas Mariae Immaculatae Placentiae condidit, id praeoptatum fuit iter in quo eam perduxit Spiritus, ad vitam puellis colendis consecrandam, dum ipsa plane sibi conscia erat earum congruam institutionem, tam humanam quam christianam, magnopere familiae promovendae societatique ad Dei mentem profuturam. E familia eximiarum christianarum traditionum in oppido nata quod est S. Michele di Pagana, dioecesis Clavarensis, die XVII mensis Iunii anno MDCX, Birgitta mox vehementer a Deo allici sese percepit Eique se totam devovendam. Id singulos eiusdem exsistentiae gradus informabit. Deo disponente, varia ipsa in sua terrestri aetate experta est: videlicet matrimonium cum xxin annum agebat, quod paulo post vidualis status subsecutus est, quem ea in laicatu consecrata egit, usque dum, ut fundatrix, religiosam optatam vitam attingere potuit. Hae sunt fere stationes augescentis ascensus in christianas apostolicasque virtutes, dum Birgitta spiritus moderatoribus prudenter regentibus fideliter obtemperat. Hoc modo Birgitta Morello, quae totam suam Christo donationem ostendere voluit, sese appellans, Teresiae Abulensis exemplo, « Birgittam a Iesu », in Ecclesiam se sanctitatis christianae exemplar exhibet, quod variis vitae condicionibus demonstratur, secundum Concilii Vaticani II sententiam: « In variis vitae generibus et officiis una sanctitas excolitur ab omnibus, qui a Spiritu Dei aguntur, atque voci Patris oboedientes Deum que Patrem in spiritu et veritate adorantes, Christum pauperem, humilem et crucem baiulantem sequuntur, ut gloriae Eius mereantur esse consortes» *(Lumen gentium,* 41).

Sic die XVII mensis Februarii anno MDCXLIX, ducissa Margarita de' Medici Farnese suadente, Communitatem, ut iuventus educaretur, Ursulinarum Mariae Immaculatae Placentiae Birgitta condidit, cum solidam fortemque vitae christianae experientiam adepta esset, ut clara esset magistra et adulescentularum tenera mater. Tum veluti fastigium conformationis ipsa attigit erga Christum cruci affixum, cum xxiv per annos arcanum aliquem morbum passa esset, medicis quoque ignotum, compluribus etiam donis mysticis comitantibus. Accidit tunc quod eiusdem cor, Christi caritate compulsum (cfr *2 Cor* 5,14), in missionalia studia universalis oecumenicaeque amplitudinis conversum est, ut sese pro hominum conversione nominatimque pro christianorum unitate devoveret. Apostolicum studium Sancti Francisci Xaverii persequens, quem peculiariter colebat, semen iecit missionarium, quod Institutum eius religiosarum Ursulinarum in longinqua loca

perducet. Sanctitatis fama collustrata, Birgitta a Iesu de hoc mundo demigravit Placentiae die III mensis Septembris anno MDCLXXIX. Ranucio II Farnese duce impellente, statutum est ut Beatificationis causa ageretur. At serius tantum, historicas propter condiciones, Causa incohata est. Die xxix mensis Aprilis anno MCMLXXX NOS Ipsi declaravimus Dei Servam heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exercuisse. Die porro xviii mensis Decembris anno MCMXCVII Nobis coram super miraculum prodiit Decretum, intercessioni Venerabilis adscriptum, quod Placentiae anno MDCLXXXI accidisse perhibetur. Statuimus igitur ut Beatificationis ritus Romae die XV mensis Martii anno MCMXCVIII celebraretur.

Hodie igitur in Petriano Foro inter sacra hanc elocuti sumus Beatificationis formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Petri Christov, Episcopi Nicopolitani, Luciani Monari, Episcopi Placentini-Bobiensis, et Antonii Mariae Cardinalis Rouco Várela, Archiepiscopi Matritensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Vincentius Eugenius Bossilkov, Birgitta a Iesu Morello et Maria a Monte Carmelo Salles y Barangueras Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Vincentii Eugenii Bossilkov die decima tertia Novembris; Birgittae a Iesu Morello die quarta Septembris; et Mariae a Monte Carmelo Salles y Barangueras die sexta Decembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem hic sunt statuta, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibusvis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Martii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
& ANGELUS card. **SODANO**

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 431.775

III

Templum Beatissimae Virgini Mariae sub titulo Wallfahrt Maria Brünnlein in urbe Wemding situm, quod intra fines dioecesis Eistettensis exstat, ad gradum Basilicae minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Vere tamquam fidei catholicae angularis lapis in antiqua communitate ecclesiali Eistettensi in urbe Wemding sublimis eminet sacra aedes Beatissimae Mariae Virginis sub titulo *Wallfahrt Maria Brünnlein,* ad quam tribus iam saeculis christifideles impensa recurrunt pietate. Qua re motus, Venerabilis Frater Valtherus Mixa, Episcopus dioecesis Eistettensis, communia cleri fideliumque suorum preces ac vota excipiens, litteris die v mensis Februarii hoc anno datis, a Nobis petivit ut eadem sacra aedes titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaretur. Nos, peculiare dilectionis Nostrae documentum cupientes praebere, enixis precibus obsecundandum esse censuimus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute sacram aedem, quam memoravimus, titulo ac dignitate Basilicae minoris decoramus, cum omnibus iuribus et liturgicis concessionibus, quae aedibus id genus rite competunt, iis tamen servatis quae, secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Ceterum vota facimus ut auctus tam antiquae ac nobilis ecclesiae honor bene vertat in spiritale bonum omnium fidelium qui in eam ingredientur Dei auxilium nec non validissimum Beatae Mariae Virginis patrocinium rogaturi. Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xn mensis Septembris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
83 ANGELUS card. **SODANO**

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 488.806

HOMILIA

In beatificatione trium servorum Dei.*

1. « Dio lo chiamò dal roveto e disse: "Mose"... Rispose: "Eccomi!" ».[1]

Nella prima Lettura abbiamo ascoltato il racconto della vocazione di Mose. Dio rivela a Mose il proprio nome: « Io sono colui che sono! »,[2] perché lo comunichi al popolo d'Israele. Si stabilisce così un rapporto speciale di fiducia e di familiarità tra Dio ed il suo inviato. Egli viene investito dell'autorità di mediatore tra il popolo ed il suo Signore. Grazie a questa responsabilità, diventerà strumento di Dio per la liberazione di Israele dalla schiavitù dell'Egitto. Attraverso la sua opera, sarà lo stesso Jahve a condurre il popolo per quarantanni nel deserto fino alla terra promessa ed a concludere con esso la grande Alleanza del Sinai.

La storia della vocazione di Mose dimostra chiaramente come la chiamata alla comunione con Dio, e quindi alla santità, sia la necessaria premessa per ogni peculiare missione a favore della comunità ed a servizio dei fratelli.

L'iniziativa divina, che chiama una persona alla santità e le affida una missione speciale al servizio del prossimo, risplende in modo luminoso nell'esperienza spirituale dei tre nuovi Servi di Dio, che oggi ho la gioia di elevare alla gloria degli altari: Vincenzo Eugenio Bossilkov, Vescovo e Martire, Brigida di Gesù Morello, Religiosa e Fondatrice delle Suore Orsoline di Maria Immacolata, Maria del Carmen Sallés y Barangueras, Vergine e Fondatrice delle Religiose Concezioniste Missionarie dell'Insegnamento.

2. « Bevevano da una roccia spirituale che li accompagnava, e quella roccia era il Cristo ».[3] Il Vescovo martire Vincenzo Eugenio Bossilkov si è abbeverato alla roccia spirituale che è Cristo. Seguendo fedelmente il carisma del fondatore della sua Congregazione, san Paolo della Croce, ha coltivato intensamente la spiritualità della Passione. Si è dedicato, inoltre, senza riserve al servizio pastorale della Comunità cristiana a lui affidata, affrontando senza esitazione la prova suprema del martirio.

С това епископ монс Босилков се прсвърна в бляскава прослава за Цбрквата в своята Родина. Неустрашим свидстсл иа Христовия крбст,

* Die 15 Martii 1998.

[1] *Es* 3, 4.

[2] *Es* 3, 14

[3] *1 Cor* 10, 4.

той е една от многобройните жертви, конто атеистичният комунизъм погуби в България и другаде, в своята програма за унищожение на Църквата. В тези времена на преследване мнозина гледаха към него и от примера на неговата смелост почерпиха сили, за да останат докрй верни на Евангелието. Щастлив съм в този празничен ден за Българската нация, да отдам почит на всички, конто като монс. Босилков заплатиха с живота безрезерната си принадлежност към вярата получена в кръщението.

Mons. Bossilkov ha saputo unire in modo mirabile alla sua missione di Sacerdote e di vescovo un'intensa vita spirituale ed una costante attenzione alle esigenze dei fratelli. Oggi si propone a noi come figura eminente della Chiesa cattolica che è in Bulgaria, non solo per la sua vasta cultura, ma anche per la costante ansia ecumenica e l'eroica fedeltà alla Sede di Pietro.

Quando l'ostilità del regime comunista contro la Chiesa si fece più decisa e minacciosa, il beato Bossilkov volle rimanere accanto alla sua gente, pur sapendo che ciò significava rischiare la vita. Non temette di affrontare la bufera della persecuzione. Quando intuì che il momento della prova suprema s'avvicinava, scrisse al Superiore della sua Provincia religiosa: « Ho il coraggio di vivere, spero di averlo anche per subire il peggio, restando fedele a Cristo, al Papa e alla Chiesa! ».[4]

E così questo vescovo e martire, che durante tutta la sua esistenza si sforzò di essere immagine fedele del Buon Pastore, lo divenne in un modo del tutto speciale al momento della morte, quando unì il suo sangue a quello dell'Agnello immolato per la salvezza del mondo. Quale esempio luminoso per noi tutti, chiamati a testimoniare fedeltà a Cristo e al suo Vangelo! Quale grande incoraggiamento per quanti patiscono ancor oggi ingiustizie e vessazioni a causa della loro fede! Possa l'esempio di questo martire, che oggi contempliamo nella gloria dei Beati, infondere fiducia e ardore a tutti i cristiani, specialmente a quelli della cara Nazione bulgara, che può ormai invocarlo come suo celeste protettore.

3. « Buono e pietoso è il Signore, lento all'ira e grande nell'amore ». Queste parole, che la Liturgia di oggi presenta nel Salmo responsoriale, hanno sostenuto ed orientato l'eroica fedeltà al vangelo della beata Brigida di Gesù Morello, religiosa e fondatrice delle Suore Orsoline di Maria Immacolata. Le vicende della sua variegata esistenza — prima come giovane ricca di

[4] *Lettera* XIV.

virtù umane e spirituali, poi come sposa fedele e saggia, quindi come vedova cristiana, ed infine come persona consacrata e guida delle sue Consorelle — rispecchiano con singolare nitidezza il fiducioso abbandono della nuova Beata alla misericordia di Dio che è « lento all'ira e grande nell'amore ».

Ad una simile scuola la beata Brigida di Gesù imparò la fondamentale lezione dell'amore che si spende nella dedizione quotidiana al servizio del prossimo. In un'epoca nella quale gli ideali della femminilità erano scarsamente considerati, la Beata Morello mise in luce senza strepito il valore della donna nella famiglia e nella società. Innamorata di Dio, fu per questo sempre disponibile ad aprire il cuore e le braccia ai fratelli ed alle sorelle nel bisogno. Arricchita di doni mistici ma provata, allo stesso tempo, da lunghe e gravi sofferenze, non cessò di essere per i suoi contemporanei un'autentica maestra di vita spirituale ed un significativo esempio di mirabile sintesi tra vita consacrata ed impegno sociale ed educativo.

Nei suoi scritti traspare un costante invito alla fiducia in Dio. Amava ripetere: « Confidenza, confidenza, cuore grande! Dio ci è Padre e mai ci abbandonerà! ».

Non è forse singolarmente attuale questo messaggio che la nuova Beata ci propone? Questa nostra sorella nella fede, oggi elevata agli onori degli altari, ci ricorda con forza che amare Iddio è il segreto di ogni vero ed efficace impegno sociale a favore dei fratelli.

4. La primera lectura del libro del Éxodo presenta la vocación y misión de Moisés siguiendo un esquema típico de los relatos bíblicos vocacionales: la llamada divina, las objeciones del elegido, y la señal de protección y complacencia por parte de Dios. Estos elementos aparecen también en la vida de Carmen Salles y Barangueras, fundadora de las Concepcionistas Misioneras de la Enseñanza. Desde joven, la nueva Beata puso todo su empeño en clarificar la voluntad de Dios sobre ella. Diversas experiencias de vida religiosa la llevaron a descubrir que su misión en la Iglesia era sembrar el bien en la infancia y la juventud, para preservarlas de los males que las acechaban, y dotar a la mujer de una cultura y capacitación profesional que le permitiera insertarse dignamente en la sociedad.

Consagrada así a la educación femenina, venció numerosas dificultades sabiéndose un « instrumento inútil en manos de María Inmaculada »; asumió audaces proyectos madurados en la oración y en el consejo de personas bien formadas, repitiendo con firme confianza: « Adelante, siempre adelante. Dios proveerá ».

Mujer llena de valor, la Madre Carmen fundamentó su vida y su obra en una espiritualidad cristocéntrica y mariana alimentada por una piedad sòlida y discreta. Su carisma concepcionista, signo del amor del Señor por su pueblo, sigue hoy vivo en el testimonio de sus hijas que, como misioneras en las escuelas y colegios, trabajan con ahínco evangelizando desde la enseñanza.

5. « Fate penitenza, dice il Signore; il Regno di Dio è vicino ».[5] Il brano evangelico dell'odierna terza domenica di Quaresima sottolinea il tema fondamentale di questo « tempo forte » dell'anno liturgico: l'invito a convertirsi ed a compiere degne opere di penitenza.

I tre nuovi Beati, che oggi vengono presentati alla nostra venerazione, hanno saputo accogliere l'esigente proposta. Non è stato per loro un cammino facile. Hanno dovuto, infatti, affrontare prove e contrarietà; ma lo hanno fatto sempre con animo disposto a compiere sino in fondo la volontà divina. Hanno lottato contro il male operando il bene. Sono diventati, così, con la parola e con l'esempio, testimoni credibili per i loro contemporanei. Grazie al loro aiuto, molti altri hanno accolto Cristo ed il suo Vangelo di salvezza.

Nel nostro tempo, mentre ci avviamo ormai a grandi passi verso il terzo millennio, la vita di questi tre nostri illustri fratelli nella fede ci sia di sprone a seguire fedelmente il Signore nel cammino difficile, ma al tempo stesso luminoso, della fedeltà a Cristo.

Amen.

ALLOCUTIONES

I

Ad quosdam episcopos Civitatum Americae Septemtrionalis.*

Dear Brother BisJwps,

1. With great joy in the Lord I welcome you, the Pastors of the Church in the States of Minnesota, North Dakota and South Dakota, on your *ad*

[5] ***Canto al Vangelo;* cfr *Mt* 4, 17.**

*** Die 6 Iunii 1998.**

Limina visit. The thème of my reflections with the Bishops of your country this year is the duty, in view of the approaching new millennium, of renewed evangelization, for which the Second Vatican Council marvelously prepared the way. Today I wish to reflect on the laity in the Church's life and mission. The new evangelization that can make the 2Ist Century a springtime of the Gospel is a task for the entire People of God, but will dépend in a decisive way on the lay faithful being fully aware of their baptismal vocation and their responsibility for bringing the good news of Jesus Christ to their culture and society.

The Fathers of the Second Vatican Council gave special attention to the dignity and mission of the lay faithful, urging them "in the Lord's name to give a glad, generous and prompt response to the impulse of the Holy Spirit and to the voice of Christ, who is giving them an especially urgent invitation at this moment".[1] In order to restore the needed balance to ecclesial life, the Council dedicated an extremely rieh chapter in *Lumen gentium* to the role of the laity in the Church's saving mission, and it further developed this thème in the Decree on the Apostolate of the Laity *(Apostolicam actuositatem)*. With specific référence to contemporary circum - stances, that mission was specified stili more concretely in the Pastoral Constitution on the Church in the Modem World *(Gaudium et spes)*. In thèse documents and others the Council sought to extend the great flourishing of the lay apostolate which had characterized previous décades. More and more lay people had taken to heart the stirring words of Pope Pius XII: "Lay believers are in the front line of Church life; for them the Church is the animating principie of human society. Therefore, they in particular ought to have an ever clearer consciousness not only of belonging to the Church, but of being the Church".[2]

2. It was in this context of vigorous lay action that the Council could clearly affirm: "It is evident to everyone that ali the faithful of Christ of whatever rank or status are called to the fullness of the Christian life and to the perfection of charity";[3] and the Council's Decree on the Apostolate of the Laity makes it clear that lay people are called to exercise the apostolate in the Church and in the world.[4] Lay men and women have indeed

[1] *Apostolicam actuositatem,* 33.
[2] *Discourse,* 20 February 1946
[3] *Lumen gentium,* 40.
[4] Cf. *Apostolicam actuositatem,* 5.

responded to this call. Everywhere there has been a blossoming of various forms of lay participation in the Church's life and mission. Much has also been done since the Council to explore more deeply the theological basis for the vocation and mission of the laity. This development reached a certain maturity in the 1987 Synod of Bishops on the role of the Laity, with the subséquent Post-Synodal Apostolic Exhortation *Christifideles laici,* published on 30 December 1988. The Synod indicated the concrete ways in which the Council's rich teaching on the lay state could be further translated into practice. One of its principal achievements was to set the various ministries and charisms within the framework of an ecclesiology of communion.[5] Thus it dealt with the specific role of the laity, not as an extension or dérivation of the clerical and hierarchical role, but in relation to the fundamental truth that ali the baptized receive the same sanctifying grâce, the grâce of justification by which each one becomes a "new creature", an adopted child of God, a "partaker of the divine nature", a member of Christ and co-heir with him, a temple of the Holy Spirit.[6] Ali the faithful — both ordained ministers and laity — together form the one body of the Lord: "Here there cannot be Greek and Jew, circumcised and uncircumcised, barbarían, Scythian, slave, free man, but Christ is all, and in ail".[7]

We are witnessing a return to the authentic theology of the laity found in the New Testament, where the Church, the body of Christ, is the whole of the chosen race, the royal priesthood, the holy nation, God's own people,[8] and not a portion of it. Saint Paul reminds us that the growth of the body dépends on every member playing its part: "If we live by the truth and in love, we shall grow in ail ways into Christ, who is the head, by whom the whole body is fitted and joined together, every joint adding its own strength, for each separate part to work according to its function. So the body grows until it has built itself up, in love".[9] In preparing for the great ecclesial event that was the Second Vatican Council, Pope John XXIII was so struck by these words that he declared that they deserved to be inscribed on the Council's doors.[10]

[5] Cf. *Christifideles laici,* 21
[6] Cf. *Catechism of the Catholic Church,* No. 1265.
[7] *Col* 3:11
[8] Cf. *1 Pt* 2:9.
[9] *Eph* 4:15-16
[10] Cf. *Address on Pentecost Sunday,* 5 June 1960.

In an ecclesiology of communion, the Church's hierarchical structure is not a matter of power but of service, completely ordered to the holiness of Christ's members. The threefold -duty to teach, sanctify and govern, ' entrusted to Peter and the Apostles and their successors, "has no other purpose except to form the Church in line with the ideal of sanctity already programmed and prefigured in Mary".[11] The Marian dimension of the Church is prior to the Petrine or hierarchical dimension, "as well as being supreme and pre-eminent, richer in personal and corrimunitarian implications for the various ecclesial vocations".[12] If I mention thèse well-known truths, it is because everywhere in the Church, and not least in your country, we see the spread of a fresh and invigorating lay spirituality and the magnifícent fruits of the laity's greater involvement in the Church's life. As we approach the Third Christian Millennium it is of paramount importance that the Pope and the Bishops, fully conscious of their own special ministry of service in the Mystical Body of Christ, continue to "stir and promote a deeper awareness among ali the faithful of the gift and responsibility they share, both in association and as individuáis, in the communion and mission of the Church".[13]

3. The liturgical renewal which the Council ardently desired and fostered has resulted in the more fréquent and lively participation of the lay faithful in the tasks proper to them in the liturgical assembly. Full, active and conscious participation in the liturgy should give birth to a more vigorous lay witness in the world, not a confusion of roles in the worshipping community. Based on the will of Christ himself, there is a fundamental distinction between the ordained ministry arising from the Sacrament of Holy Orders, and the functions open to lay people, and founded on the Sacraments of Baptism, Confirmation and, for most, Matrimony. The intention of the Holy See's recent Instruction on *Certain Questions Regar ding the Collaboration of the Non-Ordained Faithful in the Sacred Ministry of Priests* has been to reaffirm and clarify the canonical and disciplinary norms regulating this area, by putting the relevant directives in relation to the theological and ecclesiological principies involved. I urge you to ensure that the liturgical life of your communities is led and governed by the grâce of Christ working through the Church, which the Lord intended as a hierarchical

[11] *Address to the Roman Curia,* 22 December 1987, 3..
[12] *Ibid.*
[13] *Christifideles laici,* 2.

communion. The distinction between the priesthood of the faithful and the ministerial priesthood must always be respected, since it belongs to "the constitutive form which [Christ] indelibly impressed on his Church".[14]

4. As the Fathers at the 1987 Synod on the Laity pointed out, it is an inadequate understanding of the role of the laity which leads lay men and women to become so strongly interested in Church services and tasks that they fail to become actively involved in their responsibilities in the professional, social, cultural and politicai field.[15] The first requirement of the new evangelization is the actual witness of Christians who live by the Gospel: "Let your light so shine before men, that they may see your good works and give glory to your Father who is in heaven".[16] Since lay people are at the forefront of the Church's mission to evangelize ali areas of human activity — including the workplace, the worlds of science and medicine, the world of politics, and the diverse world of culture — they must be strong enough and sufficiently catechized "to testify how the Christian faith constitutes the only valid response... to the problems and hopes that life poses to every person and society".[17] As my predecessor Pope Paul VI put it: "Take a Christian or a handful of Christians who in the midst of their own community show their capacity for understanding and acceptance, their sharing of life and destiny with other people, their solidarity with the efforts of ali for whatever is noble and good. Let us suppose that, in addition, they radiate in an altogether simple and unaffected way their faith in values that go beyond current values, and their hope in something that is not seen and that one would not dare to imagine. Through this wordless •witness these Christians stir up irresistible questions in the hearts of those who see how they live: Why are they like this? Why do they live in this way? What or who is it that inspires them? Why are they in our midst? Such a witness is already a silent proclamation of the Good News and a very powerful and effective one".[18] Through God's grace, your particular Churches are ali gifted with Catholic men and women eager to live a full Christian life and tó work for Christ's kingdom in the world around them. The Bishops must not fail them by a lack of pastoral leadership. In your

[14] ***Discourse at the Symposium on "The Participation of the Lay Faithful in the Priestly Ministry",* 22 Aprii 1994, 5.**

[15] **Cf. *Christifideles laici,* 2.**

[16] ***Mt* 5:16.**

[17] ***Christifideles laici,* 34.**

[18] ***Evangelii nuntiandi,* 21,**

ministry and governance you have to impress on everyone the importance of formation and adult catechesis, prayer and sacramental practice, a real commitment to the evangelization of culture and the application of Christian moral and social doctrine in public and private life.

5. The immediate and in many ways most important arena of the laity's Christian witness is marriage and the family. Where family life is strong and healthy, the sensé of community and solidarity is also strong, and this helps to build that "civilization of life and love" which must be everyone's aim. But where the family is weak, ali human relationships are exposed to instability and fragmentation. Today the family is under pressure from many quarters: "The family is placed at the center of the great struggle between good and evil, between life and death, between love and ali that is opposed to love. To the family is entrusted the task of striving, first and foremost, to unleash the forces of good, the source of which is found in Christ the Redeemer of man".[19] At a time when the very définitions of marriage and family are endangered by attempts to enshrine in législation alternative and distorted notions of these basic human communities, your ministry must include the clear proclamation of the truth of God's originai design.

Since the Christian family is the "domestic church", couples must be helped to relate their family life in concrete ways to the life and mission of the Church.[20] The parish should be a "family of families", helping in every way possible to nourish the spiritual life of parents and children through prayer, the word of God, the sacraments, and the witness of holiness and charity. Bishops and priests should be eager to help and encourage families in every way, and should give their support to groups and associations which promote family life. While it is important that the local Church respond to the needs of people in problem situations, pastoral planning should also give adequate attention to the needs of ordinary families seeking to live up to their vocation. These families are the backbone of society and the hope of the Church: the principal promoters of Christian family life are couples and families themselves, who have a special responsibility to be servants of other couples and families.

6. This year marks the thirtieth anniversary of the publication by my predecessor Pope Paul VI of the Encyclical Letter *Humanae vitae.* The

[19] **Cf. *Letter to Families,* 23,**
[20] **Cf. *Familiaris consortio,* 49,**

truth about human sexuality, and the Church's teaching on the sanctity of human life and on responsible parenthood, must be presented in the light of the theological development which has followed that document, and in the light of the expérience of couples who have faithfully followed this teaching. Many couples have experienced how natural family planning promotes mutual respect, encourages tenderness between husband and wife, and helps develop an authentic inner freedom.[21] Their expérience deserves to be shared, for it is the living confirmation of the truth which *Humanae vitae* teaches. In contrast, there is a growing awareness of the serious harm caused to marital relationships by recourse to artificial contraception, which, because it inevitably thwarts the total self-giving implied in the conjugal act, at one and the same time destroys its procreative meaning and weakens its unitive significance.[22]

die 19 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Brixiensi Exc.mum P.D. Iulium Sanguineti, hactenus Episcopum Ecclesiae Spediensis-Sarzanensis-Brugnatensis.

die 22 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Sebargensi R.D. Franciscum Dietl, e clero Monacensi et Frisingensi, in oppido vulgo Oberammergau curionem et vicarium foraneum, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Speciale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì 17 Dicembre 1998 le LL.EE. i Signori LALESWAR RUMAR NARAGAYAN SINGH, Ambasciatore della Repubblica Cooperativistica della Guyana presso la Santa Sede.

ISAAC AGBOOLA ALUKO-OLOKUN, Ambasciatore della Nigeria presso la Santa Sede.

APAS DSCHUMAGULOV, Ambasciatore del Kyrgyzstan presso la Santa Sede.

SUKH-OCHIR BOLD, Ambasciatore di Mongolia presso la Santa Sede.

Lunedì, 21 Dicembre 1998, S.E. il Signor SVETLOZAR DIMITROV RAEV, Ambasciatore di Bulgaria presso la Santa Sede.

Ha altresì ricevuto in Udienza:

Martedì, 24 Novembre 1998, S.E. il Signor LAURENT-DÉSIRÉ KABILA, Presidente della Repubblica democratica del Congo.

Giovedì, 3 Dicembre 1998, S.E. il SIGNOR VIKTOR KLIMA, Cancelliere Federale dell'Austria.

Martedì, 15 Dicembre 1998, S.E. il Signor VALERIY P. PUSTOVOITENKO, Primo Ministro dell'Ucraina.

Da domenica 22 novembre a sabato 12 dicembre 1998 il Santo Padre ha presieduto l'Assemblea speciale del Sinodo dei Vescovi per l'Oceania.

Lunedì 21 dicembre 1998 si è riunita nel Palazzo Apostolico Vaticano la Congregazione delle Cause dei Santi « coram SS.mo ».

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

28 novembre 1998. Mons. Salvatore Pennacchio, Arcivescovo tit. eletto di Montemarano, *Nunzio Apostolico in Rwanda.*

5' dicembre 1998. **S.E. mons. Francesco Canalini, Arcivescovo tit. di Valeria,** ***Nùnzio Apostolico in Australia.***

7 » » **S.E. mons. Gabriel Montaivo, Arcivescovo tit. di Celene,** ***Nunzio Apostolico negli Stati Uniti d America nonché Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Organizzazione degli Stati Americani (O.A.S.).***

» » » **Mons. Alain Paul Charles Lebeaupin, Arcivescovo tit. eletto di Vico Equense,** ***Nunzio Apostolico in Ecuador.***

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

7 novembre 1998. **Le LL.EE. i monsignori Theodore McCarrick, Arcivescovo di Newark; Piotr Jarecki, Vescovo tit. di Avissa; il sig. Dagoberto Valdés; la prof.ssa Renata Livraghi,** ***Membri del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace « ad quinquennium ».***

» » » **Il sig. Manuel Gomes Granados,** ***Membro del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace « in aliud quinquennium ».***

12 » » **S.E. mons. Giuseppe Pittau; S.E. mons. Maurice Gaidon, Vescovo di Cahors; mons. Michael Heller; mons. Bruno Forte; mons. Werner Freistetter; mons. Pierre Gaudette; mons. Sergio Lanza; sig.ra dott. Judith Francés Champs; sig. Gilles Deliance; sig. prof. Manuel Diaz Cid; rev. Jean Mbarga; sig. prof. Yoshio Oyanagi; p. Marko Rupnik, S.I.,** ***Consultori del Pontificio Consiglio della Cultura « ad quinquennium ».***

» » » **S.E. mons. Theotonius Gomes; S.E. mons. Michael Louis Fitzgerald; p. Georges Marie Martin Cottier, O.P.; mons. Carlos Manuel de Céspedes García-Menocal; sig. prof. Gaspare Mura; sig. prof. Radim Palous; p. John Mansford Prior, S.V.D.; p. Jaime Vêlez Correa, S.I.; sig. prof. Juan de Dios Vial Correa; sig. Krzysztof Zanussi,** ***Consultori del Pontificio Consiglio della Cultura « in aliud quinquennium ».***

16 » » **I monsignori Sebastiano Corsanego e Leonardo Erriquenz,** ***Capi Ufficio nella Sezione per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato.***

19 » » **S.E. mons. Paul Josef Cordes,** ***Membro della Congregazione delle Cause dei Santi e del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace « ad quinquennium ».***

7 dicembre » **S.E. mons. Giorgio Zur, Arcivescovo tit. di Sesta,** ***Presidente della Pontificia Accademia Ecclesiastica.***

16 dicembre 1998. P. Giuseppe Carnevale, O.M.I, *Capo Ufficio nella Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti.*
19 » » P. Antonio Fanelli, O.S.I., *Promotore di Giustizia del Tribunale della Bota Romana « in aliud quinquennium ».*
» » » Mons. Giovanni Verginelli, *Difensore del Vincolo del Tribunale della Rota Romana « in aliud quinquennium ».*
1 gennaio 1999. P. Brian Farrell, L.C, *Capo Ufficio nella Sezione per gli Affari Generali della Segreteria di Stato.*

NECROLOGIO

6 novembre 1998. Mons. Elias Nijmé, Arcivescovo em. di Tripoli del Libano dei Greco-Melkiti.
15 Mons. Leo A. Pursley, Vescovo em. di Fort Wayne-South Bend *(Stati Uniti d America).*
23 Mons. Stanislau A. Van Melis, Vescovo em. di Säo Luis de Montes Belos *(Brasile).*
28 Mons. Frederick W. Freeking, Vescovo em. di La Crosse *(Stati Uniti d America).*
1 dicembre Mons. Gian Francesco Arrighi, Vescovo tit. di Vico Equense.
2 Mons. Americo do Couto Oliveira, Vescovo di Lamego *(Portogallo).*
Mons. Ferdinando Maggioni, Vescovo em. di Alessandria *(Italia).*
6 Mons. Giovanni Gazza, Vescovo em. di Aversa *(Italia).*
» Mons. Vicente de Paulo Araújo Matos, Vescovo em. di Cratos *(Brasile).*
7 Card. Carlos Oviedo Cavada, del titolo di S. Maria della Scala.
» Mons. Demetrio Mansilla Reoyo, Vescovo em. di Ciudad Rodrigo *(Spagna).*
15 Mons. Giuseppe Garneri, Vescovo em. di Susa *(Italia).*
17 Mons. Alberto Piamonte, Arcivescovo di Jaro *(Filippine).*

An. et vol. XCI 5 Februarii 1999

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE SUB PLUMBO DATAE

quibus Anni Bismillesimi magnum indicitur Iubilaeum

1. Incarnationis mysterium Filii Dei contuens intenta iamiamque tertii millennii transitura limen est Ecclesia. Numquam sic ut hoc tempore oportere Nos sentimus laudis gratiarumque actionis carmen Apostoli efficere nostrum: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate, qui predestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum beneplacitum voluntatis suae [...] notum faciens nobis mysterium voluntatis suae, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensationem plenitudinis temporum: recapitulare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra, in ipso» *(Eph* 1, 3-5.9-10).

Quibus nempe ex vocibus manifesto sequitur in Christo Iesu salutis historiam evadere in summum suamque attingere ultimam significationem. Omnes enim in ipso «gratiam pro gratia» *(Io* 1, 16) accepimus meruimusque ut cum Patre conciliaremur (cfr *Rom* 5, 10; *2 Cor* 5, 18).

Iesu Betlehemiticum ortum praeterito cum tempore haud licet consociari. Etenim universi hominum annales coram ipso consistunt: eius quidem praesentia tam hodierna quam futura orbis illuminatur aetas. Is namque «vivens» est *(Ap* 1, 18) atque ille «qui est et qui erat et qui venturus est» *(Ap* 1, 4). Ante ipsum omne genu flectatur caelestium et terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia ille est Do-

minus (cfr *Philp* 2, 10-11). Suae praeterea vitae arcanum detegit quisque homo Christo occurrens.[1]

Vera Iesus illa novitas est quae omnem hominum excedit exspectationem talisque semper succedentibus sibi historiae aetatibus persistet. Sunt itaque Filii Dei incarnatio ab eoque per mortem ac resurrectionem comparata salus ad iudicandam rerum temporariarum veritatem regula vera nec non ad omne aestimandum propositum, quo reddi hominis vita debeat magis etiam humana.

2. Magnum anni **MM** Iubilaeum iam ipsum impendet. A primis inde Nostris Litteris Encyclicis *Redemptor hominis* eo solo consilio providimus hunc terminum temporis ut omnium animi expedirentur unde Spiritus Sancti impulsionibus dociles fierent.[2] Hic scilicet eventus simul quidem Romae celebrabitur simul singulas apud Ecclesias particulares per orbem disseminatas habebitque duas, ut ita dicamus, praecipuas sedes: Civitatem alteram, ubi Providentiae statuere placuit Successoris Petri commorationem, alteram vero Terram Sanctam, ubi Dei Filius natus est homo, carne nostra ex Virgine nomine Maria suscepta (cfr *Lc* 1, 27). Quapropter aequali dignitate pondereque peragetur Iubilaeum, etiam extra Romam, in Terra illa iure ac merito « Sancta » appellata, quae nascentem vidit aliquando Iesum ac morientem. Terra illa, in qua prima christiana communitas germinata effloruit, locus est ubi re vera contigerunt Dei revelationes hominibus factae. Promissa Terra est quae populi Hebraici annales signavit atque ab Mahometanae religionis adsectatoribus honoratur. Utinam ideo ulteriores gressus Iubilaeum illud incitare valeat reciproco in dialogo donec universi coniuncti, Hebraei Christiani Mahometani, osculum Hierosolymis inter nos dabimus pacis.[3]

Hoc iubilare tempus nos solidum illum in sermonem reducit quo divina utitur salutis paedagogia ut ad conversionem paenitentiamque hominem incitet, quae initium quidem et via est ipsius renovationis atque etiam condicio qua recuperare id valeat quod viribus suis aliter consequi non posset: Dei nempe amicitiam eiusque gratiam et supernaturalem vitam, in qua sola altissima cordis humani desideria expleri possint.

Cohortatur hic in novum millennium introitus christianam omnem communitatem ut suum fidei prospectum dilatet novos ad fines in regni Dei

[1] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 22.

[2] Cfr n. 1: *AAS* 71 (1979), 258.

[3] Cfr IOANNES PAULUS II, Epist. Ap. *Redemptionis anno* (20 Aprilis 1984): *AAS* 76 (1984), 627.

annuntiatione. Hac peculiari in re ad Concilii Vaticani II doctrinam confirmata fidelitate est redeundum, quod novam lucem proiecit in *missionale Ecclesiae munus* hodiernas ante evangelizationis necessitates. In Concilio enim maiorem sui mysterii conscientiam suscepit Ecclesia nec non apostolici operis sibi suo a Domino commendati. Obligat proinde credentium communitatem haec conscientia ut in mundo ipsi vivant plane se esse scientes id quod est « fermentum et veluti anima societatis humanae in Christo renovandae et in familiam Dei transformandae ».[4] Huic igitur ut officio efficaciter respondeat persistere ea debet in unitate suaque in communionis vita crescere.[5] Adveniens iubilaris eventus vehementem adfert in hanc ipsam partem stimulum.

Credentium gressus tertium ad millennium haud fatigationem illam percipit quam duorum milium historiae annorum pondus secum importare potest; recreatos potius se christiani esse sentiunt quandoquidem lucem veram Christum Dominum in mundum inferre se noverunt. Iesum Nazarenum, Deum verum perfectumque Hominem, annuntians aperit Ecclesia ante unumquemque hominem spem illam posse eum « divinizan » sicque magis fieri hominem.[6] Haec unica via est qua supremam suam vocationem detegere valeant homines ad quam destinantur eamque in salute a Deo effecta implere.

3. Hisce annis proximae ad Iubilaeum praeparationis particulares Ecclesiae, ea videlicet exsequentes quae Nostris in Litteris *Tertio millennio adveniente* scripsimus,[7] per precationem sese iam comparant, per catechesim perque formis in diversis pastoralibus actuositatem hunc ad temporis terminum qui novam in gratiae missionisque aetatem introducit Ecclesiam totam. Appropinquans iubilare eventum studium pariter incitat eorum quotquot propitium conquirunt signum quod eos vere adiuvet ad Dei nostro in tempore praesentis vestigia deprehendenda.

[4] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 40.

[5] Cfr IOANNES PAULUS II, Litt,, Ap., *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 36: *AAS* 87 (1995), 28,

[6] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 41.

[7] Cfr *ibid.,* 39-54: *AAS* 87 (1995), 31-37.

Praeparationis hi anni ad Iubilaeum sub nomine Sanctissimae Trinitatis designati sunt: per Christum — in Spiritu Sancto — ad Deum Patrem. Trinitatis mysterium itineris fidei principium est extremusque eius finis, cum nostri denique in aeternum contemplabuntur oculi Dei ipsius vultum. Incarnationem celebrantes fixum nostrum tenemus intuitum in Trinitatis mysterium. Iesus Nazarenus, Patris revelator, cupiditatem explevit illam in hominis animo absconditam ut Deum cognoscat. Quaecumque in se creatio impressa adservabat veluti creantis Dei manus sigillum et quae Prophetae antiqui tamquam promissa renuntiaverant, in Christi revelatione extremam suam consequuntur patefactionem.[8]

Iesus Dei Patris vultum revelat qui « misericors est Dominus et miserator » ***(loc*** 5, 11) Sanctumque emittens Spiritum arcanum recludit amoris Trinitatis. Christi enim Spiritus in Ecclesia atque historia operatur: in Ipso nempe auscultare oportet ut temporum novorum signa agnoscantur atque redeuntis Domini glorificati exspectatio magis magisque viva reddatur credentium in animis. Laudis propterea canticum perpetuum esse debet Annus Sanctus adversus Summum Deum id est Trinitatem. Adiumento nobis poeticae voces sunt sancti Gregorii Nazianzeni, Theologi:

Gloria Deo Patri et Filio omnium dominatori:
Gloria Spiritui quam maxima laude celebrando, sanctissimo.
Trinitas unus Deus est, qui creavit implevitque omnia,
Caelum caelestibus, terram terrestribus,
Mare et flumina, et fontes implevit aquatilibus,
Omnia vivificans virtute proprii Spiritus:
Ut sapientem creatorem omnis creatura laudet,
Qui, quod vivant et permaneant, causa est unica.
Rationis vero compos maxime natura semper celebret,
Ut regem magnum, ut bonum patrem.[9]

4. Utinam hoc carmen ad Trinitatem ob Filii ipsius incarnationem ab omnibus simul tollatur quotquot eodem imbuti Baptismate eiusdem in Domino Iesu fidei sunt consortes. Oecumenica Iubilaei indoles solidum sit illius itineris indicium quod superioribus his potissimum decenniis variarum Ecclesiarum Communitatumque ecclesialium conficiunt fideles. Idoneos nos omnes efficere debet Spiritus auditio ut in universali communione gratiam

[8] **Cfr** CONC. OECUM. VAT. II, **Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum,*** 2.4.
[9] ***Carmina dogmatica, XXXI, Hymnus alius: PC*** 37, 510-511.

tandem demonstremus filiationis Baptismo incohatae: universi enim unius Patris sumus filii. Nec desinit iterari umquam et inculcare etiam nobis Apostolus vehementem suam cohortationem: « Unum corpus et unus Spiritus, sicut et vocati estis in una spe vocationis vestrae; unus Dominus, una fides, unum baptisma; unus Deus et Pater omnium, qui super omnes et per omnia et in omnibus » (*Eph* 4, 4-6). Ut sancti etiam Irenaei utamur verbis: haud licet nobis terrae cuiusdam aridae imaginem hominibus praebere postquam veluti pluviam de caelo delapsam Dei Verbum recepimus; nec asseverare umquam poterimus unicum nos fieri panem, si aquae ope quae in nos est effusa impediamus ne farina misceatur.[10]

Sicut ad celebritatem nuptialem omnis iubilaris annus est invitatio. Multiplicibus ex Ecclesiis et ecclesialibus Communitatibus per orbem dissitis cuncti nos ad festivitatem quae apparatur concurrimus; id quo coniungimur nobiscum adferamus intentique unum in Christum oculi crescere nos sinant in unitate quae Spiritus fructus est. Episcopus Romanus, uti sancti Petri Successor, adest hic, qui ad iubilarem celebrationem reddat multo vehementiorem hanc invitationem, ut bismillesimum hoc praestitutum tempus mysterii praecipui ipsius christianae fidei vivatur tamquam reconciliationis semita nec non verae spei documentum iis omnibus qui Christum respiciunt eiusque Ecclesiam «veluti sacramentum... intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[11]

5. Quot in memoriam revocat eventus haec iubilaris celebritas! Ad annum prius revertitur cogitatio MCCC, cum totius populi Romani optata suscipiens aperuit sollemni modo pontifex Bonifatius VIII primum in historia Iubilaeum. Repetens nempe perantiquam traditionem, ex qua «concessae sunt magnae remissiones et indulgentiae peccatorum » omnibus aeterna in Urbe sancti Petri adeuntibus basilicam, decrevit eo tempore concedere «non solum plenam et largiorem, immo plenissimam omnium... veniam peccatorum ».[12] Quo ex tempore Ecclesia semper Iubilaeum deinceps celebravit tamquam significantem omnino suae peregrinationis passum ad plenitudinem in Christo.

Demonstrant annales quam fervido studio Annos Sanctos semper peregerit ipse Populus Dei, cum in illo deprehenderet occasionem ubi Iesu invitamentum ad conversionem vehementius persentiebatur. Per hoc iter abu-

[10] Cfr *Adversus haereses,* III, 17: *PO* 7, 930.

[11] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 1.

[12] Bulla *Antiquorum habet* (12 Februarii 1300): Bullarium Romanum III/2, p. 94.

sus etiam contigerunt et falsae interpretationes, verumtamen longe maiores fuerunt fidei verae testificationes sinceraeque caritatis. Singularem in modum hoc etiam testatur ipsa sancti Philippi Neri figura qui occasione data Iubilaei anni **MDL** « caritatem Romanam » condidit uti aspectabile monumentum hospitalitatis in peregrinatores. Recenseri potest longa sanctitatis narratio a consuetudine Iubilaei initio facto nec non a conversionis effectibus quos gratia veniae tot in credentibus peperit.

6. Nostro pariter in Pontificatu gaudio praecipuo fuit anno MCMLXXXIII Iubilaeum extra ordinem indicere propter MCML a genere hominum redempto annos completos. Hoc mysterium, Christi morte resurrectioneque perfectum, apicem signat cuiusdam eventus qui suum principium habuit in Filii Dei incarnatione. Propterea apte exsistimari potest hoc Iubilaeum « magnum », seque Ecclesia vehementer cupere declarat suis bracchiis omnes complecti credentes quibus nempe reconciliationis impertiatur laetitiam. Ab universa sic Ecclesia laudis gratiarumque hymnus ad Patrem attolletur qui incomparando suo ex amore nobis tribuit ut simus in Christo « concives sanctorum et domestici Dei» *(Eph* 2, 19). Maxima hac incidente festivitate invitantur ex animo nobiscum gaudentibus aliarum religionum assertores perinde ac omnes quotquot Dei fide sunt alieni ut ipsi gaudeant. Veluti unius hominum familiae fratres, limen novi millennii coniuncti transgredimur quod ab omnibus datam operam postulabit et officiorum conscientiam.

Nobis porro credentibus magna luce collustrabit iubilaris annus redemptionem a Christo propria morte ac resurrectione peractam. Quam post mortem, nemo amplius a Dei amore seiungi poterit (cfr *Rom* 8, 21-39), nisi sua ipsius culpa. Misericordiae gratia singulis occurrit ut qui sunt iam reconciliati etiam « salvi... in vita ipsius » *(Rom 5,* 10) esse valeant.

Constituimus idcirco ut *Magnum Anni M M Iubilaeum nocte ipsa Christi Natalis anno undebismillesimo incipiat,* reclusa videlicet porta sancta Basilicae Petrianae in Urbe Vaticana, id quod paucis accidet horis ante quam inauguralis celebratio Hierosolymis et apud Betlehem incohetur, simulque reliquis reseratis portis sanctis Patriarchalium omnium Basilicarum. Ritus portae sanctae in Basilica sancti Pauli aperiendae differetur in subsequentem diem Martis xvin mensis Ianuarii, cum precationis Hebdomada pro christianorum unitate inibitur; hoc etiam modo peculiaris indoles effertur oecumenica qua hoc distinguitur Iubilaeum.

Decernimus insuper ut apud particulares Ecclesias Iubilaei initium sanctissimo Natalis Domini Iesu celebretur die et quidem sollemni Eucharistico ritu cui in aede cathedrali nec non concathedrali dioecesanus praeerit Episcopus. Licebit Episcopo in concathedrali officium praesidendi illi celebrationi suo concredere legato. Quoniam vero ritus portae sanctae reserandae omnino ad Basilicam Vaticanam adque Patriarchales Basilicas pertinet, iubilaris temporis principium singulas apud dioeceses decebit extollere *stationem* alia in aede sacra unde peregrinatio ad cathedrale templum procedet, liturgicam honorationem Libri Evangeliorum, recitationem nonnullarum huius Nostri scripti partium secundum « Ritum Magni Iubilaei particularibus in Ecclesiis celebrandi ».

Sit autem omnibus Natalis dies anni undebismillesimi sollemnitas luce effingens, praelusioque ad experientiam gratiae ac misericordiae divinae prorsus intimam quae usque producetur ad *Anni Iubilaris conclusionem die Epiphaniae Domini Nostri Iesu Christi, scilicet VI Ianuarii anno bismillesimo primo.* Invitantibus Angelis quisque credens obsequatur qui sine intermissione annuntiant: « Gloria in altissimis Deo, et super terram pax hominibus bonae voluntatis» *(Lc* 2, 14). Natalicium tempus ita fiet pulsans Anni Sancti velut cor, quod Ecclesiae in vitam donorum Spiritus abundantiam ad novam evangelizationem infundet.

7. Iubilaei institutio sua in progressione quibusdam locupletata est indiciis quae fidem testantur populique christiani pietatem confirmant. Memoranda inter haec in primis est *peregrinatio.* Ad illam enim personam nos reducit quae suam vitam uti iter libenter describit. Ab ortu usque ad occasum cuiusque hominis condicio est quidem *hominis viatoris* propria. Saepius ipsa vicissim Sacra Scriptura momentum effert illius actus quo quis arripit iter ut ad sacra perveniat loca; mos erat ut Israelita omnis peregrinans se ad illam urbem conferret ubi foederis adservabatur arca sive ut sacrarium Bethel inviseret (cfr *Idc* 20, 18) aut etiam illud-Siloe ubi Annae Samuelis matris exaudita est precatio (cfr *1 Sam* 1,3). Sua porro sponte sese subdens Legi Iesus quoque cum Maria una et Iosepho peregrinationem egit sanctam ad Hierosolymitanam civitatem (cfr *Lc* 2, 41). Ecclesiae historia est veluti vivens quoddam diarium peregrinationis numquam finitum. Ad civitatem enim peregrinantur sanctorum Petri et Pauli tum etiam in Terram Sanctam vel ad antiqua versus et nova sanctuaria Virgini Mariae dicata aliisque Sanctis: haec, ecce, tot fidelium meta est hoc pacto suam nutrientium pietatem.

Praecipuum semper fuit tempus peregrinatio in credentium vita quod aliis aetatibus alias sumebat formas culturae diversas. Revocat ea peregrinationem cuiusque credentis in Redemptoris ipsius vestigia: exercitatio est actuosae asceseos nec non paenitentiae humanas ob infirmitates, perpetuae de sua cuiusque fragilitate vigilantiae atque interioris praeparationis ad cordis reformationem. Per vigilias et ieiunia precesque progreditur peregrinator in christianae perfectionis semita studens, gratiae Dei sustentatus, ut transeat « in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » *(Eph* 4, 13).

8. Peregrinationi autem huic signum comitatur *portae sanctae,* quae primum in Basilica Ss.mi Salvatoris in Laterano tempore Iubilaei anno MCCCCXXIII est aperta. Commemorat ipsa transitum quem singuli christiani invitantur ut a peccato faciant ad gratiam. Ait enim Iesus: « Ego sum ostium » *(Io* 10, 7) ut neminem accedere ad Patrem posse significaret nisi per semet ipsum. Haec quam de se facit Iesus appellatio testatur ipsum solum esse Salvatorem a Patre emissum. Unus nempe aditus est quo ingressio aperitur ad communionis vitam cum Deo: accessus hic Iesus est, unica atque salutis via absoluta. Uno in eo plenam veritatem assequitur Psalmistae vox: « Haec porta Domini; iusti intrabunt in eam » *(Ps* 118 [117], 20).

Portae haec indicatio officium meminit omnis credentis ut limen illud transgrediatur. Per eam portam ingressio significat hominem confiteri Iesum Christum esse Dominum, dum fidem in eum vivificat ut novam vitam ab illo nobis concessam vivendo compleat. Voluntatis motus est hic qui libertatem eligendi praeponit simulque audaciam aliquid derelinquendi, cum constet inde vitam obtineri divinam (cfr *Mt* 13, 44-46). Hoc nimirum animi affectu Pontifex ipse primus portam sanctam nocte illa transibit inter vicesimum quartum et vicesimum quintum Decembris mensis diem anno undebismillesimo. Ecclesiae atque omni orbi limen illud transgrediens Pontifex Sanctum Evangelium ostentabit, vitae fontem ac spei tertium in millennium adventurum. Per portam sanctam praeterea, quae exeunte millennio speciem prae se fert maioris amplitudinis,[13] nos altius in Ecclesiam Corpus suum ac Sponsam inseret Christus. Hac ratione quantam vim prae se ferat Apostoli Petri admonitio intellegimus, quippe qui etiam scribat quo pacto et nos cum Christo coniuncti adhibeamur «tamquam lapides vivi... domus

[13] Cfr IOANNES PAULUS II, Litt. Ap *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 33: *AAS* 87 (1995), 25.

spiritalis in sacerdotium sanctum offerre spiritales hostias acceptabiles Deo » (i *Pe* 2, 5).

9. Fidelibus pariter notissimum aliud est peculiare signum, *indulgentia* videlicet quod unum est ex elementis quae iubilarem efficiunt eventum. Misericordiae Patris in ea commonstratur plenitudo, qui omnibus suo amore obvius procedit, qui ante omnia in culparum condonatione declaratur. Communiter Deus Pater veniam per sacramentum Paenitentiae et Reconciliationis tribuit.[14] Conscius enim ac liber consensus gravi peccato credentem segregat a vitae gratia cum Deo quapropter pariter eum excludit a sanctitate ad quam vocatur. Cum a Christo acceperit Ecclesia potestatem eius nomine delicta remittendi (cfr *Mt* 16, 19; *Io* 20, 23), in mundo illa exstat tamquam viva Dei amoris praesentia, qui omnem adversus humanam infirmitatem sese inclinat ut bracchiis misericordiae suae eandem suscipiat. Per ministerium omnino suae Sponsae inter homines dispergit Deus misericordiam suam ex illo magni pretii dono quod vetustissima voce « indulgentia » nuncupatur.

Peccatori « sacramentum Paenitentiae novam offert possibilitatem se convertendi et iustificationis gratiam iterum inveniendi »,[15] quae per Christi sacrificium recipitur. Ipse sic denuo in Dei vitam Ecclesiaeque vitam plene participandam infertur. Sua confitendo peccata, fidelis utique veniam impetrat atque iterum Eucharistiam, veluti signum cum Patre suaque Ecclesia reciperatae communionis, participare potest. Attamen ab antiquis usque temporibus Ecclesia sibi penitus conscia fuit veniam, quam gratuito Deus praebet, veram vitae immutationem, interioris mali progredientem amotionem, propriae exsistentiae implicare renovationem. Sacramentalis actus cum exsistentiali actu, cum vera culpae mundatione, iugandus fuit, quae videlicet paenitentia vocatur. Venia nimirum non vult ut exsistentialis hic processus supervacaneus fiat, at potius ut ipse quempiam obtineat sensum, qui suscipitur, qui admittitur.

Eo namque quod cum Deo fit reconciliatio, id non infitias it quosdam peccati effectus permanere, a quibus mundari necesse est. Hoc sane in ambitu indulgentia distinguitur, cuius beneficio « totum ipsum donum Dei mi-

[14] **Cfr IOANNES PAULUS II, Adhort. Ap. post-synodalis *Reconciliatio et paenitentia* (2 Decembris 1984), 28-34: *AAS 11* (1985), 250-273,**

[15] ***Catechismus Catholicae Ecclesiae,* n. 1446.**

sericordiae »[16] exprimitur. Per indulgentiam peccatori quem paenituit temporaria pro peccatis poena, quae iam quod ad culpam attinet remissa sunt, dimittitur.

10. Peccatum enim, propterea quod Dei sanctitatem et iustitiam laedit, aeque ac personalem Dei in hominem amicitiam spernit, duplicem effectum secum fert. Primo, si grave est, cum Deo communionis ademptionem implicat ideoque vitae aeternae participationem excludit. Peccatori tamen quem paenituit Deus, pro sua misericordia, veniam dat peccati gravis atque « poenam aeternam », quae sequeretur, remittit.

Secundo, « quodlibet peccatum, etiam veniale, morbidam ad creaturas secum fert affectionem, quae purificatione eget sive his in terris sive post mortem, in statu qui appellatur purgatorium. Haec purificatio liberat ab eo quod "poena temporalis" peccati appellatur »,[17] qua expiata, id deletur quod plenae cum Deo fratribusque communioni officit.

Revelatio autem docet christianum suo in conversionis itinere non esse solum. In Christo ac per Christum eius vita arcano quodam vinculo nectitur cum vita omnium aliorum christianorum, in supernaturali Corporis mystici unitate. Intercedit sic inter fideles mira quaedam spiritalium bonorum permutatio, cuius virtute unius sanctitas alios iuvat praeter detrimentum quod unius peccatum aliis inferre potuit. Sunt qui post se veluti amoris, doloris tolerati, integritatis veritatisque redundantiam, relinquunt, quae ceteros complectitur et sustentat. « Vicarietatis » est res, in qua totum Christi mysterium innititur. Eius quidem superabundans amor omnes nos salvat. Nihilominus ad amoris Christi magnitudinem id pertinet, quod nos in recipientium inertium condicione non reliquit, sed salutarem in suam operam ac potissimum passionem nos immittit. Pervulgatus hoc asseverat epistulae ad Colossenses locus: «Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia» (1, 24).

Acutam hanc veritatem mirum in modum locus quoque Apocalypsis ostendit, in quo Ecclesia tamquam sponsa significatur, simplici linteo vestimento, byssino puro ac splendente induta. Atque sanctus Ioannes dicit: « Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum» (19, 8). In vita enim sanctorum byssinum splendens texitur, quod aeternitatis est vestimentum.

[16] IOANNES PAULUS II, Bulla *Aperite portas Redemptori* (6 Ianuarii 1983), 8: *AAS* 75 (1983), 98.

[17] *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 1472.

Omnia a Christo manant, sed quoniam nos ad eum pertinemus, etiam quod nostrum est eius fit atque sanantem vim adipiscitur. Id reapse intellegitur cum « thesaurus Ecclesiae » annuntiatur, quae sunt bona sanctorum opera. Ad indulgentiam obtinendam precari sibi vult hanc spiritalem communionem inire ideoque penitus aliis patere. Etenim in spiritali quoque provincia nemo pro se vivit. Et salubris sollicitudo de propriae animae salute a timore atque nimio sui amore tum tantum exsolvitur cum de alterius salute fit quoque sollicitudo. Veritas haec est communionis sanctorum, mysterium « realitatis vicariae », precationis veluti viae coniunctionis cum Christo eiusque sanctis. Ipse nos secum fert ut una simul cum eo albam novae humanitatis vestem texamus, splendentem scilicet vestem byssinam Sponsae Christi.

Haec igitur de indulgentiis doctrina « docet malum et amarum esse reliquisse... Dominum Deum (cfr *Ier* 2, 19). Fideles enim, cum indulgentias assequuntur, intellegunt se non posse propriis viribus expiare malum, quod peccando sibi ipsis immo toti communitati intulerunt, et ideo ad humilitatem salutarem excitantur ».[18] Veritas, porro, de communione sanctorum, qua fideles Christo et vicissim inter se iunguntur, ostendit quantum quisque alios — vivos vel defunctos — iuvare possit, ut magis magisque arte cum caelesti Patre coniungantur.

His doctrinae rationibus innitentes ac simul maternum Ecclesiae sensum patefacientes, decernimus omnes fideles, congruenter paratos, per totum Iubilaei intervallum, indulgentiae dono, ad praescripta quae hanc Bullam comitantur, frui posse (cfr documentum adnexum).

11. Signa haec ad iubilaris celebrationis traditionem iam pertinent. Dei populus operam dabit profecto deinde ut mentem aperiat suam ad alia agnoscenda, si forte sint, signa misericordiae Dei, qui in Iubilaeo operatur. In Litteris Apostolicis, quarum titulus *Tertio millennio adveniente*, nonnulla illorum demonstravimus, quae vehementius insigni Iubilaei gratiae experiendae inservire possunt.[19] Quae nunc breviter in memoriam revocamus.

Prae omnibus *memoriae purificationis* signum: id nempe requirit ut omnes se praestent animosos humilesque culpas admissas agnoscendo, quas patraverunt quotquot christianorum nomen tenuerunt ac tenent.

Annus Sanctus per se ipse vocationis ad conversionem est momentum. Hoc est primum praedicationis Iesu verbum, quod insigniter cum prompti-

[18] PAULUS VI, Const. Ap. *Indulgentiarum doctrina* (1 Ianuarii 1967), 9: *AAS* 59 (1967), 18.
[19] Cfr nn. 33.37.51: *AAS* 87 (1995), 25-26; 29-30; 36.

tudine ad credendum coniungitur: « Paenitemini et credite evangelio » *(Me* 1, 15). Quod Christus iubet, ex conscientia manat illius rei: «impletum est tempus » *(Me* 1, 15). Cum Dei tempus completur, fit ad conversionem compellatio. Quae quidem ante omnia est gratiae fructus. Spiritus ipse unumquemque compellit, ut « in se ipse intret » et necessitatem percipiat Patris domum repetendi (cfr *Lc* 15, 17-20). Conscientiae ideo examinatio unum maxime insigne est personalis exsistentiae momentum. Eius namque ope, quisque homo ante suae vitae veritatem locatur. Sic ipse reperit quantum sua opera ab illo absint exemplari, quod ille prae se tulit.

Ecclesiae historia est sanctitatis historia. Novum Testamentum hanc baptizatorum notam firmiter extollit: ii sunt « sancti » prout, ab illo mundo dissociati quem Malignus detinet, uno veroque Deo colendo sese addicunt. Re vera haec sanctitas manifestatur in tot Sanctorum et Beatorum eventibus, qui ab Ecclesia agnoscuntur, itemque in sortibus innumerae multitudinis mulierum virorumque incognitorum, quam dinumerare nemo potest (cfr *Apc* 7, 9). Eorum vita Evangelii veritatem testatur atque manifestum mundo praebet possibilitatis perfectionis signum. Necesse tamen est agnoscere historiae annales etiam non paucos eventus recensere, qui contra testantur pro christiano nomine. Illud propter vinculum quod, in mystico Corpore, alios aliis nectit, nos omnes, quamvis nihil personalis responsalitatis habeamus, atque minime supponentes Dei iudicium, qui unus corda cognoscit, errorum culparumque onera illorum qui ante fuerunt baiulamus. Nos quoque, Ecclesiae filii, peccavimus atque Christi Sponsa prohibita est quominus omni sui vultus venustate splenderet. Peccatum nostrum Spiritui in tot hominum cordibus operanti offecit. Fides nostra debilis indifferentem animum induxit atque complures a germano Christi occursu avertit.

Petri veluti Successores flagitamus ut hoc misericordiae anno Ecclesia, quae sanctitate firmatur quam a Christo accepit, genu ante Deum flectat atque veniam pro praeteritis praesentibusque suorum filiorum peccatis impetret. Omnes peccaverunt ac nemo ante Deum iustus dici potest (cfr *1 Reg* 8, 46). Sine timore repetatur: « Peccavimus » *(Ier* 3, 25), at penitus certitudo servetur: « ubi autem abundavit peccatum, superabundavit gratia » *(Rom* 5, 20).

Amplexus quo Pater prosequitur paenitentiam agentem, qui obviam it Ei, erit iustum pro culpis propriis alteriusque auctoramentum, conscientia innixum arti vinculi, quod cuncta mystici Corporis membra inter se coniungit. Christiani invitantur ut, eorum Deo hominibusque qui eorum mori-

bus sunt offensi, in se errores recipiant, quas ipsi admiserunt. Id peragant nihil mutuo poscentes, in caritate Dei tantum innitentes, quae « diffusa est in cordibus nostris » *(Rom* 5, 5). Non deerunt qui, aequo animo praediti, historiam praeteriti nostrique temporis, erga Ecclesiae filios a vita sociali exclusionis, iniuriarum et persecutionum casus saepe numero annumerasse ac annumerare agnoscere valeant.

Nemo hoc iubilari anno a Patris complexu se abstrahere velit. Nemo eadem faciat quae frater maior evangelicae similitudinis qui festum acturus ingredi recusat domum (cfr *Lc* 15, 25-30). Veniae gaudium omni indignatane fortius sit et maius. Ita agendo Sponsa ad mundi oculos illa coruscabit pulchritudine et sanctitate, quae ex Domini gratia effluunt. Duo iam milia annorum Ecclesia exstat cunae in quibus Iesum deponit Maria eundemque adorationi omniumque populorum contemplationi exhibet. Utinam Sponsae per humilitatem magis usque splendeant gloria et Eucharistiae vis, quam ipsa celebrat suoque in sinu servat. In Panis Vinique consecrati specie, Christus Iesus resuscitatus ac glorificatus, lux gentium (cfr *Lc* 2, 32), suam continuatam Incarnationem revelat. Is vivus verusque inter nos perstat, ut suo Corpore et Sanguine credentes alat.

Quocirca contuitus in futurum aevum sit defixus. Pater misericordiae peccata non dinumerat quorum nos reapse paenituit (cfr *Is* 38, 17). Ipse, nunc, novum quid patrat atque in dilectione quae ignoscit caelos novos novamque terram antecapit. Confirmetur igitur fides, adolescat spes, magis ac magis operosa sit caritas, ad renovatum christianae testificationis impetum in mundo proximi millennii.

12. Misericordiae Dei signum, his temporibus admodum necessarium, est *caritatis* signum, quod oculos nostros reserat ad necessitates respiciendas illorum qui in egestate et a vita sociali exclusi vivunt. Hae sunt condiciones quae lata socialia loca complectuntur quaeque sua mortis umbra quosdam solidos populos offundunt. Humani generis in conspectu hodie prostant novae servitutis species eaedemque subtiliores quam illae quas praeteritum tempus recensuit; libertas nimis multis personis pergit esse nomen re destitutum. Haud paucae Nationes, pauperiores potissimum, aere alieno opprimuntur, quod eo est conflatum ut iam exsolvi re non possit. Omnino praeterea manifestum est progressum reapse obtineri non posse, dempta inter populos sociata opera omnium linguarum, stirpium, nationum et religionum. Oppressiones sunt tollendae quorum vi alii in alios dominantur: ipsae

peccatum sunt et iniuria. Qui operam dat solummodo ut thesaurizet in terra (cfr *Mt* 6, 19) « non fit in Deum dives » *(Lc* 12, 21).

Nova praeterea solidarietatis et internationalis cooperationis cultura inferri debet, qua omnes — praesertim divites Nationes et privatorum pars — causam in se suscipiant, ut quaedam oeconomiae ratio habeatur quae cuique personae inserviat. Tempus ultra haud producendum est, cum etiam pauper Lazarus prope divitem sedere poterit, ut idem convivium participet neve cogatur saturari de his quae cadent de mensa (cfr *Lc* 16, 19-31). Summa paupertas vim, simultates et scandala gignit. Ei mederi est iustitiam operari ideoque pacem.

Iubilaeum ultra nos ad cordis conversionem per vitae immutationem excitat. Omnes commonefacit terrena bona non absoluta putanda esse, quandoquidem ea non sunt Deus, neque dominatum vel praesumptum hominis dominatum, quia ad Dominum eique soli terra pertinet: « Mea est, et vos advenae et coloni mei estis» *(Lv* 25, 23). Utinam annus hic gratiae corda moveat illorum quorum in manibus populorum sunt sortes!

13. Signum quoddam perenne, at hodie perquam significans, veritatis christiani amoris est *martyrum memoria.* Eorum testificatio ne oblivione obruatur. Ii sunt qui, vitam ob amorem tradentes, Evangelium nuntiaverunt. Martyr, nostra potissimum aetate, maioris illius amoris est signum quod omnia alia bona complectitur. Eius vita supremum illud verbum, quod Christus in cruce pronuntiavit, refert: « Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt» *(Lc* 23, 34). Fidelis, qui serio animo suam christianam vocationem putavit, secundum quam martyrium possibilitas est quaedam a Revelatione iam enuntiata, hanc exspectationem suae in vitae spatio excludere non potest. Duo milia annorum a Christo nato continuata martyrum testificatione notantur.

Hoc insuper saeculum, quod ad finem vergit, innumeros cognovit martyres praesertim propter nazismum, communismum, stirpium tribuumve contentiones. Omnium ordinum homines suam ob fidem passi sunt, sanguine suam Christo Ecclesiaeque adhaesionem luendo sive interminatus carceris annos omniumque generum angustias tolerando, ne cuidam obsequerentur ideologiae quae in immanis dictaturae regimen immutata est. Psychologica spectata ratione, martyrium est significantissimum veritatis fidei documentum, quae humanum vultum tribuere vel violentissimo mortis generi valet suamque ostendit pulchritudinem etiam inter crudelissimas persecutiones.

Advenientis iubilaris annis perfusi gratia, maiore impetu gratiarum actionis Patri hymnum dicere poterimus et canere: *Te martyrum candidatus laudat exercitus.* Utique, hic est exercitus illorum qui « laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni » *(Apc* 7, 14). Hanc ob causam Ecclesiae ubique terrarum eorum testificationi adhaerescendum est itemque eorum memoria studiose tuenda. Utinam Dei Populus, horum germanorum signiferorum cuiusvis aetatum, linguarum et nationum exemplis in fide roboratus, fidenter tertii millennii limen transgrediatur. Eorum martyrii admiratio, in fidelium cordibus, cum voluntate coniungatur illorum exempla per Dei gratiam sectandi, si exstiterint condiciones.

14. Iubilare gaudium consummatum non esset, si intuitus in Eam non dirigeretur quae, Patri penitus oboediens, nobis Dei Filium in carne genuit. Bethleemitica in civitate Mariae «impleti sunt dies, ut pareret» *(Lc* 2, 6), atque Spiritu Sancto repleta, novae creationis Primogenitum peperit. Ut fieret Dei Mater cum esset vocata, inde a virginalis conceptus die Maria plene suam maternitatem vixit, quam in Calvaria sub cruce complevit. Mirabili Christi beneficio, ibi ipsa Mater quoque Ecclesiae facta est, omnibus viam demonstrans quae ad Filium ducit.

Silentii auditionisque Mulier, in Patris manibus docilis, Maria Virgo ab omnibus generationibus «beata» dicitur, quoniam mira agnovit quae in ea Spiritus Sanctus patravit. Numquam populi Matrem misericordiae invocare desinent atque refugium sub eius praesidio semper invenient. Quae cum filio Iesu et Iosepho sponso ad templum Dei sanctum iter suscepit, ipse iter tueatur illorum qui viatores iubilari hoc anno fient. Ipsaque peculiari ratione proximis mensibus pro populo christiano intercedat, ut gratiam misericordiamque largiter adipiscatur, de duobus a Salvatore nato milibus annorum exsultans.

Deo Patri in Spiritu Sancto Ecclesiae laus sit propter salutis donum in Christo Domino nunc et per ventura saecula.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Novembris, dominica prima Adventus, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

IOANNES PAULUS PP. II

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 442.800

DECRETUM BULLAE ADNEXUM

PRAESCRIPTA DE IUBILARI INDULGENTIA ACQUIRENDA

Hoc per decretum, quod Summi Pontificis voluntatem ad effectum adducit quam Bulla de Magno Iubilaeo indicendo Anni bismillesimi ostendit, facultatumque vigore eidem ab ipso Summo Pontifice tributarum, ad iubilarem indulgentiam acquirendam Paenitentiaria Apostolica normas statuit.

Fideles cuncti, convenienter parati, totum per Iubilaei spatium, indulgentiae dono largiter frui possunt, secundum normas quae hic praescribuntur.

Dum hoc praeponitur, indulgentias scilicet sive generaliter sive per peculiare rescriptum Magno evolvente Iubilaeo perstaturas, illud in memoriam revocatur, indulgentiam nempe iubilarem in modum suffragii defunctorum animabus applicari posse: hanc per oblationem insigne supernaturalis caritatis exercitium completur, illud propter vinculum quo in mystico Christi Corpore fideles, peregrinantes adhuc in terris, cum iis qui iam suum perfecerunt iter coniuncti sunt. Per Iubilarem annum viget etiam norma secundum quam indulgentia plenaria semel in die dumtaxat acquiri potest.[20]

Iubilaei fastigium est Dei Patris occursus, per Christum Salvatorem, qui in Ecclesia, in suis Sacramentis potissimum, adest. Hac de causa in iubilari itinere, quod peregrinatio parat, primum praestantissimumque obtinet locum Paenitentiae atque Eucharistiae sacramenti celebratio, mysterii videlicet paschalis Christi nostrae pacis nostraeque reconciliationis: hic est occursus qui commutat quique ad indulgentiae donum pro se et pro ceteris aperit aditum.

Digne sacramentali confessione celebrata, quae ordinarie ad normas can. 960 CIC et can. 720, § 1 CCEO, esse debet individualis et integra, fidelis, his quae requiruntur observatis, praesertim quod attinet ad exclusionem omnis affectus erga quodcumque peccatum etiam veniale,[21] recipere vel applicare potest, per congruum quoddam temporis spatium, indulgentiae donum etiam cotidie haud repetita confessione. Attamen convenit ut fideles saepe sacramenti Paenitentiae gratiam recipiant ad conversionem cordisque munditiam augendam.[22] Eucharistiae participationem — quae est necessaria

[20] **Cfr *Enchiridion indulgentiarum,* LEV 1986, norm. 21, § 1.**

[21] **Cfr *ibid.*, norm. 23, § 1**

[22] **Cfr *ibid.*, norm. 23, §§ 1-2,**

ad unamquamque indulgentiam acquirendam — par est eodem die fieri quo praescripta opera aguntur.[23]

His cum duabus rebus prae omnibus praestantibus coniungi debet cum Ecclesia communionis testificatio, quae precatione ad Summi Pontificis mentem manifestatur necnon caritatis paenitentiaeque deinceps operibus, quae infra significantur: haec opera veram illam cordis conversionem ostendere volunt, ad quam Christi communio in sacramentis perducit. Christus namque est indulgentia et « propitiatio pro peccatis nostris » *(1 Io* 2, 2). Ipse, in fidelium cordibus Spiritum Sanctum diffundens qui « est remissio omnium peccatorum »,[24] unumquemque ad filialem fidentemque cum Patre misericordiae concursum incitat. Ab hoc occursu conversionis et renovationis, ecclesialis communionis caritatisque in fratres proposita manant.

Eventuro proximo Iubilaeo norma quoque confirmatur vi cuius confessarii sive praescriptum opus sive quae poscuntur condiciones pro iis qui legitime impediuntur commutare possunt.[25] Infirmi, religiosi religiosaeque quae clausura vinciuntur omnesque qui quacumque ratione domo exire non possunt, pro alicuius templi visitatione cappellani domesticam adire possunt; si autem ne istud quidem fieri potest, indulgentiam consequi poterunt sese iis sociantes qui ordinario modo praescriptum opus obeunt, preces simul, aegritudines et incommoda Deo dicantes.

Quod ad necessaria opera complenda attinet, fideles indulgentiam iubilarem acquirere possunt:

1) *Romae,* si piam peregrinationem agent ad quamlibet patriarchalem Basilicam, scilicet ad Basilicam Sancti Petri in Vaticano, vel Archibasilicam Sanctissimi Salvatoris in Laterano, vel Basilicam Sanctae Mariae Maioris, vel Sancti Pauli ad viam Ostiensem, ibique devote participabunt Sanctam Missam vel aliam liturgicam celebrationem, ut Laudes Vesperasve, vel quoddam pietatis exercitium (exempli gratia *Viam crucis,* Rosarium mariale, ad Deiparae honorem Hymni recitationem qui est *Akathistos);* praeterea si, separatim vel turmatim, unam ex patriarchalibus Basilicis invisent, ibique per quoddam temporis intervallum eucharisticam adorationem piasque meditationes agent, « Pater noster », fidei professionem quavis in legitima forma, atque Beatae Virginis Mariae invocationem addentes. Quattuor his

[23] **Cfr *ibid.,* norm. 23, § 3.**

[24] **« Quia est remissio omnium peccatorum »: *Missale Romanum,* Super oblata, Sabbato post Dominicam VII Paschae.**

[25] **Cfr *Ench. indulg.,* norm. 27.**

patriarchalibus Basilicis hac peculiari Iubilaei occasione alia haec loca iisdem condicionibus accedunt: Basilica Sanctae Crucis in Hierusalem, Basilica Sancti Laurentii ad Veranum, Sanctuarium Virginis Divini Amoris, christianae Catacumbae.[26]

2) *In Terra Sancta,* si, easdem condiciones servantes, invisent Basilicam Hierosolymitanam Sancti Sepulcri, vel Basilicam Nativitatis Bethleemiticam, vel Basilicam Annuntiationis Nazarethanam.

3) *Aliis in ecclesiasticis circumscriptionibus,* si sacram ad cathedrale templum vel ad alias ecclesias vel loca ab Ordinario designata peregrinationem peragent, ibique devote liturgicae celebrationi aliive pio exercitio intererunt, quemadmodum supra de urbe Roma dictum est; insuper si seiunctim vel turmatim cathedrale templum vel Sanctuarium ab Ordinario designatum invisent et ibi per aliquod tempus pias meditationes agent, « Pater noster », fidei professionem quavis in legitima forma et Virginis Mariae invocationem addentes.

4) *In omni loco,* si congruo tempore destinato fratres invisent, qui in necessitatibus difficultatibusve versantur (ut aegroti, in carcere inclusi, senes deserti, inhabiles hisque similes), peregrinationem paene ad Christum in illis praesentem facientes (cfr *Mt* 25, 34-36), ac suetas condiciones spiritales, sacramentales precationisque implentes. Fideles procul dubio has visitationes per Annum Sanctum renovabunt, cum in unaquaque illarum plenariam indulgentiam lucrari possint, ut liquet, non plus quam semel in die.

Iubilaris plenaria indulgentia per incepta quoque acquiri potest quae paenitentialem spiritum efficacem generosumque in modum perficiunt, qui est veluti Iubilaei anima. Sic cum per diem quis a rerum supervacanearum usu sese abstinet (verbi gratia a fumi nicotiani gustatione, ab alcoholicis potionibus, ieiunando vel se abstinendo ad generales Ecclesiae leges et Episcopatuum peculiares normas) atque congruas pecunias in pauperum beneficium confert; religiosa socialiave opera praestabili subsidio sustinendo (peculiari modo pro pueris desertis, iuvenibus laborantibus, senibus indigentibus, alienigenis variarum Nationum, qui tranquilliores vitae condiciones persequuntur); congruam liberi temporis partem ad actiones, communitati utiles, praestando vel id genus gerendo personali ex sacrificio opera.

Cfr *Ench. indulg.,* conces 14.

Datum Romae, e Paenitentiaria Apostolica, die 29 mensis Novembris anno 1998, prima Adventus dominica.

VILLELMUS WAKEFIELD S.R.E. card. **BAUM**

Paenitentiarius Maior

> **í** < Aloisius De Magistris
ep. tit. Novensis
Regens

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

KANNURENSIS

In India nova conditur dioecesis Kannurensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in India eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petitum esset nuper ut in eadem Natione nova constitueretur dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, re mature perpensa auditisque pariter eorum quorum interest votis, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec, decernimus. A Calicutensi dioecesi separamus territorium septemtrionale districtuum civilium, qui patrio sermone nuncupantur Kannur et Kasaragode; ex eoque novam condimus dioecesim *Kannurensem,* quam metropolitanae Ecclesiae Verapolitanae suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Kannur atque templum Sanctissimae Trinitatis ibidem exstans, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus per-

ducet ad exitum Venerabilis Frater Georgius Zur, Archiepiscopus titulo Sestensis et in India Apostolicus Pronuntius; qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem, quam diximus, mittenda. Has denique Apostolicas sub plumbo Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

© **ANGELUS** card. **SODANO**
Secretarius Status

IOSEPHUS card. **TOMKO**
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Carmelus Nicolosi, *Protonot. Apost.*

Loco ® Plumbi
In Secret. Status tab., n, 442 911

II

CORENSIS

Intra Venetiolae fines conditur nova Provincia ecclesiastica, Corensis scilicet, quae ad dignitatem Ecclesiae metropolitanae attollitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Usque omnium Ecclesiarum spiritalem prosperitatem persequentes, cuncta subsidia disponere contendimus quo id facilius efficaciusque obtineatur. Quapropter postulatis occurrentes Conferentiae Episcoporum in Venetiola, de plerorumque consensu, favente Venerabili Fratre Leonardo Sandri, Archiepiscopo titulo Aemoniensi seu Civitatis Novae et in Venetiola Apostolico Nuntio, ex consilio Congregationis pro Episcopis, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Novam Provinciam Ecclesiasticam condimus *Corensem* appellandam et eam archiepiscopalis metropolitanae sedis fruentem dignitate, iuribus privilegiisque, quae complectetur Ecclesiam eiusdem nominis et dioecesim Punctifixensem,

nactenus ad Provinciam ecclesiasticam Maracaibensem pertinentem. Antistitem pro tempore statu et gradu Metropolitae honestamus secundum sacrorum canonum praescripta. Ideo Corensem in praesentia Episcopum, scilicet Venerabilem Fratrem Robertum Lückert León, ad dignitatem archiepiscopalem et Metropolitae condicionem promovemus, omnibus videlicet tributis iuribus privilegiisque consentaneis. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Leonardum Sandri, quem supra memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio et vicesimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

83 ANGELUS card. **SODANO**
Secretarius Status

IOSEPHUS card. **TOMKO**
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Carmelus Nicolosi, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 445.197

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Bartholomaeo Mariae dal Monte Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae» *(Me* 16, 15). Sacerdos Bartholomaeus Maria dal Monte suam fecit invitationem ab Iesu Apostolis exhibitam quam totam sacerdotalem per vitam studiose est prosecutus. Praedicationi missionum ad populos se dedit variisque in Italiae regionibus « verbum veritatis Evangelii » (cfr *Gol* 1, 5) alacriter proclamavit.

Bononiae ortus die III mensis Novembris anno MDCCXXVI ab Horatio dal Monte et Anna Maria Bassani, optima christiana ratione a parentibus est institutus. Parvi factis valetudinis incommodis nec non patris dissensione, vitam ecclesiasticam aggressus est atque, viginti tres annos natus, sacerdotio est initiatus in archidioecesi Bononiensi. Munus praedicationis assidue exercuit, rationem imitatus a sancto Leonardo a Portu Mauritio instauratam, fructusque copiosos messuit in vera fide tuenda et in moribus castigandis. Ad eiusmodi ministerium perdiligenter se paravit, sodalibus sacerdotibus totique Dei populo testimonium perhibens caritatis, paupertatis animique de Ecclesia sollicitus. Munus praedicatoris cum exerceret, coniunctionem cum Deo per Eucharistiae celebrationem, per contemplationem nec non sacramentalem confessionem magis magisque corroboravit. Pernota fuit Bartholomaei pietas erga Beatam Verginem Mariam quam « Matrem Misericordiae » dictitabat. Ad missionalem industriam amplificandam, Institutionem cui nomen « Pia Opera Missionum » fovit, atque multum adlaboravit ut sacerdotes dioecesani opus evangelizationis obirent. Ab innumeris hominibus quos beneficiis oppleverat defletus, obiit die xxiv mensis Decembris anno MDCCLXXVIII, quinquaginta duos annos natus.

Beatificationis canonizationisque Causa anno MDCCCLXXIV coepta est. Decessor Noster fel. rec. Benedictus xv, die xxm mensis Ianuarii anno MCMXXI, declaravit Dei Servum heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exercuisse. Nobis coram, die xi mensis Iulii anno MCMXCV, Decretum super mirum prodiit, quod Bononiae anno MDCCCLXXXII evenisse constat, Venerabilis Servi Dei intercessioni adtributum. Deinde decrevimus ut ritus beatificationis celebraretur Bononiae die xxvn mensis Septembris anno MCMXCVII, tempore Congressus Nationalis Eucharistici Italiae.

Hodie igitur, Bononiae, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam:

« Noi, accogliendo il desiderio dei nostro Fratello il Cardinale Giacomo Biffi, Arcivescovo di Bologna, di molti altri Fratelli nell'episcopato e di molti fedeli, dopo aver avuto il parere della Congregazione delle Cause dei Santi, con la Nostra Autorità Apostolica, concediamo che il Venerabile Servo di Dio Bartolomeo Maria dal Monte d'ora in poi sia chiamato Beato e che si possa celebrare la sua festa, nei luoghi e secondo le regole stabilite dal diritto, ogni anno il 26 settembre.

Nel nome del Padre e del Figlio e dello Spirito Santo ».

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Bononiae, sub anulo Piscatoris, die xxvii mensis Septembris anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

De mandato Summi Pontificis
ÊB ANGELUS card. SODANO

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 431,267

II

Venerabili Servo Dei Ioanni Baptistae Piamarta Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris » *(2 Cor* 12, 15).

Spiritus Domini, qui Ecclesiam suam numquam derelinquit, ardens suscitavit in corde sacerdotis Ioannis Baptistae Piamarta salutis iuvenum studium, praesertim eorum qui opus faciunt.

Dignus Christi minister natus est Brixiae die xxvi mensis Novembris anno MDCCCXLI humillima de familia et, matre orbatus, a probis sacerdotibus in oratorio S. Thomae est educatus. Ad sacerdotium se accommodavit in Seminario dioecesano atque die xxin mensis Decembris anno MDCCCLXV ordinationem presbyteralem accepit. Viginti per annos, primum vicarius postea autem parochus, se dicavit ministerio paroeciali inter rústicos et urbanos homines, ibique eminuit amore pauperum et aegrotantium, assidua oratione et liturgiae cura, constanter et sapienter se dedendo catechesi tradendae. In difficilibus rerum adiunctis, in quibus iuvenes versabantur, opere orbati et gravi spirituali periculo vexati, diu meditatus est operis institutionem quod necessitatibus eorum occurreret. Una cum presbytero Petro Capretti, qui clarus exstitit pauperum clericorum institutor, integris viribus se dedidit Instituto Artigianelli a se condito, in quo plurimi iuvenes ad opus navandum aptantur, ad vitam civilem adque christianam virtutem. Nec defuerunt angustiae, conflictationes et destitutiones, quas omnes ipse constanti animo toleravit, arbitratus sibi divinitus concreditum esse munus instituendi iuvenes, atque non intermissa sustentatus oratione. Vir admodum operosus, in primis coluit vitam absconditam in Christo. Paulum apostolum est imitatus, cuius sententiam « Mihi vivere Christus est » in se ipso conatus est

efficere. Numquam ei paupérrimo defuit fiducia in divina Providentia. Instanter hortatus est gratum animum erga benefactores. Ab iuvenibus, quos aluit, habitus est pater sollicitus et sapiens, **Severus** simul et indulgens. Anno **MDCccxcv,** una cum strenuo Patre Ioanne Bonsignori, viro rerum rusticarum peritissimo, Coloniam rusticam in Remedello condidit, scholam quandam quae mox facta est novae agriculturae lumen.

Persuasum sibi habens sine bona doctrina iuvenes non posse novis occurrere temporibus contentionibus religiosis, politicis et socialibus vexatis, inchoavit ipse validam libris edendis operam. Operam secum navantibus proposuit exemplar Sacrae Familiae Nazarethanae; ita orta est, anno **MCM,** Congregatio Sacrae Familiae de Nazareth. Cum Matre Elisabetha Baldo constituit deinde etiam feminarum Congregationem, quam nominare voluit Humilium Servarum Domini. Mortuus est die xxv mensis Aprilis anno MCMXIII, cum sibi nominis famam acquisivisset patris amantissimi, educatoris exculti atque exemplar reliquisset insignis sanctitatis sacerdotalis et religiosae.

Sanctitatis fama, qua in vita est circumfusus, post mortem eum prosecuta est, quamobrem Episcopus Brixiensis anno MCMXLIII Causam beatificationis et canonizationis inchoavit. Expletis quae iure statuta sunt, Nos Ipsi die **xxii** mensis Martii anno MCMLXXXVI declaravimus Servum Dei exercuisse heroico in gradu virtutes théologales, cardinales iisque adnexas. Aliquot post annos apud Curiam Brixiensem celebrata est canonica inquisitio de quadam mirabili sanatione, eius intercessioni attributa. Effectis consuetis examinationibus medicorum, deindeque etiam theologorum Cardinalium et Episcoporum certo cum exitu, coram Nobis promulgatum est decretum de miro die VIII mensis Aprilis anno MCMXCVII. Decrevimus ergo ut beatificationis ritus perageretur die xn insequentis mensis Octobris.

Hodie igitur in Petriano Foro, inter sacra hanc elocuti sumus Canonizationis formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Iesu Humberti Velázquez Garay, Episcopi Celayensis, Brunonis Foresti, Archiepiscopi-Episcopi Brixiensis, Rochi Talucci, Episcopi Tursiensis-Lacunerulonensis, Alberti Houssiau, Episcopi Leodiensis, et Richardi Fontana, Archiepiscopi Spoletani-Nursini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Elias a Succursu Nieves, Ioannes Baptista Piamarta, Dominicus Lentini, Maria a Iesu

Aemilia d'Oultremont vidua van der Linden d'Hooghvorst et Maria Teresia Fasce Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Eliae a Succursu Nieves die decima Octobris; Ioannis Baptistae Piamarta die vicesima sexta Aprilis; Dominici Lentini die vicesima quinta Februarii; Mariae a Iesu Aemiliae d'Oultremont viduae van der Linden d'Hooghvorst die undecima Octobris; et Mariae Teresiae Fasce die duodecima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Qua quidem feliciter pronuntiata formula et sueta etiam oratione habita de vita et virtutibus Beatorum, quos modo publice nominavimus, eos venerati sumus summaque Ipsi cum religione primi invocavimus, universa cum christifidelium assistente turba magnopere laetantes de his novis Beatis, qui inter tot Ecclesiae filios filiasque veluti stellae splendentes mirabiliter emicuerunt atque pro multis hominibus his nostris difficilioribus temporibus singularia vitae christianae constituti sunt exemplaria et praestantes magistri.

Quae autem statuta hic sunt, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibusvis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xn mensis Octobris, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

De mandato Summi Pontificis
83 ANGELUS card. SODANO

Loco ffl Sigilli
In Secret. Status tab., n. 429.245

III

Venerabili Dei Servo Eliae del Socorro Nieves Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Quatenus martyres pro Fratribus sanguinem suum fuderunt, hactenus talia exhibuerunt, qualia de mensa dominica perceperunt» (S. Augustinus, in Io. Evang. Tr. 84,2). Saeviente illa vexatione, qua in Mexico est conflictata Ecclesia tota Dei Servus Venerabilis Elias del Socorro Nieves non tantum sibi creditum haud deseruit gregem, verum viribus ipse usus de eucharistica perceptis mensa atque sua ex precatione haustis caritatem imitabatur Pastoris Divini ad sanguinis usque

prolusionem, sibi cum — uti aiebat — persuasisset: « propter religionem emori acceptum Deo est sacrificium ». Humilis hic natus est sacerdos die vicesimo primo Septembris mensis anno MDCCCLXXXII in Sancti Petri insula lacus Yuririae intra archidioecesis Moreliensis fines ex parentibus Raimundo Nieves ac Rita Castillo qui eum ad baptismatis fontem Matthaeum Eliam nuncuparunt. Infirmiore iam a principio utebatur valetudine laboremque suscipiebat magnum ut panem sibi lucraretur cotidianum, cum patre orbatus ad totam adiuvandam cogeretur domum. Studiis hac de causa intermissis non tamen propositium abiecerat sese Deo devovendi. Vita vero defuncta matre, quamquam maiore iam erat aetate, Ordinem Sancti Augustini in urbe Yuririae est ingressus atque ad sacerdotium sese diligenter comparabat singularem demonstrans sacrificiorum faciendorum adiectum. Nomine sibi electo Eliae a Succursu religiosa professus vota MCMXI et auctus presbyteratu MCMXVI ministerium passim expleverat, donec anno MCMXXI curatio ipsi commendata vicariatus est La Cañada de Caracheo, quod oppidum opibus carebat nec publicam habebat scholam nec medica adiumenta a proximis etiam segregatum vicis. Servi autem Dei industria iis in locis magnanima fuit omnes erga populi ordines, dum in infantes et aegrotantes et pauperes peculiarem testatus est curam. Indefesus ille panem verbi Dei largiebatur catechismumque tradebat; pietatem vitae et Eucharistiae cultum fovebat honoremque Virginis Mariae usque testimonium reddens fidelitatis Deo ipsi ac religiosae suae professioni et Ecclesiae Matri. Eucharisticum pientissime celebrabat sacrificium et singulis item hebdomadibus paenitentiae recipiebat sacramentum. Cotidie interiorem factitabat meditationem atque Sacramenti Eucharistici se recreabat adoratione. Quandoquidem manuum opus a puero egestatemque erat expertus, populi sui angustias persensit ac necessitates, numquam non tamen divinae confisus providentiae. Cum ruri prohibuisset Mexicanum regimen sacerdotum ministeria ipsosque iussisset presbyteros maioribus degere in urbibus, Servus hic Dei vincens timiditatem recusavit parvum suum ne derelinqueret gregem, atque quattuordecim menses clandestinus latitavit iis semper propinquus qui ipsius auxilio egebant, videlicet Eucharistiam celebrans et peccatores Deo concilians, moriturus adiuvans et infirmos adflictosque consolans. Sibi interea plane periculorum conscius erat quibus occurrebat; verumtamen ipsius amor in Christum hominesque immensus exstabat ac fortissimus simul. Usque iterabat: « Quicumque verbum Dei sacerdos praedicat persecutionis tempore, non effugia habet sed in cruce Christi Iesu similis manibus devinctis morietur ». Denique tandem detec-

tum illum utpote sacerdotem publici comprehenderunt eodemque tempore Iesum ac Dolorem Serra, reos nempe praestitae ei hospitalitatis. Tametsi persecutores obsecrabat ut sodales illos liberarent, maluerunt tamen ipsi cum eo manere et coniungi extremo in isto discrimine. Die ita decimo Martii mensis anno MCMXXVIII apud eundem Patrem Eliam a Succursu peccata confessi perierunt plumbeis glandibus transfossi atque exclamantes: « Vivat Christus Rex! » Paulo autem post Servus ipse Dei Sacrificii conscendit aram, cum interiorem animi tranquillitatem ostenderet necnon indulgentiam erga Christi Ecclesiaeque inimicos exteriorem adfectationem. Intime precans ac militibus benedicens concidit armorum impetu ac vociferans aequabiliter: « Vivat Christus Rex! » Quoniam martyrii eius sine intermissione persistebat fama, causam Beatificationis instituit anno MCMLVII Archiepiscopus Moreliensis. Nostro autem in conspectu die decimo septimo mensis Decembris anno MCMXCVI prodiit decretum super martyrio. Quo facto ritus constituimus beatificationis ut hoc ipso perageretur die duodecimo mensis Octobris anno MCMXCVII. Inter sollemnia idcirco liturgica perplacuit Nobis hodie hanc graviter edicere Beatificationis formam: « Nos, vota Fratrum Nostrorum Iesu Humberti Velásquez Garay, Episcopi Celayensis, Brunonis Foresti, Archiepiscopi-Episcopi Brixiensis, Rochi Talucci, Episcopi Tursiensis-Lacunerulonensis, Alberti Houssiau, Episcopi Leodiensis, et Richardi Fontana, Archiepiscopi Spoletani-Nursini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Elias a Succursu Nieves, Ioannes Baptista Piamarta, Dominicus Lentini, Maria a Iesu Aemilia d'Oultremont vidua van der Linden d'Hooghvorst et Maria Teresia Fasce Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Eliae a Succursu Nieves die undecima Octobris mensis; Ioannis Baptistae Piamarta die vicesima sexta mensis Aprilis; Dominici Lentini die vicesima quinta Februarii mensis; Mariae a Iesu Aemiliae d'Oultremont viduae van der Linden d'Hooghvorst die undecima mensis Octobris; et Mariae Teresiae Fasce die duodecima mensis Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Eundem hunc dein pronuntiatum Beatum ad colendum imitandumque proposuimus Christifidelibus, quod nimirum exemplum eius eorum ad fidem firmandam spectat hodieque pariter testandam. Quae vero singula his Litteris decrevimus, ea tam nunc quam in posterum omne tempus rata solidaque esse volumus contrariis quibusvis rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xn mensis Octobris anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

De mandato Summi Pontificis
83 ANGELUS card. SODANO

Loco S Sigilli
In Secret. Status tab., n. 438.108

IV

Venerabili Dei Servae Mariae Vincentiae a Sancta Dorothea Chávez Orozco Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis » *(Rom* 5, 5). Dei caritatis praeclarum templum fuit humile forteque Matris Vincentiae a Sancta Dorothea cor, quae Christo colendo ac laudando sese addixit, Evangelii semitas cum decurreret itemque misericordiae opera cum faceret pro iis qui potissimum a Domino diliguntur, qui sunt aegroti, pauperes, maerentes. Haec languentis humanitatis benefica mulier die vi mensis Februarii anno MDCCCLXVII in Mexico orta est, in oppido Cotija provinciae Michoacan, parentibus Aloisio Chávez et Benigna Iesu Orozco, humilibus coniugibus ac ferventibus fidelibus, qui eidem Baptismatis fonte auctoratae nomen Dorotheam indiderunt. Puella et adulescens vitam in recessu exegit, Dei Ecclesiaeque leges servans ac simul sui spiritalis aedificii fundamenta iaciens, quod in Dei voluntate tenenda innitebatur. Guadalaiarae, quam eius familia petiverat, sese Deo devovere aegrotisque inservire decrevit. Anno ideo MDCCCXCII ut aegrotorum ministra Sanctissimae Trinitatis paroeciale valetudinarium ingressa est. Inibi, complures post difficultates et vicissitudines, orta est Congregatio Ancillarum a Sanctissima Trinitate et a Pauperibus, cuius Venerabilis Dei Serva habita est conditrix. Anno MCMX vota temporalia professa est, nomen sibi adiciens Sororem Mariam Vincentiam a Sancta Dorothea. In religiosa familia officia singulari praestantia sustinuit. Magistra namque fuit noviciarum, antistita magni valetudinarii Zapotlán El Grande atque ex anno MCMXIII generalis antistita. Anno MCMXV vota sollemnia nuncupavit. Eius regimen spiritalibus fructibus caritatisque operibus

eminuit ac simul offensionibus aerumnisque, quas ipsa remisso animo toleravit. Apud crucem suam consecrationem studiose coluit, Dei gloriam et Ecclesiae, pauperum, aegrotorum suique Instituti bonum usque persequendo, quod Domino favente ac prudenter Conditrice moderante, celeriter increvit. Peculiari cura sui Instituti Sorores doctrina, scriptis, suae vitae exemplo, coluit. Regulam votaque religiosa servavit, quod socias etiam docuit. Scripsit: « Tria vota religiosa fiunt perfectum holocautoma omnium rerum quae haberi possunt: per paupertatis votum extraria fortunae bona, castitate personalia corporis bona et oboedientia intima animae bona postferuntur, ideo anima religiosa in vita consecrata virginitatis simul et martyrii palmam consequi potest ». His effatis fidelis, vitam suam Deo proximoque devovit. Atque id perseveranter magnaque cum fiducia de Dei auxilio fecit, quod per fructuosam celebrationum liturgicarum participationem, Dei verbi meditationem, assiduam precationem, ferventem Passionis Iesu, Eucharistiae Redemptorisque Matris devotionem, missionis Ecclesiae coniunctionem, mereri studuit. Novissimis suae vitae annis, cum iam generalis antistitae haud gereret officium, sese impensius precationi et contemplationi addixit atque ita se ad Dominum conveniendum comparavit, qui ad se die xxx mensis Iulii anno MCMXLIX eam vocavit.

Sanctitatis fama, qua vivens fruebatur, post eius mortem perstitit, ideo Archiepiscopus Guadalaiarensis anno MCMLXVI Beatificationis Canonizationisque Causam incohavit. A iure praescriptis perfectis rebus, Nobis coram, die XXI mensis Decembris anno MCMXCI, decretum prodiit, quo declaravimus Dei Servam heroum in modum virtutes théologales, cardinales hiisque adnexas exercuisse. Die VII mensis Iulii anno MCMXCVII decretum evulgatum est super miraculum, intercessioni eiusdem venerabilis adscriptum. Statuimus igitur ut Beatificationis ritus Romae celebraretur die ix mensis Novembris eiusdem anni.

Hodie igitur, in foro ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri spectante, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: « Nos, vota Fratrum Nostrorum Ludovici Pápai, Episcopi Iauriensis, Luciani Monari, Episcopi Placentini-Bobiensis, et Ioannis Cardinalis Sandoval Iñiguez, Archiepiscopi Guadalaiarensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Guillelmus Apor, Ioannes Baptista Scalabrini et Maria Vincentia a Sancta Dorothea Chávez Orozco Beatorum nomine in posterum appellen-

tur, eorumque festum: Guillelmi Apor die vicesima tertia Maii, Ioannis Baptistae Scalabrini die prima Iunii et Mariae Vincentiae a Sancta Dorothea Chávez Orozco die undevicesima Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Eximia haec mulier claras dedit religiosae pietatis operumque bonorum testificationes, quae totam suam vitam Deo omnino addixit idque ceteras sorores docuit. Exoptamus igitur ut salutifera Domini dona et Evangelii beneficia non modo sorores ipsae verum et homines complures affatim adipiscantur eiusdem incitati exemplo.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Novembris, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
ÜB ANGELUS card. SODANO

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 438.268

V

Venerabili Servo Dei Vincentio Eugenio Bossilkov Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Altero ad finem vergente millennio, Ecclesia rursus facta est martyrum Ecclesia. Fidelium persecutio — scilicet sacerdotum, religiosorum laicorumque — magnam ubique terrarum fecit martyrum sementem... Testimonium hoc non est de memoria deponendum» *(Tertio millennio adveniente,* 37).

Haec « martyrum Ecclesia » medio hoc saeculo praeclarum quidem protulit exemplar Vincentium Eugenium Bossilkov, Episcopum Nicopolitanum, sodalem Congregationis Passionis Iesu Christi. Coram iudicibus propter Christi nomen ductus, secundum Spiritum Patris qui in ipso operatus est respondit (cfr *Mt* 10, 20), atque usque ad sanguinis effusionem fidelitatem servavit erga divinum Magistrum eiusque Ecclesiam.

Natus est die XVI mensis Novembris anno MCM ab Aloisio et Beatrice Djantova, in pago *Belene,* in dioecesi Nicopolitana in Bulgaria. Domini vo-

cationem secutus, Congregationem Passionis I. C. ingressus est et anno MCMXX prima vota nuncupavit. Tribus elapsis annis professionem edidit perpetuam, consuetis votis religiosis illud Passionistarum proprium addendo, videlicet « in cordibus fidelium gratam Christi Passionis memoriam promovendi ». Post ordinationem sacerdotalem, die xxv mensis Iulii anno MCMXXVI susceptam, studia sua prosecutus est Romae apud Pontificium Institutum Orientale, ubi lauream adeptus est. Patriam repetiit dioecesim atque muneribus functus est a secretis Episcopi atque curionis, primum ecclesiae cathedralis Nicopolitanae, sitae in loco Roussé, ac deinde, annis MCMXXXIV-MCMXLVI, rusticae paroeciae Bardarski Gheran, ubique actuosam exercendo navitatem. Altero bello mundiali saeviente, incommoda et angustias participavit fideles suos sublevando plurimosque servando Hebraeos a legum impositarum iniuriis.

Mense Septembri anno MCMXLIV exercitus Foederatarum Civitatum Socialisticarum Sovieticarum invadit Bulgariam et regimen ibi constituit communistarum: et ipse saevam perpessus est persecutionem.

Post Episcopi Damiani Theelen mortem, Vincentius Eugenius Bossilkov nominatus est Administrator Apostolicus dioecesis Nicopolitanae; die xxvi mensis Iulii anno MCMXLVII electus Ordinarius eiusdem Sedis, primus fuit Natione Bulgariae autochthonus Episcopus. Stemma « Iustitia et caritate » sibi elegit, idemque fuit eius pastoralis industriae ratio in difficilioribus rerum adiunctis. Anno MCMXLVIII communistarum regimen scholas catholicas compressit: sereno et forti animo ille eventibus occurrit, devotionem in Passionem Christi, in Eucharistiam et Immaculatam Virginem Mariam adaugens. Eodem anno Romam adiit suamque erga Apostolicam Sedem confirmavit fidelitatem. Suadentibus quibusdam ut regressum in patriam tardaret, respondit: « Pastor sum gregis mei: gregem deserere non licet ». Ingravescentibus vexationibus, perquisitiones passus est, insectationes et calumnias; invictus cuiusdam nationalis ecclesiae repudiavit condicionem. Die XVI mensis Iulii anno MCMLII comprehensus est et in carcerem deductus, delationis accusatus et coniurationis. Mortem obiit die xi mensis Novembris anno MCMLII, in carcere, Sophiae, per internecionem a manuballista inductam, postquam verus assecla Christi professus est: « Nolo gratiam petere, quia animadverto Dominum mihi gratiam concedere accipiendi mortem ». Novit quidem ille bonus Pastor, « animam suam dare pro ovibus suis » (*Io* 10, 11). Corpus eius, in fossa communi sepultum, amplius non est inventum.

Crevit fama martyrii, at propter civiles vicissitudines Causa Beatificationis seu declarationis martyrii tantum anno MCMLXXXV inchoata est, apud

Curiam dioecesis Urbinatensis-Urbaniensis-Sancti Angeli in Vado, in Italia. Peractis rebus iure statutis, die xxvi mensis Martii anno MCMXCIV promulgatum est coram Nobis Decretum de martyrio. Quapropter decrevimus ritum beatificationis Romae peractum iri die xv mensis Martii anno MCMXCVIII.

Hodie igitur in Petriana Basilica inter sacra hanc elocuti sumus Beatificationis formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Petri Christov, Episcopi Nicopolitani, Luciani Monari, Episcopi Placentini-Bobiensis, et Antonii Mariae Cardinalis Rouco Várela, Archiepiscopi Matritensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Vincentius Eugenius Bossilkov, Birgitta a Iesu Morello et Maria a Monte Carmelo Salles y Barangueras Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Vincentii Eugenii Bossilkov die decima tertia Novembris; Birgittae a Iesu Morello die quarta Septembris; et Mariae a Monte Carmelo Salles y Barangueras die sexta Decembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

His quidem rite edictis, modo annuntiatos beatos Ipsi Nos debita devotione sumus venerati, admirantes tantam ipsorum pro Domini amore alacritatem, omnesque christifideles de eorum virtutibus et vita breviter edocuimus eosque simul exhortantes ad beatorum fidem et bonis in operibus explendis constantiam pie imitandam.

Quae autem hic sunt statuta, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibusvis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Martii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De mandato Summi Pontificis

ffi ANGELUS card. SODANO

Loco ÜB Sigilli

In Secret, Status tab., n. 429.773

VI

Venerabili Servo Dei Cypriano Michaeli Iwene Tansi Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam — Gloria et splendor huius temporis Africanae evangelizationis insigniter collustratur a sanctis quos recens Africa Ecclesiae donavit (Adhort. Apost. Postsynod. *Ecclesia in Africa,* 33). Donum quidem optimum quo Africa populum Dei exornavit habendus est presbyter Cyprianus Michael Iwene Tansi, qui, fidelis erga suam ipsius vocationem et missionem, pastorali auctoritate et fecunda vitae contemplationis humilitate Christum Iesum nuntiavit. In pago Igboezunu prope urbem Aguleri in archidioecesi Onitshana anno MCMIII a parentibus non christianis natus, anno MCMXII baptismalli lavacro est ablutus. Honestis praeditus moribus; navae operae deditus, pietatis, orationis et studii officio addictum se praebuit. Eucharisticum mysterium peculiari prosecutus est cultu. Magistri diplomate honestatus, in disciplinas tradendas summopere incubuit. Viginti annos natus munus assumpsit moderaminis scholae urbis Aguleri. Cum vero percepit se a Deo ad sacerdotale ministerium vocari, incunctanter respondit, et, quovis sublato impedimento, Seminarium est ingressus. Presbyteratus ordine auctus est die xix mensis Decembris anno MCMXXXVII.

Diversis in locis frugiferum apostolatum explicavit; prius sociam praestitit operam parocho loci Nnewi, postea ipsum parochi munus assumpsit exercuitque in locis Danukofia, Akpur et Aguleri. Ubique Verbum Dei alacriter nuntiavit, omnes hortatus ad Evangelii Ecclesiaeque leges observandas. Peculiari sollicitudine curavit matrimonia recte ineunda, pastorale ministerium inter familias gerendum, mulieris dignitatem tuendam. De vocationibus ecclesiasticis sollicitum se exhibuit; promptus exstitit ad infirmos, leprosos et pauperes invisendos nec non ad culturae morumque gradum suae gentis extollendum. Caritatis et paenitentiae spiritu clarus, plura incommoda oppetiit in utilitatem communitatum sibi creditarum, alios semper sibi praeponens. Vir gentis suae studiosus, simul vir Dei voluntati fidelis, diuturnae orationi et contemplationi prorsus dicatus. Dum vitam pro grege insumeret, plane intellexit se a Domino invitari ad patriam necessariosque relinquendos. De episcopi sui consensu, anno MCML ingressus est Monasterium Ordinis Cisterciensium Strictioris Observantiae, in comitatu Licestriensi situm, in Anglia, fiducia plenus se vitam monasticam in Afri-

eam transferre posse. Anno MCMLVI vota perpetua nuncupavit. In humilitate et in silentio communionem cum Deo intimiorem reddidit, semet ipsum abnegavit, oboedientiam ad rem deduxit, Regulam observavit. A mundi illecebris se abstrahens, fide, spe et caritate suscepit iter cum Deo, quem laudibus extulit cuique sancte et fideliter serviit. Meritis plenus et sanctitatis fama circumdatus, die xx mensis Ianuarii anno MCMLXIV pie in Domino obdormivit. Causa beatificationis et canonizationis anno MCMLXXXVI incollata est apud Curiam archidioecesis Onitshanae. Servatis de iure servandis, Nosmet Ipsi die iv mensis Iulii anno MCMXCV declaravimus Servum Dei virtutes théologales, cardinales eisque adnexas heroum in gradum exercuisse. Die **XXV** mensis Iulii insequentis anni Nobis coram Decretum prodiit super miraculo, Onitshae anno MCMLXXXVI patrato et intercessioni eiusdem Servi Dei ascripto. Statuimus ergo ut ritus beatificationis die xxn mensis Martii anno MCMXCVIII in Nigeria celebraretur, occasione Nostri Apostolici itineris in illam nationem. In Nostra igitur Apostolica Nigeriae visitatione, quam mense Martio anno MCMXCVIII peregimus, intra Missarum sollemnia, multis adstantibus fratribus Nostris Episcopis, presbyteris, nec non plurimis Christifidelibus, auxilio Spiritus Sancti invocato, hanc protulimus formulam:

Acceding to the request of our brother, Albert Obiefuna, Archbishop of Onitsha and President of the Catholic Bishops Conference of Nigeria, of many other brothers in the episcopate, of many of the faithful, and of the Cistercian monastic family, and after consultation with the Congrégation for the Causes of Saints, by our Apostolic Authority we declare that the Venerable Servant of God, Cyprian Michael Iwene Tansi, shall hereafter be invoked as Blessed, and that his feast shall be celebrated every year on the twentieth day of January, the date of his birth to eternai life, in the places and according to the norms established by Church law. In the name of the Father, and of the Son, and of the Holy Spirit.

Quae autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim sortiri, contrariis rebus minime efficientibus quibuslibet.

Datum Lagorensi in urbe, sub anulo Piscatoris, die xxn mensis Martii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
83 ANGELUS card. **SODANO**

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 431.128

VII

Venerabilibus Dei Servis Ritae a Virgine Perdolente Pujalte Sánchez et Franciscae Aldea Araujo Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Venit sponsus et quae paratae erant intraverunt cum eo ad nuptias » *(Mt* 25, 10).

Perinde ac prudentes Evangelii virgines Rita a Virgine Perdolente Pujalte Sánchez et Francisca Aldea Araujo, religiosae Caritatis Sacri Cordis Iesu, accensis cum lampadibus sponsum advenientem opperiebantur. Etenim martyrii die animos suos assiduis devotisque precationibus paraverunt atque, Christi exemplum persequentes, in antecessum carnificibus ignoverunt, quos antehac non noverant. Earum vita, in proximi famulatum versa, corona sic martyrii est locupletata. Altera martyr, Rita a Virgine Perdolente Pujalte Sánchez anno MDCCCLIII Aspe orta est, in pago scilicet quodam Lucentinae provinciae. Anno MDCCCLXXXVIII vestimentum sumpsit «Sororum Caritatis Sacri Cordis Iesu » atque die xxi mensis Iunii anno MDCCCXC temporalia vota nuncupavit. Ab omnibus ob dotes pietatemque aestimata, inde ab anno MDCCCXCI officia usque maioris momenti suo in Instituto gessit. Conditrix, Isabella de Larrañaga, antequam in Cuba anno MDCCCXCIX moreretur, suasit ut suae filiae generalem antistitam Sororem Ritam eligerent, quod religiosae anno MCM fecerunt atque eandem confirmarunt usque ad annum MCMXXVIII.

Altera martyr, Francisca Aldea Araujo anno MDCCGLXXXI in loco quem *Somolinos* vocant, provinciae Guadalaiarensis, nata est. Iam puella vitae difficultates experta est. Novem annos nata patrem et duos post annos matrem amisit.

Collegio Sanctae Susannae Matriti intraria veluti alumna suscepta, pertinuit ad « Sorores Caritatis Sacri Cordis Iesu ». xvui annos nata, Instituti illius, in quo adolevit, novitiatum ingressa est, ubi mater Rita a Virgine Perdolente magistrae sustinebat personam, quae socia exinde erit martyrii.

Cum ad opus docendi esset destinata, titulum magistrae consecuta est, quae hanc artem peractuose usque ad annum MCMXVI exercuit, cum assistens electa est ac deinceps generalis secretaria.

Ritam a Virgine Perdolente peculiariter colebat, pristinam scilicet novitiatus magistram, iam admodum senem et fere caecam ipsaque libenter illi

inservivit apud collegium Sanctae Susannae ut infirmaría, ubi utraque religiosa persecutione affecta est. Die xx mensis Iulii anno MCMXXXVI rerum novarum molitores collegium sunt aggressi, ianuas perfregerunt atque ingressi sunt manuballistas displodentes. Omnes sorores, periculi consciae, cappellani petiverunt: precem marialis rosarii iam dixerant atque animas Deo commendabant. Antistita seditiosos rogavit ut matrem Ritam dimitterent, LXXXIII annos agentem, caecam et aegrotam necnon sororem Franciscam, item aegrotam. Rita a Virgine Perdolente antequam discederet sorori Franciscae dixit: « Nunc iis ignoscamus, qui nos necabunt » atque sorores salutavit dixitque « usque ad caelum ». Seditiosos sunt secutae, quas in diaetam quandam perduxerunt. Duas post horas redierunt easque plaustello aliquo vectas in suburbium quoddam Matriti duxerunt, prope pagum quem *Canillejas* vocant. In via quadam deserta prope coemeterium illius pagi, eas deposuerunt atque manuballistarum compluribus ictibus necaverunt. Hora tertia et dimidia erat post meridiem diei xx mensis Iulii anno MCMXXXVI. Doctores, qui postridie secta cadavera inspexerunt, mirati sunt eo quod corpora flexilia adhuc erant atque fragrantia suavissima redolebant.

Martyrii fama perstante, anno MCMLIV Beatificationis Causa incohata est, martyrii videlicet declaratio. His quae a Iure perscribuntur peractis rebus, Nobis coram die VII mensis Iulii anno MCMXCVII decretum super martyrio prodiit. Statuimus igitur ut Beatificationis ritus Romae die x mensis Maii anno MCMXCVIII celebraretur.

Hodie igitur, in foro ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri spectante, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: Nos, vota Fratrum Nostrorum Antonii Mariae Cardinalis Rouco Várela, Archiepiscopi Matritensis, Nasrallah Petri Cardinalis Sfeir, Patriarchae Antiocheni Maronitarum, et Francisci Iosephi Pérez y Fernández-Golfín, Episcopi Xetafensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Rita a Virgine Perdolente Pujalte Sánchez et Francisca a Corde Iesu Aldea Araujo, Maria Gabriela Hinojosa et Sociae, Maria Sagrario a Sancto Aloisio Gonzaga Elvira Moragas Cantarero, Nimatullacius Iosephus Kassab Al-Hardini et Maria Maravillas a Iesu Pidal y Chico de Guzmán Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali: Ritae a Virgine Perdolente Pujalte Sánchez et Franciscae a Corde Iesu Aldea Araujo, die vicesima Iulii; Mariae Gabrielae Hinojosa et Sociarum, die decima octava

Novembris; Mariae Sagrario a Sancto Aloisio Gonzaga Elvirae Moragas Cantarero, die decima sexta Augusti; Nimatullacii Iosephi Kassab Al-Hardini, die decima quarta Decembris; et Mariae Maravillas a Iesu Pidal y Chico de Guzmán, die undecima Decembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x mensis Maii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
£8 ANGELUS card. **SODANO**

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 434.966

VIII

Venerabili Servo Dei Ioanni Mariae Boccardo Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Sanctus esse cupio, sancte vivere, sanctos imitari. Nihil possum, vos autem mihi succurrite; omnia possum in eo qui me confortât ». Haec verba humiliter proferens, Venerabilis Servus Dei Ioannes Maria Boccardo suae vitae formam ostendit, « sanctitatem » scilicet per apostolatum omnino intentum ad amorem Christi inter homines collustrandum et ad famulatum pauperibus et indigentibus praestandum. Venerabilis Servus Dei Ioannes Maria Boccardo, Deo dilectus et Ecclesiae, in urbe Montis Calerii, in archidioecesi Taurinensi, die xx mensis Novembris anno MDCCCXLVIII natus est e parentibus vere christianis qui eum in fide et in proximi dilectione erudierunt. Sedecim annos natus Seminarium Taurinense ingressus, post septennium expletum sacro presbyteratus ordine est auctus. Duos per annos Taurinis adiutor exstitit in Seminario Cheriensi, deinde spiritus moderator in Seminariis Cheriensi et Taurinensi. Ab anno MDCCCLXXXII curionis munus exercuit in pago *Pancalieri,* in quo christianis refulsit virtutibus simulque strenuus apostolus vitam religiosam promovit et laicatum, promptum se praebens ad temporum signa discernenda. Pervivida fides, quam oratione nutrivit et Verbi Dei contemplatione, totam vi-

tam illuminavit. Dei voluntati obtemperans exclamare consueverat: « Ita est, Deus meus! quae Tu vis ego quoque desidero ». Sed quid dicendum de eius indefatigabili studio erga pauperes, per quos Christi vultum contuitus est? Anno MDCCCLXXXIV, cum pestilentia morbi cholerae Pancalieri pervasit, morbo affectos omni ope mederi conatus est, suae quoque vitae impendio. Morbo depulso, perpensa incolarum condicione, Hospitium Caritatis atque Institutum Sororum « Pauperum Filiarum Sancti Caietani » condidit. Servus Dei valuit sublevare hominum aerumnas eodem Sancti Caietani spiritu, senes dolentesque homines curare, iuvenes instituere atque opera paroecialia provehere. In exercendis virtutibus paupertatis, simplicitatis, humilitatis et caritatis erga proximum, prae oculis habuit sententiam illam evangelicam: «Quaerite primum Regnum Dei et iustitiam eius» *(Mt* 6, 33). Vestigia persequens curionis vici Ars, christifidelibus suis verbo et exemplo viam ostendit in caelum. Parochi munus iniens, ita fideles est allocutus: « Ad vos venio, dilectissimi, uti pater, frater et amicus vester, ut vivam sicut vos utque gaudia et dolores vitae vobiscum participem... Venio ad vos uti servus omnium... ». Conditor Instituti ipse Regulas scripsit quae dioecesanam obtinuerunt approbationem anno MCMV et pontificiam anno MCMLVIII. Pium filium Deiparae Virginis se professus est, quam constanti fiducia invocare solebat. Interrogantibus: « Estne difficile Paradisum ingredi? », respondit: « Esto devotus Mariae quae ianua est Paradisi, et ingredieris ». Venerabilis Servus Dei terrestris vitae cursum explevit die xxx mensis Decembris anno MCMXIII. Diebus nostris charisma Servi Dei adhuc viget et in Instituto ab ipso condito fructus edere pergit. Sorores « Pauperes Filiae Sancti Caietani » in Italia, Brasilia, Argentina, Benino et Togo morantur et operantur. Causa Beatificationis et canonizationis apud Curiam archidioecesanam Taurinensem anno MCMLX est incohata. Expletis omnibus de iure servandis, Nosmet Ipsi die VI mensis Aprilis anno MCMXCVIII declaravimus Servum Dei virtutes théologales, cardinales eisque adnexas heroum in modum exercuisse. Anno MCMLXVIII in oppido Assisensi, in Brasilia, mira sanatio est habita, intercessioni Servi Dei adscripta. De hac mira sanatione anno MCMLXXIX instructus est processus canonicus apud Curiam Assisensem in Brasilia; casus examini medicorum et theologorum de more subiectus est felici cum exitu; deinde die II mensis Maii anno MCMXCVIII Decretum prodiit super miro. Itaque statuimus ut ritus Beatificationis Taurinis celebraretur occasione Nostri apostolici itineris. Hodie igitur, in Taurinensi foro vulgo « Vittorio Veneto », intra Missarum sollemnia hanc protulimus formulam: « Noi, accogliendo il de-

siderio dei nostri fratelli Livio Maritano, Vescovo di Acqui, Giovanni cardinale Saldarmi, Arcivescovo di Torino, e Fernando Charrier, Vescovo di Alessandria, e di molti altri fratelli nell'episcopato e di molti fedeli, dopo aver ricevuto il parere della Congregazione delle Cause dei Santi, concediamo, con la nostra Autorità Apostolica, che i Venerabili Servi di Dio Teresa Bracco, Giovanni Maria Boccardo e Teresa Grillo Michel d'ora in poi siano chiamati Beati e che si possa celebrare la loro festa ogni anno, nei luoghi e secondo le regole stabilite dal diritto, il 30 agosto per Teresa Bracco, il 20 novembre per Giovanni Maria Boccardo, e il 26 gennaio per Teresa Grillo Michel. Nel nome del Padre e del Figlio e dello Spirito Santo ». Quibus prolatis verbis, cum adstantibus cunctis hunc Beatum venerati sumus et quasi praeeuntes Nos Ipsi primi consentanea prece eum in adiutorium totius Ecclesiae advocavimus. Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Taurinis, die xxiv mensis Maii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
ffi ANGELUS card. SODANO

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 434.968

IX

Templum Deo dicatum in honorem sancti Vincentii de Paul in urbe ac dioecesi Assisensi, ad gradum Basilicae minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Caritate viva motus et animarum zelo, sanctus Vincentius, vir profecto apostolicus, merito pauperum aestimatur protector, pupillorum defensor omniumque maerentium consolator. Volentes quidem maiori ipsius gloriae atque christifidelium bono spiritali favere, libenter accepimus postulationem Venerabilis Fratris Antonii de Sousa, Episcopi Assisensis, ut ecclesia paroecialis Deo dicata in honorem sancti Vincentii de Paul, presbyteri, dignitate Basilicae minoris exornaretur. Certiores facti hanc aedem etiam recta ratione atque aequo modo aedificatam et ornatam esse, eiusmodi petitioni concedimus, confisi sane fore ut, interceden-

te sancto Vincentio, hoc ad populi Dei totius dioecesis caritatem et fidem confirmandam multum conferat.

De consilio ideo Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, potestate Nostra Apostolica per has Litteras statuimus, ut ecclesia paroecialis in urbe ac dioecesi Assisensi Deo dicata in honorem S. Vincentii de Paul, titulo et dignitate Basilicae minoris fruatur, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis iis quae iuxta Decretum « De titulo Basilicae minoris » die ix mensis Novembris, anno MCMLXXXIX datum, servanda sunt. Haec vero nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiv mensis Octobris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

De mandato Summi Pontificis
& ANGELUS card. **SODANO**

Loco ffl Sigilli
In Secret. Status tab., n. 441.810

X

Beata Maria V. sub titulo « Our Lady of the Southern Cross » Patrona apud Deum dioecesis Tuumbanae confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Christi asseclae qui dioecesim Tuumbanam in cara terra Australiana incolunt, Beatam Mariam Virginem sub titulo « Our Lady of the Southern Cross » clara veneratione prosequuntur atque, Ea intercedente, caelestium gratiarum copiam sibi exposcunt. Ipsorum praesertim animarum utilitate permotus, Venerabilis Frater Villelmus Martinus Morris, Episcopus Tuumbanus, communia cleri populique vota excipiens, electionem Beatae Mariae Virginis in Patronam- apud Deum dioecesis suae peregit rite, atque petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos vero comprobatis iis quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, facultatibus a Nobis factis, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate Beatam Mariam Virginem sub titulo « Our Lady of the Southern Cross » Patronam apud Deum dioecesis Tuumbanae confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus secundum

Instructionem « de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xiv mensis Novembris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

De mandato Summi Pontificis
SB ANGELUS card. **SODANO**

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 442.280

CONVENTIO

INTER SANCTAM SEDEM ET CROATIAE REM PUBLICAM DE REBUS OECONOMICIS

ACCORDO TRA LA SANTA SEDE E LA REPUBBLICA DI CROAZIA CIRCA QUESTIONI ECONOMICHE

La Santa Sede
e la Repubblica di Croazia

in conformità alle norme dell'*Accordo tra la Santa Sede e la Repubblica di Croazia circa questioni giuridiche;*

cercando la Chiesa Cattolica nella Repubblica di Croazia di assicurare le condizioni materiali dell'attività pastorale, in accordo con le disposizioni del Concilio Vaticano II e le norme canoniche;

fondandosi la Repubblica di Croazia sulle norme della Costituzione e sulle leggi corrispondenti;

Buďte blízko svým knéžím, které prozřetelnost stále povoláva z vašeho lidu. Uméjte jim naslouchat, podporiť je, ocenit je, ukázať jim cestu, napomenout je když je to nutné, avšak stále s moudrostí, a především s otcovskou láskou. Buďte pro né učiteli v soudnosti, aby i oni uméli pak vychovávať jim svéřená společenství k soudnosti a k nasledovaní toho, k čemu vybízí Duch pro oživení víry a udržení duchovní úrovne, která charakterizovala české rodiny, zvláštė v období ateistického pronásledování.

Kéž by cirkev, která dosvedčuje víru v Krista ve vaši zemi, prožívala trvalý rúst duchovních daru a činností, které by, díky púsobení Pastýřú, přinášely bohaté ovoce kresťanského života na prahu nového tisíciletí.

S tímto praním vás svéřuji pod ochranu Panny Marie, kterou váš lid úctivá s takovou zbožností na mnohá poutních místech, roztroušených po celé vlasti. Ať vám vyprosí milosti, o než nejvíce žádáte a stále vás podporuje ve službe cirkvi. Ať vás provází i mé požehnaní, které ze srdce udéluji každému z vás i vašim diecézním společenstvím.

VI

Ad episcopos Ruandae.*

Chers Frères dans Vépiscopat,

1. En ces jours où vous accomplissez votre pèlerinage auprès du tombeau des Apôtres, je suis heureux de vous accueillir dans cette demeure, vous qui êtes les Pasteurs de l'Église au Rwanda. Vous êtes venus partager avec le Successeur de Pierre les joies et les soucis de votre ministère episcopal, les épreuves et les aspirations du peuple dont vous avez la charge. Je souhaite que vos rencontres auprès du Siège apostolique vous apportent réconfort et encouragement, afín que vous puissiez poursuivre avec toujours plus d'assurance votre mission de pérenniser l'œuvre d'amour du Christ pour tous les hommes, en union avec le Souverain Pontife et sous son autorité.[1] Vous savez aussi la sollicitude que le Saint-Siège vous manifeste en permanence grâce à l'écoute attentive et au soutien que vous pouvez toujours trouver auprès du Nonce apostolique et de ses collaborateurs.

Je remercie cordialement le Président de votre Conférence episcopale, Mgr Thaddée Ntihinyurwa, Archevêque de Kigali, pour ses paroles clairvoyantes qui traduisent avec précision les préoccupations mais aussi les espérances de l'Église au Rwanda. A travers vous, je voudrais saluer avec affection les prêtres, les religieux, les religieuses, les catéchistes et les fidèles de vos diocèses ainsi que le peuple rwandais tout entier, dont je suis particulièrement proche dans les souffrances qui l'ont tragiquement frappé et dont je connais aussi la volonté de retrouver une vie commune fondée sur la fraternité et l'entente mutuelle. Que Dieu guérisse les cœurs qui ont été si douloureusement blessés et qu'il bénisse les efforts de tous les artisans de paix!

2. Au cours des derniers mois, l'épiscopat rwandais a pu être reconstitué. En confiant au Père de toute miséricorde les Évêques décédés durant la tragédie qu'a connue votre pays, j'encourage les nouveaux Évêques à être des pasteurs selon le cœur du Christ pour guider le peuple de Dieu dans cette étape difficile de son existence. La charge que vous avez reçue d'enseigner, de sanctifier et de gouverner, vous engage à développer tou-

*** Die 17 Septembris 1998**

[1] **Cf. *Christus Dominus,* n. 2.**

jours plus entre vous les liens de l'unité dans la charité. En effet, comme je l'ai écrit dans le Motu proprio *Apostolos suos,* « l'unité de l'épiscopat est l'un des éléments constitutifs de l'unité de l'Eglise »[2] et de sa croissance. Une collaboration active et fraternelle vous permettra d'accomplir avec fruit votre mission et, dans les circonstances présentes, de manifester ainsi la communion ecclésiale et votre souci commun de tout le peuple. « Lorsque les Évêques d'un territoire exercent conjointement certaines fonctions pastorales pour le bien de leurs fidèles, cet exercice conjoint du ministère épiscopal applique concrètement l'esprit collégial *(affectus collegialis),* qui est l'âme de la collaboration entre les Évêques sur le plan régional, national ou international ».[3]

La tragédie vécue par votre peuple au cours des dernières années a détruit de nombreuses structures, que vous devez reconstruire pour permettre à l'Église de poursuivre ses activités au service de ses membres et de l'ensemble de la population. Mais ces malheurs ont surtout frappé les cœurs. Pour aider les fidèles à trouver la guérison de leurs profondes blessures, il est nécessaire de susciter chez eux une réelle aspiration à la sainteté, en prenant le chemin de la conversion et du renouveau personnel et communautaire, dans un esprit de prière, de charité et de pauvreté intérieure. Que les communautés chrétiennes manifestent avec audace et ténacité une attitude prophétique de réconciliation mutuelle et s'engagent résolument sur les chemins de la concorde dans la fraternité et la confiance retrouvées!

3. La célébration du grand Jubilé de l'an 2000 est désormais toute proche. Pour l'Église au Rwanda, elle coïncidera avec le premier centenaire de l'évangélisation. Le 8 février 1900, en effet, la première paroisse était créée à Save dans l'actuel diocèse de Bufare. Avec vous et avec toute l'Église de votre pays, je rends grâce à Dieu pour tout ce qui a été vécu au cours de ces années, pour l'ardeur apostolique des premiers missionnaires qui ont apporté l'Évangile sur votre terre, et pour le courage de tous ceux et de toutes celles qui ont témoigné fidèlement de l'Esprit du Christ. Je voudrais aussi exprimer la reconnaissance de l'Église aux missionnaires qui, aujourd'hui, par leur travail inlassable et désintéressé, poursuivent l'œuvre de ceux qui les ont précédés. Leur présence au service des communautés de

[2] **N. 8.**
[3] ***Ibid.,* n. 12.**

vos diocèses garde toute sa signification. Elle est le signe de l'universalité de l'amour de Dieu et de la mission de l'Eglise, qui est envoyée à tous les hommes sans distinction.

La période préparatoire aux célébrations jubilaires est favorable à un regard de vérité sur le passé. N'ayez pas peur d'affronter la réalité historique telle qu'elle est! Au cours de ce premier siècle d'évangélisation, il y a eu d'admirables héroïsmes, mais aussi des infidélités à l'Evangile qui exigent un examen de conscience sur la façon dont la Bonne Nouvelle a été vécue depuis cent ans. L'appartenance au Christ n'a pas toujours été plus forte que l'appartenance à des communautés humaines. Un « réveil spirituel » est nécessaire au seuil de l'étape qu'entreprend l'Église dans sa marche au milieu des hommes. Une « nouvelle évangélisation » en profondeur est urgente pour que le message évangélique soit annoncé, reçu et vécu en vérité par les hommes de notre temps.

4. Toutefois, chers Frères dans l'épiscopat, il faut affirmer clairement que les souffrances que l'on peut ressentir devant les ombres du passé ne sauraient cacher les lumières qui ont éclairé et qui continuent d'éclairer la route de l'Église et de la société dans votre pays. Il y a eu de beaux fruits de fidélité au Christ de la part de chrétiens qui ont eu une attitude héroïque dans les moments tragiques de la vie de la nation. Nombreux sont les disciples du Christ qui, chez vous, ont accepté généreusement de donner leur vie pour leurs frères. Mettez en lumière le témoignage de ces martyrs de l'Amour qui ont révélé le visage le plus authentique de l'Église, afin que leur sang soit une semence évangélique et que les générations futures ne les oublient pas! Ils vous aideront à ne pas désespérer de l'homme et à regarder courageusement vers l'avenir pour œuvrer à la venue de cette civilisation de l'amour que l'humanité attend.

Ils vous rappelleront aussi que « la voix de la *communio sanctorum* est plus forte que celle des fauteurs de division ».[4] Car l'Église doit d'abord donner au monde le témoignage de son unité dans le Christ et autour de ses pasteurs. Le Concile Vatican II, dans la Constitution dogmatique *Lumen gentium*, porte une attention particulière à l'unité de l'Église, dont les membres ne font qu'un dans le Christ qui en est la tête. Il est en effet essentiel que tous, Évêques, prêtres, religieux, religieuses, laïcs, prennent une conscience toujours plus vive de leur responsabilité pour que l'unité du

[4] ***Tertio millennio adveniente*, n. 37**

Corps du Christ, fondée sur l'action de l'Esprit et garantie par le ministère apostolique, soit soutenue par un véritable amour mutuel. C'est à ce signe que l'on reconnaît les disciples du Seigneur Jésus.

5. Chers Frères dans l'épiscopat, par votre intermédiaire, je voudrais transmettre à vos prêtres l'affection et les encouragements du Successeur de Pierre, afín qu'ils trouvent dans leur ministère la joie et la force pour demeurer des fidèles serviteurs du Christ. Je connais l'attachement au peuple de Dieu dont beaucoup font preuve aujourd'hui comme déjà au temps du malheur, ainsi que leur zèle pour lui annoncer l'Evangile. Que le Seigneur donne à tous la grâce de surmonter dans la vérité les dissensions qui ont pu naître du fait de circonstances dramatiques! Qu'une communion toujours plus réelle se manifeste entre prêtres diocésains et missionnaires venus d'ailleurs! Aujourd'hui, j'invite vivement chacun à raffermir les liens de l'unité et de la fraternité avec ses frères dans le sacerdoce, et avec les Évêques, dont les prêtres doivent être les collaborateurs loyaux et généreux dans un dialogue sincère et confiant, en pleine communion de cœur et d'esprit. Cette unité exprime la nature même de leur service ecclésial, qui est participation à la mission du Christ à l'égard du peuple de Dieu rassemblé dans l'unité de l'Esprit Saint. Que vos prêtres sachent reconnaître en vous le père du presbyterium qui les considère comme des fils et des amis à l'exemple du Christ envers ses disciples! Qu'ils « aient pour leur Évêque un attachement sincère, dans la charité et l'obéissance »![5] Ils se souviendront qu'ils sont avant tout des pasteurs qui doivent prendre soin de tout le peuple, sans aucune exception. Il importe donc qu'ils ne s'engagent pas dans des associations ou des mouvements politiques ou idéologiques qui rendraient difficiles leur ministère de communion et leur lien avec les Évêques et l'Église universelle. J'invite tous les prêtres rwandais à garder le souci de servir l'Église de leur pays. Je souhaite aussi que les communautés accueillent les prêtres avec joie et cordialité, pour retrouver leur dynamisme évangélique.

Pour vivre pleinement leur vocation sacerdotale, il est nécessaire que les ministres du Christ gardent toujours présent le mystère du Seigneur au cœur de leur existence quotidienne. Cela exige que, dans l'exercice de leur ministère, ils donnent une place essentielle à la vie spirituelle, notamment par la fidélité à la Liturgie des Heures, à la célébration régulière de l'Eu-

[5] ***Presbyterorum ordinis,*** **n. 7.**

charistie et à la méditation de l'Écriture. Dans la formation permanente, qu'ils chercheront à poursuivre tout au long de leur vie, ils trouveront une aide précieuse pour que leur être et leur agir soient toujours conformes à la volonté du Seigneur et à la mission qu'ils ont reçue de lui et de son Église.

La formation des futurs pasteurs est l'une de vos préoccupations les plus constantes. La floraison des vocations est un signe de la vitalité de vos communautés. Malgré les nombreux obstacles rencontrés, vous avez entrepris des efforts remarquables pour améliorer l'assistance spirituelle et la qualité de la formation intellectuelle et pastorale de vos séminaristes. Je vous engage à les poursuivre avec persévérance et à confier une tâche si essentielle pour l'avenir de l'Église à des prêtres expérimentés dans la vie spirituelle, ayant des connaissances théologiques et philosophiques sûres et soucieux de favoriser la communion avec toute l'Église. Ils pourront assurer un discernement sérieux des vocations et aider les jeunes à acquérir une formation solide pour leur ministère futur.

6. Aux religieux et aux religieuses, qui vivent leur consécration au Christ avec générosité, je souhaite d'être partout d'authentiques témoins du Christ, mettant sous les yeux de tous le visage paternel de Dieu et le visage maternel de l'Église. Que leur vie entière soit un signe du primat de Dieu et des valeurs de l'Évangile dans l'existence chrétienne! Que leur vie communautaire soit une expression authentique de la communion ecclésiale! Qu'elle soit la manifestation éloquente que, parmi les disciples du Christ, « il n'y a pas d'unité vraie sans cet amour mutuel inconditionnel, qui demande d'être disposé à servir sans mesure, disponible pour accueillir l'autre comme il est, sans "le juger",[6] capable de pardonner même "soixante-dix fois sept fois"[7] ».[8]

7. Dans vos diocèses, les catéchistes et les volontaires de la pastorale sont souvent de véritables animateurs de communautés, particulièrement là où, en raison des circonstances, les prêtres ne peuvent être régulièrement présents. Leur témoignage de vie chrétienne est d'une grande importance pour l'annonce de l'Évangile ainsi que pour le maintien de la vie ecclésiale dans certaines régions. Tout en sauvegardant le caractère irremplaçable du ministère ordonné pour les communautés, il convient que vous leur appor-

[6] **Cf. *Mt* 7, 1-2.**
[7] ***Mt* 18, 22..**
[8] ***Vita consecrata,* n. 42**

tiez votre soutien dans l'accomplissement de la mission que vous leur donnez. C'est pour eux une incitation à prendre toujours mieux conscience de leur responsabilité parmi leurs frères, en communion avec les pasteurs. Une formation appropriée, qui les aide à développer les vertus humaines et spirituelles nécessaires à leur engagement, leur permettra d'acquérir toujours plus de maturité, afín de porter un fruit abondant.

Chaque laïc doit d'ailleurs avoir une « vive conscience d'être un "membre de l'Église" à qui est confiée une tâche originale, irremplaçable et qu'il ne peut déléguer, une tâche à remplir pour le bien de tous ».[9] La vitalité des communautés de base comme celle des mouvements d'apostolat et de spiritualité est un signe d'espérance pour le renouveau de l'Église, notamment là où les structures ecclesiales ont disparu du fait de la violence.

8. Par ses œuvres de charité, l'Église, en fidélité à l'Évangile, réalise une part importante et inaliénable de sa mission au service de l'homme. Vos diocèses sont engagés avec beaucoup de générosité dans l'assistance aux orphelins, aux veuves, aux réfugiés, aux prisonniers, à toutes les personnes qui souffrent ou qui sont dans la détresse morale ou matérielle. L'action de l'Église catholique dans les domaines de l'éducation et de la santé est aussi une participation essentielle à l'édification de la société, pour donner l'espérance aux jeunes générations et pour les préparer à devenir demain des responsables de la vie nationale. Je vous encourage vivement à poursuivre ces œuvres qui manifestent l'amour du Christ pour toute personne humaine sans distinction, contribuant à la restaurer dans sa dignité.

Les difficultés liées au déséquilibre démographique dans la société, du fait des récents événements et de leurs conséquences, ont introduit une condition nouvelle pour les relations matrimoniales. Tenant compte de ces situations, la pastorale familiale aidera les fidèles à réfléchir sur la signification des engagements du mariage et sur les moyens d'accompagner les couples, en particulier les jeunes. Les personnes devant vivre dans le célibat doivent aussi être soutenues.

9. Pour rendre effective la communion entre tous les membres de l'Église, il est essentiel que s'établisse un climat de confiance mutuelle, qui s'étendra à l'ensemble de la société. Partout où des oppositions mettent en péril la paix et l'entente entre les groupes, l'Église est appelée à travailler avec vigueur à apaiser les divisions, notamment en encourageant et en pra-

[9] ***Christifideles laici,*** **n. 28.**

tiquant elle-même le dialogue qui conduira à la réconciliation. Accueillir son frère ou sa sœur avec ses différences pour y trouver des richesses qui sont offertes par Dieu est une exigence pour tout disciple du Christ.

La formation des jeunes doit intégrer ce nouvel esprit qui devrait présider aux relations entre les personnes et entre les communautés humaines. Une société ne peut s'établir durablement dans la compréhension mutuelle sans une culture de la vérité, de la justice et du pardon. Le génocide qu'a vécu votre peuple a causé des souffrances indicibles qui ne pourront être surpassées que dans la solidarité et l'unité des cœurs et par un engagement de tous à créer les conditions d'une plus grande justice. La paix est indissociable de la justice! Elle ne se réalisera que par la défense de la vie, de toute vie humaine, qui, aux yeux de Dieu, a une valeur unique et inestimable. En effet, «la reconnaissance effective de la dignité personnelle de tout être humain exige le respect, la défense et la promotion des droits de la personne humaine. Il s'agit de droits naturels, universels et inviolables: personne [...] ne peut les modifier, encore moins les supprimer, parce que ces droits procèdent de Dieu lui-même ».[10]

10. Chers Frères dans l'épiscopat, vous m'avez fait part des difficultés que rencontre l'Eglise pour faire comprendre le sens de sa mission dans la situation présente. « En tant que corps organisé à l'intérieur de la communauté et de la nation, l'Église a le droit et le devoir de participer pleinement à l'édification d'une société juste et pacifique avec tous les moyens qui sont à sa disposition ».[11] Elle a donc un rôle particulier à tenir dans la vie nationale, approfondissant loyalement sa collaboration avec l'État pour favoriser les conditions de l'établissement d'une société toujours plus juste et plus pacifique. Sa présence dans la vie publique est claire et sa responsabilité propre ne saurait interférer avec celle des personnes qui ont mission de guider la nation sur ses chemins terrestres. Alors que la violence continue encore à frapper plusieurs régions de votre pays et à endeuiller de nombreuses familles, je souhaite ardemment que tous les hommes de bonne volonté puissent unir leurs efforts pour qu'enfin tous les Rwandais retrouvent la sécurité et une vie paisible. Ainsi ils pourront chercher ensemble les moyens de construire, dans une réelle solidarité, une nation prospère et fraternelle où chacun soit reconnu dans sa dignité d'homme et de cito-

[10] ***Christifideles laici,*** **n. 38.**
[11] ***Ecclesia in Africa,*** **n 107..**

yen et puisse participer librement à la gestion du bien commun. J'invite tous les responsables de la nation à n'épargner aucun effort pour que, dans un climat de confiance mutuelle et de réconciliation, vienne enfin une ère de justice et de paix sur la terre rwandaise et dans la région des Grands Lacs. En particulier, je souhaite ardemment qu'en République démocratique du Congo on continue à rechercher inlassablement une solution négociée au conflit, de sorte qu'il soit mis fin aux hostilités et qu'à la lutte armée soient substitués un accord durable et la collaboration entre tous les pays de la région, pour le plus grand bien de leurs populations et de tout le continent. Que jamais plus la violence et la discorde ne dressent des frères contre des frères!

11. Au terme de notre rencontre, je vous invite à tourner votre regard vers l'avenir avec une pleine confiance. Alors que s'approche la célébration du grand Jubilé et du centenaire de l'Eglise au Rwanda, j'engage vos fidèles à renouveler leur adhésion au Christ, Sauveur de tous les hommes, et à témoigner avec audace qu'ils sont disciples de l'Evangile. Que tous se souviennent que le Seigneur n'abandonne personne et n'oublie aucun de ses enfants, dont le nom est inscrit sur la paume de ses mains![12] « Oui, sur les paumes des mains du Christ, percées par les clous de la crucifixion. Le nom de chacun d'entre vous [Africains] est gravé sur ces mains ».[13] Dans vos efforts pour la renaissance de vos communautés, vous pouvez compter sur le soutien fraternel et sur la prière de l'Eglise universelle. Je confie à l'intercession de la Vierge Marie l'avenir de vos diocèses ainsi que celui de la nation entière. Je lui demande particulièrement de vous aider dans votre ministère episcopal, afin que vous trouviez en elle un guide sûr qui vous conduira vers son Fils. De grand coeur je vous donne la Bénédiction apostolique, que j'étends à tous les fidèles de vos diocèses.

[12] Cf. *Is* 49, 16,
[13] Homélie à Khartoum (10.02.1993), n. 8, citée par *Ecclesia in Africa,* n. 143.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

SUBLACENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Didaci Oddi (in saec.: Iosephi) laici professi Ordinis fratrum minorum (1839-1919)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Didacus Oddi (in saec.: Iosephus) postridie nonas Iunias ortus est anno 1839 in pago *Vallinfreda* sermone vernáculo denominato, intra fines posito dioecesis Tiburtinae. Usque ad aetatem triginta duorum annorum familiam adiuvit in agrorum labore, postea Ordinem Fratrum Minorum ingressus est in recessu oppiduli Bellegra vulgo vocati, ibique professionem emisit religiosam tamquam frater laicus anno 1886. Mendici munus, quod diligenter explevit per totam vitam suam consecratam, efficacem reddidit apostolatum. Caritate simplici ac laeta eminuit, necnon summa humilitate fidelique Regulae observantia. Ampla insignis sanctitatis fama, terrestre suum iter conclusit die 3 mensis Iunii anno 1919.

Beatificationis et Canonizationis Causa inita est ab Abbate Ordinario Sublacensi anno 1933. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 22 mensis Ianuarii anno 1991 declaravit Servum Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio considerationi Congregationis de Causis Sanctorum miram coniectam sanationem permisit Iuliani Pallotta qui, pridie nonas Novembres anno 1958, septuaginta sex annos natus, in polyclinicum valetudinarium Romanum deductus est cum diagnosi enterocelis implicitae ad gradum epigastricum et enterocelis inguinalis sinistrae. Post sectionem chirurgicam aegrotus perrexit dolores animadvertere abdominis et continua vomitione laborare atque azothaemia alta. Ob aggravatas

condiciones generales, aegroti familiares idibus Novembribus domum illum retulerunt. Ibidem postridie medicus repperit praesentiam status semilethargici cum defectu cardiocirculatorio atque orbium interaneorum exitione per vulnus ex sectione chirurgica; altero medico adiuvante orbes interaneos reposuit in abdominis cavitate vulnusque suit punctis metallicis. Ex umorum profusione foraminis laparatomi ac gasii praesentia in intestinis medici diagnosim fecerunt de initiali peritonite. Est etiam prognosis facta infausta post breve tempus. Interim uxor, filii nonnullique aegroti propinqui intercessionem invocare coeperant Servi Dei Didaci Oddi, longinqua cognatione eos contingentis. Die 15 mensis Novembris medicus claram invenit salubrem mutationem condicionum aegri generalium, qui post duos tresve dies est dictus extra periculum mortis esse.

De sanatione, illico intercessioni Venerabilis ascripta, apud Curiam Sabinensem-Mandelensem anno 1960 celebratus est Processus canonicus, cuius auctoritas est rite probata a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 27 mensis Septembris anno 1985 promulgato. Consilium Medicorum Dicasterii, in sessione habita nonis Decembribus anno 1996, edixit sanationem a viscerum egressione post chirurgicam sectionem cum peritonite acuta, defectu cardiocirculatorio, statu hyperazothaemico, celerem fuisse, stabilem, completam cum laparocele residua, ex scientia inexplicabilem. Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum actus est die 9 mensis Maii anno 1997 et Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium atque Episcoporum anno 1998 die 20 mensis Ianuarii, Causae Ponente Excellentissimo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Didaco Oddi (in saec.: Iosepho), Laico professo Ordinis Fratrum Minorum, videlicet de celeri, stabili et completa sanatione Iuliani Pallotta ab « eviscerazione post-operatoria con peritonite acuta, collasso cardiocircolatorio con aritmia, stato iperazotemico ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

83 EDUARDUS NOWAK
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

L. © S.

Michael Di Ruberto *Subsecretarius*

TAURINENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ioannis Mariae Boccardo sacerdotis archidioecesis Taurinensis et parochi fundatoris congregationis sororum pauperum filiarum S. Caietani (1848-1913)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Volo sanctus fieri, uti sanctus vivere, sanctos imitari. Nulli rei aptus sum; sed tu, mi Deus, me adiuvas, et ego omnia possum in eo qui me confortât ».

His verbis sacerdos Ioannes Maria Boccardo suam significavit sanctitatis appetitionem firmumque illam adipiscendi propositum Deo opitulante. Quod statuerat, summa cum alacritate ad effectum adduxit; namque, sui immemor, studiose ambulavit in Dei viis, Iesum Christum imitans et assidua pastorali caritate animis sibi concreditis serviens.

Sedulus hic pastor Ecclesiae ortus est in oppido *Monte Calerio,* in archidioecesi Taurinensi posito, die 20 mensis Novembris anno 1848, decem filiorum Gasparis Boccardo atque Iosephae Malerba primogenitus, praedii colonorum cui nomen erat « Cà Bianca ». Postero die est baptizatus et anno 1858 Confirmationis sacramentum accepit. A parentibus fidem testificari didicit sine rubore atque precationem pauperesque diligere. Quattuordecim annos natus patrinus in Baptismate fuit fratris Aloisii, qui postea sacerdos fuit nuncque ad altarium gloriam candidatus. Gymnasii studiis peractis, in Seminarium dioecesanum est ingressus et die 3 mensis Iunii anno 1871 est sacerdos ordinatus. Superiores, qui eum magni faciebant, munus illi crediderunt praefecti alumnorum Seminarii ac deinde magistri spiritus eorundem. Simul studia prosecutus est lauream nactus in Sacra Theologia. Est ei etiam titulus collatus Canonici honorarii collegiatae ecclesiae Sanctae Mariae a Scalis in parva urbe Cherio sitae.

Ab anno 1882 ad mortem usque Parochus fuit pagi sermone vernáculo *Pancalieri* denominati. Eius pastorale consilium breviter potest exponi verbis, quibus populum est allocutus suum inchoans ministerium: « Utinam possem hoc temporis momento totum cor vobis patefacere ac demonstrare quantum vos amem quantique vos faciam et quantum gaudeam quod tandem inter vos sum [...]. Venio ad vos, dilecti, ut vobiscum vivam sicut unus ex vobis, pater vester, pastor, frater, amicus utque vobiscum gaudia et dolores vitae communicem [...]. Ad vos venio tamquam omnium servus, et quisque poterit me in promptu habere in propriis suis necessitatibus, quandoquidem semper fortunatum me atque felicem putabo, si vobis poterò servire vosque adiuvare, nihil aliud quaerens, nisi ut bonum omnibus faciam propter Dei amorem ». Eiusmodi congruens propositis, pro populo suo vixit uti benevolus atque officiosus pater, cui copiose distribuit redemptionis bona atque absolutae fidelitatis erga suam vocationem et officium exemplum praebuit. In paroecia et extra paroeciam cum planitate cumque assiduitate Dei verbum praedicavit necnon christianas veritates; cui ministerio studium et precationem praeponebat. Adultorum, iuvenum ac puerorum diligenter curavit catechesim; assiduus fuit in Paenitentiae sacramento administrando, in opitulatione religiosa aegrotis et morientibus praestanda, in spirituali moderatione. Multimodis legum Dei atque Ecclesiae fovit observantiam, pietatem in Eucharistiam inque Beatam Virginem Mariam, cultum divinum, ecclesiae paroecialis decus, quam restaurandam curavit. Opera missionalia sustinuit et Consociationum ac sodaliciorum provexit praestantiam, et nova instituit, uti Sodalitates a Sancto Rosario, a Sancto Aloisio Gonzaga, a Corpore Domini, ab Animis Purgatorii, Consociationem Custodiae Honorariae Sacratissimi Cordis Iesu, Tertium Ordinem Franciscanum. Peculiares adhibuit curas de Filiabus Mariae, quas obstrictas voluit amore Dei, pauperum, aegrorum, senum; in sinu huius sodalicii coetum electum formavit, ex puellis constantem, quae se Deo devovebant: hae ipsae animae generosae primarii Congregationis a Servo Dei conditae fuerunt lapides. Ut populo suo auxiliaretur atque superiorum ecclesiasticorum praeceptis obsequeretur argentariam agricolarum mensam instituit et Societatem Catholicam Operariam.

Cum anno 1884 vicus *Pancalieri* est cholera morbo correptus, parochus, qui a pueritia curae specimen dederat de pauperibus, omni ope nisus est pro cholera morbo affectis, etiam cum vitae suae periculo. Morbo contagioso praeterito, postridie nonas Novembres eodem anno Hospitium Caritatis

pro senibus pauperibus ac derelictis aperuit, cuius administrationem aliquibus puellis voluntariis, per quas Congregationem condidit Pauperum Filiarum Sancti Caietani, commisit, cuius dies natalis habetur unus et vicesimus mensis Novembris anni 1884. Anno vero 1932 huic religiosae familiae Dominus Aloisius, Sacerdos et frater eius, novum et virentem ramum adiunxit, qui a sororibus non videntibus efformatur vitae contemplativae deditis cui nomen Filiae a Iesu Rege. Charisma et spiritus novi religiosi Instituti, sub tutela positi Sancti Caietani Thienaei, quaesitio fuit Regni Dei eiusque iustitiae (cf. Mt 6, 33) per exercitium purissimae caritatis erga proximum, paupertatis, simplicitatis atque humilitatis. Adiuvante prima Antistita generali Matre Caietana Fontana Servus Dei, qui dioecesanam obtinuerat approbationem Constitutionum quas ipse conscripserat, solidandae et augendae Religiosae Familiae sedulo prospexit, quae multas aperuit domos ad assistendum senibus, aegrotis, orphanis, proque puerulorum et puellarum educatione necnon paroecialibus operibus. Pius Conditor cum amabilitate et firmitudine formationi spirituali consuluit Sororum, iisque, sicut et cunctae ecclesiali communitati mirabilia dedit exempla virtutum et sanctitatis. Enituit enim fidei firmitate, caritatis navitate, spei in Deo inque eius providentia robore. Mente et corde divinae adhaesit revelationi atque Ecclesiae magisterio; intimam cum Domino coluit coniunctionem, cuius voluntati semper oboedivit, in cuius gloriam laboravit. Ut Deo placeret et suum apostolatum efficaciorem redderet se castigavit, mansuetudinis et humilitatis habitum sibi comparavit, adversus quodlibet peccati genus certavit ac sapienter caelitus accepta talenta est feneratus. A bonis terrestribus fuit alienus et quae possidebat cum pauperibus communicavit. Animam suam, semper ad evangelicam perfectionem intentam, aluit Sacrarum Litterarum meditatione, assidua precatione, veritatum aeternarum contemplatione, Liturgia ac praesertim Missae celebratione atque Eucharistiae adoratione; pietate in Sacrum Cor Iesu et in Virginem Mariam Dei Matrem, Ecclesiae amore, Romani Pontificis et Archiepiscopi dioecesani. Ipsae in quas incidit difficultates in ministerio factae sunt ei purificationis et artioris congruentiae cum Iesu Christo instrumentum. Per suorum munerum cotidianum exercitium in Dei ac proximi crevit amore, adeo ut Deus vitae eius cardo factus sit atque affectuum, proximus vero eius pastoris sollicitudinum centrum. Semper ad opera facienda misericordiae corporalis et spiritualis paratus, Christi lucem ubique diffudit sibique existimationem conciliavit et venerationem superiorum, sacerdotum, populi atque potissimum egenorum et

dolentium, qui iure eum considerabant patrem pauperum, afflictorum consolatorem, fratrem qui gaudia et angores aliorum participabat. Misericors fuit in peccatores inque eos omnes, qui eius animum offenderunt; patienter personas molestas toleravit. Haecque omnia summa cum prudentia fecit et iustitia, suavitate et fortitudine.

Sedulitas et labores quibus paroeciae servivit et Congregationi quam instituerat eius corpus bene constitutum ante tempus confecerunt. Eius valetudo ex improviso mense Maio anno 1911 defecit, cum est cerebri ictu correptus. Eius condiciones posterius deteriores factae sunt multique fuerunt eius corporis et animi dolores, quos tacite est perpessus, precans et offerens pro populo suo. Dominus eum arcessivit die 30 mensis Decembris anno 1913.

Fama sanctitatis, qua in vita claruerat, palam est patefacta in exsequiis atque secutis annis est confirmata. Archiepiscopus Taurinensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per Processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1960-1978), cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto calendis Decembribus anno 1989 promulgato. Confecta Positione, inquisitum est an Servus Dei virtutes coluisset heroum in modum. Die 28 mensis Octobris anno 1997, prospero cum exitu, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 3 mensis Februarii praeteriti, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Vergilio Noè, agnoverunt Servum Dei sacerdotem Ioannem Mariam Boccardo heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Mariae Boccardo, Sacerdotis archidioecesis Taurinensis et Parochi, Fundatoris Congregationis Sororum Pauperum Filiarum S. Caietani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

£8 EDUARDUS NOWAK

archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

L. © S.

Michael Di Ruberto *Subsecretarius*

TAURINENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Francisci Paleari sacerdotis dioecesis Taurinensis instituti v.d. « Cottolengo » (1863-1939)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Omnibus omnia factus sum, ut aliquos utique facerem salvos » *(1 Cor* 9, 22).

Quod apostolus Paulus affirmavit de se, ad sacerdotem dioecesanum quoque Franciscum Paleari potest revocari, qui Domini Iesu exemplum secutus, summa cum pastorali caritate persequendae animarum saluti se tradidit, diligenter munera sacerdotalia exsequendo, impensam atque multiplicem explicando apostolicam industriam seque omnibus omnia faciendo.

Hic Dei vir, septimus ex octo Angeli Paleari et Seraphinae Oldani filiis, ortus est in oppidulo sermone vernáculo denominato *Pogliano Milanese* intra fines archidioecesis Mediolanensis die 22 mensis Octobris anno 1863 ac postero die est baptizatus nominibus captis Carolo Francisco. A familia, admodum religiosa, fructuose artam accepit christianam educationem, in qua mox vocatio floruit ad sacerdotium. Parocho curante ingressus est anno 1877 Seminarium Parvae Domus Divinae Providentiae Augustae Taurinorum sitae, quod ipse conditor Iosephus Benedictus Cottolengo appellavit « Familiam Thomasinorum », quandoquidem sub tutela positum erat Sancti Thomae Aquinatis. Magna cum alacritate exitibusque optimis in studia incubuit, in disciplinae observantiam, in pietatem. Archidioecesi Taurinensi incardinatus, die 18 mensis Septembris anno 1886 est sacerdos ordinatus, in servitio manens Parvae Domus, in qua spiritum caritatis appropriavit, ad omne genus paupertatis materialis ac spiritualis apertum, atque immensam Divinae Providentiae fiduciam. Acriter et intellegenter se contulit ad disci-

plinas litterarum et deinde philosophicas docendos discipulos Familiae Thomasinorum (annis 1891-1931); eodem tempore prompta cum sedulitate apostolatui se tradidit, praesertim praedicationis, confessionum atque moderationis spiritualis ministeriis. Pastoralem operam suam navavit variis inceptis et institutis, inter quae memorari possunt « Societas Nationalis Patronatus et Mutui inter se Auxilii » tutandis iuvenibus mulieribus operariis, Consociatio eorum qui quondam alumni fuerunt Parvae Domus Divinae Providentiae, Opus Sociale Minorum, cui nomen erat « Puteus Sichar », recuperandis et in pristinam dignitatem restituendis puellis corruptis. Insuper complures annos professor fuit philosophiae in exorienti Instituto Missionariorum a Consolata. Primis vitae sacerdotalis annis non ei difficultates defuerunt in communitate ad quam pertinebat, eas tamen cum humilitate et fortitudine toleravit.

Ad postulationes Archiepiscoporum Taurinensium docilis, cum sollicitudine et cura Ecclesiae suae dioecesanae servivit. Fuit igitur duorum Seminariorum theologicorum confessarius et postea Seminarii metropolitam magister spiritus, quo, anno 1924, sedem et domicilium transtulit. Hoc explevit officium cum diligentia et peritia, existimationem sibi concilians superiorum et cleri atque iuvenum clericorum fiduciam, quos ad veram formavit spiritualitatem sacerdotalem. Anno 1922 ob multa merita sua nominatus est Canonicus honorarius collegiatae ecclesiae Sanctissimae Trinitatis, ad quam etiam sanctus Iosephus Benedictus Cottolengo pertinuit. Anno 1931 munera ei concredita sunt Vicarii vice fungentis generalis atque Vicarii Monialium, quae est exsecutus in spiritu servitii humilique cum fortitudine, adeo ut sacerdotes eum adirent libenter, ut quaestiones tractarent ad suum ministerium spectantes, pro certo habentes se magna cum humanitate et benevolentia exceptum iri, certique fore ut libere possent suam sententiam aperire et ab eo solutiones recipere celeres, claras et exactas. Anno 1933 est etiam Promotor Iustitiae nominatus ad omnes causas apud Tribunal Metropolitanum pendentes. Multiplicia munera pastoralia et ecclesialia, semper plena cum alacritate explicata, via ei fuerunt qua similior fieret Christo Iesu, divino perfectionis exemplari. Praecipua enim eius exercitatio fuit lineamenta Christi exprimere in se ut vitae sanctitate et operum Deum celebraret. Cum Deo ambulavit eiusque voluntatem fecit etiam in difficultatibus et in rebus angustis. Firmiter in divinam credidit revelationem atque in Ecclesiae magisterium operamque dedit fidei propagationi per precationem, sacrum ministerium et scholasticam institutionem, constantis exemplum et

laetae legibus Dei oboedientiae, bonis libris typis edendis operibusque missionalibus praebitum adiumentum. Ex tota mente exque toto corde Deum dilexit et pro eius gloria sine intermissione laboravit. Coniunctionem coluit cum Domino divinorum mysteriorum celebratione, precatione, meditatione Sacrarum Litterarum atque veritatum aeternarum, pietate ferventi erga Eucharistiam et Beatam Virginem Mariam, amore erga Ecclesiam. Propositis perfectionis impulsus, in Tertium Ordinem Franciscanum nomen est professus inde ab annis formationis suae sacerdotalis, suamque renovavit adhaesionem anno 1920, pariterque nomen est professus in Tertium Ordinem Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo. Propter Dei amorem peccatum fugit, cotidiana sua munera explevit, patienter vitae ac ministerii ecclesialis cruces pertulit; semper misericors fuit, promptus, ad excipiendum paratus, amabilis in proximos, praecipue in aegrotos, pauperes, multos paenitentes qui eum adibant ut peccata sua confiterentur. Tamquam consiliator et moderator spiritus quaerebatur fuitque fiduciae par, quam Archiepiscopi Taurinenses, clerus atque populus in eo collocabant. Consilio ac prudentia supernaturali se gessit, non se ipsum quaerens, sed animarum Ecclesiaeque bonum. Indolem suam coërcuit et mansuetudinis virtutem tam abundanter est adeptus, ut eam veluti proprietatem suam monstraret. Temperans fuit, a bonis terrestribus alienus, castus, humilis, Deo ac superioribus oboediens. Etiam in longo morbo, quo est initio anni 1936 correptus et ad mortem deductus, fortem se ostendit, patientem et aequo animo voluntati Dei obsequentem. Spei virtus totam eius vitam illustravit eiusque apostolatum extremisque annis peculiariter dilucida facta est, cum Dei Servus ad ultimum se praeparabat cum Domino occursum, qui eum nonis Maiis arcessivit anno 1939.

Sanctitatis fama, qua in vita claruit et in morte, secutis annis perduravit; quocirca Archiepiscopus Taurinensis initium fecit Causae beatificationis et canonizationis, Processu ordinario informativo celebrato (annis 1947-1958), qui est a Congregatione de Causis Sanctorum probatus decreto die 18 mensis Ianuarii anno 1991 promulgato. Positione confecta, disceptatum est an Dei Servus virtutes heroum in modum coluisset. Die 25 mensis Martii anno 1997, prospero cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria idibus Ianuariis habita praeteritis, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Simone Lourdusamy, professi sunt sacerdotem Franciscum Paleari heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Francisci Paleari, sacerdotis dioecesani Instituti v. d. « Cottolengo », in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

83 EDUARDUS NOWAK
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

L. © S.

Michael Di Ruberto *Subsecretarius*

TAURINENSIS SEU AQUENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Pauli Pii Perazzo christifidelis laici e tertio ordine S. Francisci Assisiensis (1846-1911)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius; et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas et non timebit, cum venerit aestus» *(Ier* 17, 7-8).

Fuit haec persuasio quae, in omni vitae eius eventu, iter Servi Dei Pauli Pii Perazzo illuminavit et sustinuit.

Singularis spei testis a sanctis veritatibus haustae Verbi ac sacramentalium signorum, is adhortatur nos ad credendum possibile id, quod pro viribus humanis possumus impossibile credere, atque ad credendum in Eum, qui novit viam iustorum (cfr. *Ps* 1, 6).

Eius condicio fidelis laici, generi hominum operariorum semper et prorsus inserti, proximum illum reddit opificum necessitatibus atque quaestionibus. Fervor eius apostolicus, ad Evangelii lumen effundendum intentus in

variis societatis ordinibus cum Ecclesiae Magisterio concorditer, fortiter incitant insuper ad congruentiam ac fidelitatem erga Baptismatis officia quemlibet credentem.

Niciae in Pedemontio ortus, in Aquensi dioecesi sitae, die 5 mensis Iulii anno 1846, a Secundo Perazzo ac Delphina Massuero, Servus Dei est postridie in paroecia Sancti Syri baptizatus, nominibus captis Paulo Pio: priore quidem in memoriam avi paterni, altero in honorem novi Summi Pontificis, Venerabilis Servi Dei Pii IX, iis ipsis diebus electi.

Cum ceteris quinque fratribus educatus in condicione familiari impensi ardoris religiosi, Paulus Pius moderatorem securum et patrem spiritalem peculiarem habuit patruum sacerdotem, dominum Carolum Perazzo.

In oppido *Villafranca,* ad quod eum patruo se contulerat, primum ad eucharisticam mensam accessit anno 1856. Mense Octobri anno 1857 per Confirmationem donum Spiritus Sancti accepit, qui in Paulo Pio vitae novae, sanctificationis, facilitatis ad serviendum, fortitudinis in vitae ineluctabilibus discriminibus principium est factus.

Anno 1861, quindecim annos natus, gymnasii studiis peractis ac deposito consilio adipiscendi gradum doctoris litterarum in scholis publicis, Servus Dei assumptus est in servitium apud Societatem viarum ferratarum, mandato suscepto « receptoris mercium » ad stationem ferriviariam Pineroliensem. In servitio ferri viarum quadraginta septem annos mansit: ab anno 1861 ad annum 1867 Pinerolii et ab anno 1867 ad annum 1908 Augustae Taurinorum apud stationem ferriviariam Portae Novae, eminens scrupulosa cura professoria et insignem operam dans, studio suo proprio atque experientia longus servitii annis sibi comparata, conscriptioni legum de ferriviis et constitutioni, concorditer cum doctrina Litterarum Encyclicarum *Rerum novarum* Leonis XIII, Consociationis nationalis viarum ferratarum ministerio addictorum Italicorum.

Odio in Ecclesiam francomurario impeditus, id temporis vigente in iis, qui ferriviis praeerant, Dei Servus curriculum ad finem adduxit cum appellatione officialis primarii, cum munera altissima assequi potuisset administrationis viarum ferratarum.

Catholicus sincerus et animosus numquam difficultatibus cessit, quas ei inimici Evangelii creaverunt. Eius namque vita constanti ac generosa adhaesione Evangelio notabatur, adeo ut a sodalibus et subiectis tamquam « homo excellentior » indicaretur.

Ab ineunte iuventute viam elegerat caelibatus, fortiter cupiens totum se Deo atque fratribus dedere. Die 19 mensis Martii anno 1875 sodalicium erat

ingressus Ordinis Franciscani Saecularis coenobii Sancti Thomae Apostoli Taurinensis, a Fratre Minore P. Candido Mondo exceptus. Quamvis eius sodalicii participes essent tunc Tertiarii vitae sanctitate atque doctrina praeclari, quales fuere S. Ioannes Bosco, S. Leonardus Murialdo et Servae Dei Teresia Iosephaque Comoglio, Paulus Pius Perazzo eiusdem sodalicii « Minister » est electus, seu Moderator. Pertinendi condicio ad Ordinem Franciscanum Saecularem et, ab anno 1874, ad Coetum Vincentianum, Servum Dei reddidit fortem lucidumque veritatis pro Regno Dei testem, apostolum ardentem caritatis erga detrusos ad extremam societatem, auctorem singularium inceptorum, quae ad introductionem spectabant fidelium laicorum in Ecclesiae actionem evangelizatricem.

Etenim cum S. Leonardo Murialdo, plurimorum laicorum Taurinensium duce et magistro, Paulus Pius in instruendas incubuit Societates operarías catholicas inque bonos libros typis editos pervulgandos. Praeterea, Eucharistiae amore captus, quae semper centrum fuit et fons ardentis eius vitae interioris, Servus Dei, consentiens cum sororibus Teresia et Iosepha Comoglio, condendae Consociationi interfuit, cui nomen erat « Adoratio Cotidiana Universalis Perpetua », ut ad omnes pateret fons veri spiritus christiani.

Cum Virginis Nazarethanae esset fidelis imitator, eius laudes cecinit et, in primis, crebras comparavit sacras peregrinationes ad praecipua Sanctuaria marialia, tum Italica, tum externa.

Inde ab anno 1879 in animo volvit instituendas, in potissimis urbibus, scholas ad iuvenes catholicos perficiendos, invitatos ad bona perennia Evangelii defendenda per diurnariorum artem. Et zelo eius debetur, quod semper in bonum fratrum erat intentum, ordinatio, anno 1894 effecta, primi prorsus Congressus diurnariorum catholicorum Italicorum.

Tota Servi Dei vita, acta in continua Iesu Christi professione et vi Spiritus Sancti sustenta, verus fuit omnium virtutum triumphus.

Die 22 mensis Novembris anno 1911, ampla ac solida sanctitatis fama insignis, Servus Dei caelesti Ierusalem est receptus, una voce acclamatus « Homo beatitudinum » propter alacritatem qua momenta et virtutes coluerat maximi ponderis Evangelii, excitans in conscientiis necessitatem respondendi per vitae sanctitatem amori Dei nostris in cordibus diffuso per Spiritum eius.

Perdurante fama sanctitatis, Archiepiscopus Taurinensis Causam iniit beatificationis et canonizationis celebrato Processu ordinario informativo (annis 1925-1928). Decreto super Causae Introductione promulgato anno

1961, apud Curiam Aquensem instructus est Processus apostolicus (annis 1975-1976), cuius auctoritas et vis agnita est a Congregatione de Causis Sanctorum die 20 mensis Novembris anno 1981. Confecta Positione, disceptatum est an Servus Dei virtutes heroum in modum explicavisset. Die 25 mensis Aprilis anno 1995 actus est Congressus Peculiaris eventu cum prospero, Consultorum Theologorum. Patres Cardinales porro et Episcopi in Sessionibus Ordinariis die 23 mensis Ianuarii anno 1996 et die 17 mensis Februarii anno 1998 habitis, Causae Ponente Excellentissimo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano, professi sunt Servum Dei Paulum Pium Perazzo virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observavisse.

11. Tale impegno in favore dell'evangelizzazione ci spinge inoltre a ricercare con forza la piena comunione con le altre confessioni cristiane. Il mondo di oggi aspetta tale unità. E noi lo abbiamo privato di « una testimonianza comune che, forse, avrebbe potuto evitare tanti drammi se non addirittura cambiare il senso della storia. [...] L'eco del Vangelo, parola che non delude, continua a risuonare con forza, indebolita solo dalla nostra separazione: Cristo grida, ma l'uomo stenta a sentire la sua voce, perché noi non riusciamo a trasmettere parole unanimi ».[15]

Nel rinnovare l'auspicio di un fecondo lavoro, invoco su di voi e sul vostro impegno l'abbondanza dei favori celesti, in pegno dei quali a tutti imparto con affetto la Benedizione Apostolica.

[11] **Cf. *Gv* 8, 55; 14, 8-11.**
[12] ***Orientale lumen,* 4.**
[13] ***Orientalium Ecclesiarum,* 3**
[14] ***Lettera ai Vescovi dell'India* del 28 maggio 1987, n. 5.b.**
[15] ***Orientale lumen,* 28.**

VI

Ad quosdam episcopos ex America Septentrionali et Insulis Havaianis.*

Dear Cardinal Mahony,
Dear Brother Bishops,

1. With joy and affection I welcome you, the Bishops of the Church in California, Nevada and Hawaii, on the occasion of your visit *ad Limina Apostolorum.* Your pilgrimage to the tombs of the Apostles Peter and Paul is a celebration of the ecclesial bonds linking your particular Churches to the See of Peter. Mindful that the Church throughout the world is preparing to celebrate the Great Jubilee of the Year 2000, I have chosen to devote this series of reflections with you and your Brother Bishops to the renewal of the Church's life envisaged by the Second Vatican Council. The Council was a gift of the Holy Spirit to the Church, and its full implementation is the best means of ensuring that the Catholic community in the United States enters the new millennium strengthened in faith and holiness, effectively contributing to a better society through its witness to the truth about man that is revealed in Jesus Christ.[1] Indeed, the marvelous responsibility of the Church in your country is to spread this truth, which "enlightens man's intelligence and shapes his freedom, leading him to know and love the Lord" *(Veritatis splendor,* Proem).

We are coming to the end of a century which began with confidence in humanity's prospects of almost unlimited progress, but which is now ending in widespread fear and moral confusion. If we want a springtime of the human spirit, we must rediscover the foundations of hope.[2] Above all, society must learn to embrace once more the great gift of life, to cherish it, to protect it, and to defend it against the culture of death, itself an expression of the great fear that stalks our times. One of your most noble tasks as Bishops is to stand firmly on the side of life, encouraging those who defend it and building with them a genuine culture of life.

*** Die 2 Octobris 1998.**

[1] **Cf. *Gaudium et spes,* 24.**

[2] **Cf. *Address to the 50th General Assembly of the United Nations Organization,* 5 October 1995, 16-18.**

2. The Second Vatican Council was quite aware of the forces shaping contemporary society when it spoke out clearly in defense of human life against the many threats facing it.[3] The Council also made a priceless contribution to the culture of life by its eloquent presentation of the full meaning of married love.[4] Following the lead of the Council and expounding its teaching, Pope Paul VI wrote the prophetic Encyclical *Humanae vitae,* the thirtieth anniversary of which we are celebrating this year, in which he addressed the moral implications of the power to cooperate with the Creator in bringing new life into the world. The Creator has made man and woman to complement one another in love, and their union is no less than a sharing in the creative power of God himself. Conjugal love serves life not only insofar as it generates new life but also because, rightly understood as the total gift of spouses to one another, it shapes the loving and caring context in which new life is wholeheartedly welcomed as a gift of incomparable value.

Thirty years after *Humanae vitae,* we see that mistaken ideas about the individual's moral autonomy continue to inflict wounds on the consciences of many people and on the life of society. Paul VI pointed out some of the consequences of separating the unitive aspect of conjugal love from its procreative dimension: a gradual weakening of moral discipline; a trivialization of human sexuality; the demeaning of women; marital infidelity, often leading to broken families; state-sponsored programmes of population control based on imposed contraception and sterilization.[5] The introduction of legalized abortion and euthanasia, ever increasing recourse to *in vitro* fertilization, and certain forms of genetic manipulation and embryo experimentation are also closely related in law and public policy, as well as in contemporary culture, to the idea of unlimited dominion over one's body and life.

The teaching of *Humanae vitae* honours married love, promotes the dignity of women, and helps couples grow in understanding the truth of their particular path to holiness. It is also a response to contemporary culture's temptation to reduce life to a commodity. As Bishops, together with your priests, deacons, seminarians, and other pastoral personnel, you must find the right language and imagery to present this teaching in a comprehensible and compelling way. Marriage preparation programmes should include

[3] **Cf. *Galium et spes,* 27.**

[4] **Cf. *ibid.,* 48-51.**

[5] **Cf. *Humanae vitae,* 17.**

an honest and complete presentation of the Church's teaching on responsible procreation, and should explain the natural methods of regulating fertility, the legitimacy of which is based on respect for the human meaning of sexual intimacy. Couples who have embraced the teaching of Pope Paul VI have discovered that it is truly a source of profound unity and joy, nourished by their increased mutual understanding and respect; they should be invited to share their experience with engaged couples taking part in marriage preparation programmes.

3. Reflection on a very different anniversary serves to heighten the sense of the urgency of the pro-life task. In the twenty-five years which have passed since the judicial decision legalizing abortion in your country there has been a widespread mobilization of consciences in support of life. The pro-life movement is one of the most positive aspects of American public life, and the support given it by the Bishops is a tribute to your pastoral leadership. Despite the generous efforts of so many, however, the idea that elective abortion is a "right" continues to be asserted. Moreover, there are signs of an almost unimaginable insensitivity to the reality of what actually happens during an abortion, as evidenced in recent events surrounding so-called "partial-birth" abortion. This is a cause for deep concern. A society with a diminished sense of the value of human life at its earliest stages has already opened the door to a culture of death. As Pastors, you must make every effort to ensure that there is no dulling of consciences regarding the seriousness of the crime of abortion, a crime which cannot be morally justified by any circumstance, purpose or law.[6]

Those who would defend life must make alternatives to abortion increasingly visible and available. Your recent pastoral statement, *Lights and Shadows*, draws attention to the need to support women in crisis pregnancies, and to provide counseling services for those who have had an abortion and must cope with its psychological and spiritual effects. Likewise, the unconditional defense of life must always include the message that true healing is possible, through reconciliation with the Body of Christ. In the spirit of the coming Great Jubilee of the Year 2000, American Catholics should be more than ever willing to open their hearts and their homes to "unwanted" and abandoned children, to young people in difficulty, to the handicapped and those who have no one to care for them.

[6] Cf. *Evangelium vitae,* 62.

4. The Church likewise offers a truly vital service to the nation when she awakens public awareness to the morally objectionable nature of campaigns for the legalization of physician-assisted suicide and euthanasia. Euthanasia and suicide are grave violations of God's law;[7] their legalization introduces a direct threat to the persons least capable of defending themselves and it proves most harmful to the democratic institutions of society. The fact that Catholics have worked successfully with members of other Christian communities to resist efforts to legalize physician-assisted suicide is a very hopeful sign for the future of ecumenical public witness in your country, and I urge you to build an even broader ecumenical and inter-religious movement in defense of the culture of life and the civilization of love.

As ecumenical witness in defense of life develops, a great teaching effort is needed to clarify the substantive moral difference between discontinuing medical procedures that may be burdensome, dangerous or disproportionate to the expected outcome — what the *Catechism of the Catholic Church* calls "the refusal of 'over-zealous' treatment"[8] — and taking away the ordinary means of preserving life, such as feeding, hydration and normal medical care. The statement of the United States Bishops' Pro-Life Committee, *Nutrition and Hydration: Moral and Pastoral Considerations,* rightly emphasizes that the omission of nutrition and hydration intended to cause a patient's death must be rejected and that, while giving careful consideration to all the factors involved, the presumption should be in favour of providing medically assisted nutrition and hydration to all patients who need them. To blur this distinction is to introduce a source of countless injustices and much additional anguish, affecting both those already suffering from ill health or the deterioration which comes with age, and their loved ones.

5. In a culture that has difficulty in defining the meaning of life, death and suffering, the Christian message is the good news of Christ's victory over death and the certain hope of resurrection. The Christian accepts death as the supreme act of obedience to the Father, and is ready to meet death at the "hour" known only to him.[9] Life is a pilgrimage in faith to the Father, on which we travel in the company of his Son and the Saints in heaven. Precisely for this reason, the very real trial of suffering can become a source of good. Through suffering, we actually have a part in

[7] Cf. *Evangelium vitae,* 65-66

[8] No. 2278; cf. *Evangelium vitae,* 65.

[9] Cf. *Mh* 13:32..

Christ's redemptive work for the Church and humanity.[10] This is so when suffering is "experienced for love and with love through sharing, by God's gracious gift and one's own personal and free choice, in the suffering of Christ crucified".[11]

The work of Catholic health-care institutions in meeting the physical and spiritual needs of the sick is a form of imitation of Christ who, in the words of St Ignatius of Antioch, is "the doctor of the flesh and of the spirit".[12] Doctors, nurses and other medical personnel deal with people in their time of trial, when they have an acute sense of life's fragility and precariousness; just when they most resemble the suffering Jesus in Gethsemane and on Calvary. Health-care professionals should always bear in mind that their work is directed to individuals, unique persons in whom God's image is present in a singular way and in whom he has invested his infinite love. The sickness of a family member, friend or neighbour is a call to Christians to demonstrate true compassion, that gentle and persevering sharing in another's pain. Likewise, the handicapped and those who are ill must never feel that they are a burden; they are persons being visited by the Lord. The terminally ill in particular deserve the solidarity, communion and affection of those around them; they often need to be able to forgive and to be forgiven, to make peace with God and with others. All priests should appreciate the pastoral importance of celebrating the Sacrament of the Anointing of the Sick, particularly when it is the prelude to the final journey to the Father's house: when its meaning as the *sacramentum exeuntium* is particularly evident.[13]

6. An essential feature of support for the inalienable right to life, from conception to natural death, is the effort to provide legal protection for the unborn, the handicapped, the elderly, and those suffering from terminal illness. As Bishops, you must continue to draw attention to the relationship of the moral law to constitutional and positive law in your society: "Laws which legitimize the direct killing of innocent human beings ... are in complete opposition to the inviolable right to life proper to every individual; they thus deny the equality of everyone before the law".[14] What is at stake

[10] Cf. *Salvifici Doloris,* 14-24.
[11] *Evangelium vitae,* 67.
[12] *Ad Ephesios, 1,2.*
[13] Cf. *Catechism of the Catholic Church,* No.. 1523.
[14] *Evangelium vitae,* 72.

here is nothing less than the indivisible truth about the human person on which the Founding Fathers staked your nation's claim to independence. The life of a country is much more than its material development and its power in the world. A nation needs a "soul". It needs the wisdom and courage to overcome the moral ills and spiritual temptations inherent in its march through history. In union with all those who favour a "culture of life" over a "culture of death", Catholics, and especially Catholic legislators, must continue to make their voices heard in the formulation of cultural, economic, political and legislative projects which, "with respect for all and in keeping with democratic principles, will contribute to the building of a society in which the dignity of each person is recognized and the lives of all are defended and enhanced".[15] Democracy stands or falls with the values which it embodies and promotes.[16] In defending life you are defending an original and vital part of the vision on which your country was built. America must become, again, a hospitable society, in which every unborn child and every handicapped or terminally ill person is cherished and enjoys the protection of the law.

7. Dear Brother Bishops, Catholic moral teaching is an essential part of our heritage of faith; we must see to it that it is faithfully transmitted, and take appropriate measures to guard the faithful from the deceit of opinions which dissent from it.[17] Although the Church often appears as a sign of contradiction, in defending the whole moral law firmly and humbly she is upholding truths which are indispensable for the good of humanity and for the safeguarding of civilization itself. Our teaching must be clear; it must recognize the drama of the human condition, in which we all struggle with sin and in which we must all strive, with the help of grace, to embrace the good.[18] Our task as teachers is to "show the inviting splendour of that truth which is Jesus Christ himself'.[19] Living the moral life involves holding fast to the very person of Jesus, partaking of his life and destiny, sharing in his free and loving obedience to the will of the Father.

May your fidelity to the Lord and the responsibility for his Church which he has given you make you personally vigilant to ensure that only sound doc-

[15] ***Evangelium vitae,*** **90.**

[16] **Cf. *ibid.,* 70.**

[17] **Cf. *Veritatis splendor,* 26; 113.**

[18] **Cf. *Gaudium et spes,* 13.**

[19] ***Veritatis splendor,*** **83.**

trine of faith and morals is presented as Catholic teaching. Invoking the intercession of Our Lady upon your ministry, I cordially impart my Apostolic Blessing to you and to the priests, religious and lay faithful of your dioceses.

VII

In templo sanctuario Croatarum, Beatae Mariae Virginis Immaculatae, in beatificatione Aloisii Stepinac*

1. »Ako pšenično zrno, pavši na zemlju, ne umre, ostaje samo; ako li umre, donosi obilat rod«.[1] Kristove nas riječi, koje smo upravo čuli, vode u samo srce Otajstva koje slavimo. One na neki način sadrže u sebi cijeli vazmeni Događaj: usmjeravaju nas prema Otkupitelj e voj smrti na Križu, na Veliki petak, te nas istodobno upućuju prema jutru Uskrsnuća.

Svakodnevno se spominjemo ovoga Otajstva za vrijeme Svete Mise kada, nakon posvete kruha i vina, govorimo: »Tvoju smrt, Gospodine, navještamo, Tvoje uskrsnuće slavimo, Tvoj slavni dolazak iščekujemo«. »Pšenično zrno palo na zemlju« prije svega je sam Krist, koji je umro na Kalvariji i koji je potom pokopan u zemlju da bi svima dao život. Ali ovo se Otajstvo smrti i života ostvaruje također i u ovozemnom životu Kristovih učenika: biti bačeni na zemlju i tamo umrijeti i za njih je uvjet svake prave dunovne plodnosti.

Nije li možda upravo to bila tajna i vašega nezaboravnog i nezaboravljenog nadbiskupa kardinala Alojzija Stepinca, kojega danas motrimo u slavi blaženika? On je na jedinstven način sudjelovao u Vazmenom Otajstvu: poput pšeničnoga zrna »pade na zemlju«, na ovu hrvatsku zemlju, te je, umrijevši, donio »obilat rod«. »Tko mrzi svoj život na ovome svijetu, sačuvat će ga za život vječni«.[2]

Maločas pročitane riječi Druge poslanice Korinćanima vrlo lijepo se nadovezuju na Događaj koji slavimo. Sveti Pavao piše: »Kao što su obilate patnje Kristove u nama, tako je po Kristu obilata i utjeha naša«.[3] Ne predstavlja li možda ova tvrdnja vrlo znakovito tumačenje Kristovih riječi o pšeničnom zrnu koje umire? Oni koji obiluju dioništvom u Kristovim

*** Die 3 Octobris 1998.**

[1] ***Iv* 12, 24.**

[2] **usp. *Iv* 12, 25,**

[3] ***2 Kor* 1, 5.**

patnjama oni, zahvaljujući Kristu, doživljavaju i obilnu utjehu, koja vrije iz obilja dobra kojemu je Križ ishodište.

2. »Ako pšenično zrno, pavši na zemlju, ne umre, ostaje samo; ako li umre, donosi obilat rod«.[4] Prepuni smo danas radosti u zajedničkom zahvaljivanju Bogu za novi plod svetosti što ga hrvatska zemlja pruža Crkvi u osobi mučenika Alojzija Stepinca, zagrebačkoga nadbiskupa i kardinala Svete Rimske Crkve.

Velik je broj mučenika koji su tijekom stoljeća nikli u ovim krajevima, počevši od vremena Rimskoga carstva, s likovima kao što su Venancij, Dujam, Anastazija, Kvirin, Euzebij, Polion, Mavro i toliki drugi. Njima su se u kasnijim stoljećima pridružili Nikola Tavelić i Marko Križevčanin, zatim mnogi svjedoci vjere u vrijeme otomanske vladavine te oni iz naših vremena među kojima se ističe svijetla osoba kardinala Stepinca.

Oni su svojom žrtvom ujedinjenom s Kristovim patnjama pružili posebno svjedočanstvo, koje, unatoč zubu vremena, ništa ne gubi na svojoj rječitosti, nego nastavlja ižaravati svjetlo i širiti nadu. Osim njih ima i mnogo drugih pastira i običnih vjernika, muževa i žena, koji su krvlju potvrdili svoju vjernost Kristu. Pripadaju velikom mnoštvu onih koji, odjeveni u bijele haljine i s palmama u rukama, stoje pred prijestoljem i pred Jaganjcem.[5]

Blaženi Alojzije Stepinac nije prolio krv u doslovnom smislu riječi. Njegova je smrt uzrokovana dugotrajnim patnjama, koje je podnio: zadnjih je petnaest godina njegova života bilo obilježeno neprekinutim nizom zlostavljanja posred kojih je odvažno izložio vlastiti život radi svjedočenja za Evanđelje i za jedinstvo Crkve. Svoju je sudbinu, da se poslužim Psalmistovim riječima, položio u Božje ruke.[6]

3. Ne dijeli nas mnogo vremena od života i smrti kardinala Alojzija Stepinca: svega tridesetosam godina. Svima su nam poznate okolnosti ove smrti. Mnogi među nazočnima mogu iz vlastitoga iskustva posvjedočiti koliko su onih godina bile obilate patnje Kristove među pučanstvima u Hrvatskoj i tolikim drugim zemljama našega kontinenta. Razmišljajući danas o Apostolovim riječima iz dna srca stanovnicima tih zemalja želimo da i u njima, nakon patnje, bude obilata utjeha raspetoga i uskrsloga Krista.

[4] *Iv* 12, 24.
[6] usp. *Otk* 5, 9.
[6] usp., *Ps* 16 [15], 5.

Današnji je obred proglašenja blaženim za sve nas poseban razlog utjehe. Ovaj se svečani čin odvija u hrvatskom marijanskom nacionalnom svetištu u Mariji Bistrici na prvu subotu u mjesecu listopadu. Pred očima Presvete Djevice ugledni sin ove blagoslovljene zemlje biva uzdignut na čast oltara, o stotoj obljetnici svojega rođenja. Ovo je povjesni događaj u životu Crkve i vaše nacije. Podnijevši u svojemu tijelu i duhu okrutnosti komunističkoga sustava, jedan od istaknutih likova Katoličke Crkve zagrebački nadbiskup kardinal Alojzije Stepinac sada se povjerava sjećanju svojih sunarodnjaka s blistavim znamenjima mučeništva.

Biskupi su vaše zemlje tražili da proglašenje blaženim Alojzija Stepinca bude upravo ovdje, u svetištu Majke Božje Bistričke. Iz osobnoga iskustva znam što je za nas Poljake u doba komunističke vlasti značilo svetište na Jasnoj Gori, s kojim je na poseban način povezan pastirski rad sluge Božjega kardinala Stefana Wyszyhskog. Ne čudi me da je slično značenje za vas imalo ovo svetište, u kojemu se sada nalazimo, ili ono u Solinu, kamo ću poći sutra. Odavno sam želio pohoditi Svetište Majke Božje Bistričke. Rado sam zbog toga prihvatio prijedlog hrvatskih biskupa i danas na ovom znakovitom mjestu obavljam svečani čin beatifikacije.

Srdačno pozdravljam ovdje okupljene hrvatske biskupe, a posebno spominjem dragoga kardinala Franju Kuharica te zagrebačkoga nadbiskupa i predsjednika Hrvatske biskupske konferencije mons. Josipa Bozanića. Isto tako pozdravljam gospodu kardinale Sodana, Meisnera, Puljića, Schonborna, Ambrožiča, Koreca, nadbiskupe i biskupe, koji su došli za ovu zgodu iz raznih zemalja. S ljubavlju pozdravljam svećenike, redovnike, redovnice i sve vjernike laike, jednako kao i predstavnike drugih vjerskih zajednica nazočnih na ovome slavlju. S poštovanjem pozdravljam također predsjednika Republike, predsjednika Vlade te predstavnike građanskih i vojnih vlasti zemlje, koji su nas željeli počastiti svojom nazočnošću.

4. »Ako mi tko hoće služiti, neka ide za mnom«.[7] Dobri Pastir je za blaženoga Alojzija Stepinca bio jedini Učitelj: Kristov je primjer sve do kraja nadahnjivao njegovo ponašanje te je položio i život za stado, koje mu je bilo povjereno u posebno teškom povijesnom razdoblju.

U osobi se novoga blaženika spaja, da se tako izrazim, cjelokupna tragedija koja je pogodila hrvatsko pučanstvo i Europu tijekom ovoga stoljeća obilježena trima velikim zlima: fašizmom, nacizmom i komuniz-

[7] ***Iv* 12, 24. 26**

mom. On je sada u nebeskoj slavi okružen svima onima koji su, kao i on, dobar boj bili, kaleći svoju vjeru u kušnjama i nevoljama. U njega danas s pouzdanjem upiremo svoj pogled istući njegov zagovor.

Znakovite su u svezi s tim riječi što ih je novi blaženik izgovorio 1943. u vrijeme Drugoga svjetskog rata kada se Europa nalazila pritješnjena nečuvenim nasiljem: »Kakav poredak zastupa Katolička Crkva, kad se danas cijeli svijet bori za novi poredak? Mi, osuđujući sve nepravde, sva ubijanja nevinih, sve paleže mirnih sela, sva zatiranja sirotinjskih žuljeva... odgovaramo ovako: Crkva je za onaj poredak, koji je toliko star, koliko i deset zapovijedi Božjih. Mi smo za poredak, koji je napisan ne na raspadljivom papiru, nego u savjesti ljudskoj prstom Boga živoga«.[8]

5. »Oče, proslavi ime svoje!«.[9] Svojim ljudskim i duhovnim životnim putem blažem Alojzije Stepinac svojemu narodu pruža svojevrsni kompas da bi se znao orjentirati. Evo glavnih točaka: vjera u Boga, poštivanje čovjeka, ljubav prema svima sve do praštanja, jedinstvo s Crkvom kojoj je na čelu Petrov nasljednik. Dobro je znao da se ne može popuštati kad je u pitanju istina, jer istina nije roba kojom se može trgovati. Zbog toga mu je bilo draže prihvatiti patnju nego li izdati svoju savjest i iznevjeriti obećanje dano Kristu i Crkvi.

Nije bio sam u tomu hrabrom svjedočenju. Uza nj su bile i druge odvažne osobe, koje su, da bi sačuvale jedinstvo Crkve i branile njezinu slobodu, prihvatile da zajedno s njim plate teški danak tamnice, zlostavljanja, pa čak i krvi. Danas se tome mnoštvu nesebičnih duša — biskupima, svećenicima, redovnicima, redovnicama, vjernicima svjetovnjacima — divimo i zahvaljujemo im. Slušamo njihov snažni poziv na praštanje i pomirbu. Oprostiti i pomiriti se znači očistiti sjećanje od mržnje, zavade, želje za osvetom, znači priznati bratom čak i onoga koji nam je nanio zlo, znači ne dopustiti da nas pobjedi zlo, nego zlo svladavati dobrom.[10]

6. Blagoslovljen budi »Oče Gospodina našega Isusa Krista, Oče milosrđa i Bože svake utjehe«[11] za ovaj novi dar Tvoje milosti.

Blagoslovljen budi Jedinorođeni Sine Božji i Spasitelju svijeta zbog Tvojega slavnog Križa, koji je u zagrebačkom nadbiskupu kardinalu Alojziju Stepincu postigao divnu pobjedu.

[8] **Propovijedi, govori, poruke, Zagreb 1996,,, str. 179-180,,**

[9] *Iv* 12, 24. 28.

[10] usp, *Rim* 12, 21.

[11] *1 Cor* 1, 3.

Blagoslovljen budi Duše Oca i Sina, Duše Tješitelju, koji nastavljaš očitovati svoju svetost u ljudima i koji ne prestaješ djelovati kako bi napredovalo djelo spasenja.

Tro jedini Bože, danas Ti želim zahvaliti za čvrstu vjeru ovoga Tvojeg puka unatoč ne malim protivštinama što ih je susretao tijekom stoljeća. Želim Ti zahvaliti za nebrojene mučenike i ispovjednike vjere, muževe i žene svih životnih dobi, koji su živjeli u ovoj blagoslovljenoj zemlji!

»Oče, proslavi ime svoje!«.[12]

Hvaljen Isus i Marija!

[12] *Iv* 12, 28.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

VARMIENSIS seu TUSCULANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Reginae Protmann fundatricis congregationis sororum a S. Catharina V. et M. (1552-1613)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Regina Protmann orta est circiter annum 1552 in urbe *Braunsberg,* intra fines posita dioecesis Varmiensis. In paupertate Congregationem condidit Sororum a Sancta Catharina Virgine et Martyre ad assiduitatem aegrotis in domibus suis praebendam, auxilium pauperibus atque puellulis institutionem et educationem. Sapienter formationem religiosam sociarum curavit omnibusque exemplo fuit caritatis, humilitatis, spiritus precationis ac paenitentiae. Meritis ornata in Domino obdormivit die 18 mensis Ianuarii anno 1613.

Causa beatificationis et canonizationis inita est nonnisi anno 1961. Rite iis peractis, quae ius praescribit, Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 17 mensis Decembris anno 1996 declaravit Dei Servam heroum in modum coluisse virtutes théologales, cardinales et iis adnexas.

Ut ad beatificationem perveniret Causae Postulatio nuper iudicio permisit Congregationis de Causis Sanctorum coniectam miram sanationem, intercessioni ascriptam Venerabilis Servae Dei, in urbe Sancto Paulo in Brasilia patratam. Casus pertinet ad Ioannem Aloisium de Souza qui, cum iamdiu esset affectus pathologia ad stomachum duodenumque spectante atque intestinorum appendicis inflammatione, anno 1961, cum quadraginta duos annos natus esset, deductus est in valetudinarium ac recisus resectione stomachi duodenique necnon intestinorum appendicis. Ex inspectione histológica apparuit stomachi et appendicis intestinorum inflammationis chronicae praesentia. Post aliquot dies graves supervenerunt perturbationes, quo-

circa altera facta est chirurgica sectio, quae in lucem protulit intestinorum atque peritonaei fortem inflammationem, suppurationem ac thoracem adhaerescentem, qui non est contrectatus. Medici solummodo humoris deductionem adhibuerunt, siquidem aegroti condiciones alias non sinebant chirurgicas tractationes. Post temporaneum profectum processus contagiosus gradatim revixit et abscessus formatus est ad parietem coli dextrum cum intestini perforatione, idque propter turundam per imprudentiam in inferiore parte intestini relictam. Tertia idcirco sectio est effecta ad resecandas adhaerentias, ad recidenda quindecim ilei centimetra, ad vacuefaciendum abscessum et, ut par est, ad abducendam turundam. Deinde tres apparuerunt graves haemorrhagiae interaneae, quas secutus est collapsus ypovolaemicus cum prognosi admodum incerta. Interim inflammatio parietis lateris dextri non intermisit. Sanguinis transfusiones ac therapia medica nihil profuerunt, unde aegroti condicio clinica in peius mutata est usque ad diem 4 mensis Aprilis anni 1961, cum medici affirmaverunt casum iam esse desperatum. Visa scientiae inanitate, eodem die aegrotus, eius uxor atque Religiosa infirmorum ministra, Congregationis Sanctae Catharinae Virginis et Martyris sodalis, auxilium divinum invocaverunt per Matris Reginae Protmann intercessionem. Aegrotus statim animadvertit haemorrhagiae finem ac quendam bonae valetudinis sensum universum atque aliquot post dies est a valetudinario dimissus perfecte sanatus.

De sanatione in Curia Sancti Pauli in Brasilia, exeunte mense Aprili anni 1994, Inquisitio dioecesana est instructa, quae est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto die 18 mensis Novembris eodem anno promulgato. Dicasterii Consilium Medicorum, in sessione die 26 mensis Iunii anno 1997 habita, una voce affirmavit sanationem celerrimam fuisse, completam, mansuram, et haemorrhagiae repentinam cessationem fuisse ex scientia inexplicabilem. Die 9 mensis Ianuarii anno 1998 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est actus ac die 17 subsequentis mensis Martii facta est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Fiorino Tagliaferri, Episcopo emerito Viterbiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Regina Protmann, Fundatrice Congregationis Sororum a S. Catharina V. et M., videlicet de celérrima, completa et mansura sanatione Ioannis Aloisii de Souza ab « emorragie intestinali profuse con infezione addominale e stato peritonico settico, in paziente sottoposto a tre interventi chirurgici ravvicinati, in condizioni generali gravemente compromesse ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

83 **EDUARDUS NOWAK**
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

Michael Di Ruberto, *Subsecretarius*

VERONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Zephyrini Agostini sacerdotis dioecesis Veronensis et parochi fundatoris congregationis Ursulinarum filiarum Mariae Immaculatae (1813-1896)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Zephyrinus Agostini Veronae natus est die 24 mensis Septembris anno 1813. Sacerdos ordinatus, ministerio pastorali se dedidit et ab anno 1845 usque ad mortem parochus fuit in ecclesia Sanctorum Nazarii et Celsi, multimodis operam dans communitatis suae bono. Propagationem fovit consiliorum Sanctae Angelae Merici et in sua urbe Societatem Sanctae Ursulae restituit, ex qua gradatim provenit Congregatio Ursulinarum Filiarum Mariae Immaculatae. Ferventem suum apostolatum impensa vita interiore aluit atque magno sacrificii spiritu. Fama sanctitatis insignis sopitus est in Domino postridie nonas Apriles anno 1896.

Beatificationis et canonizationis Causa apud Curiam Veronensem inchoata est anno 1966. Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 22 mensis Ianuarii anno 1991, edixit Servum Dei heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas explicavisse.

Beatificationis respectu Causae Postulatio iudicio permisit Congregationis de Causis Sanctorum coniectam miram sanationem, eiusdem Venerabilis intercessioni ascriptam atque Veronae anno 1984 patratam. Sanatio pertinet ad Sororem Mariam Petrinam Scarmignan, Congregationis Ursulinarum Filiarum Mariae Immaculatae sodalem, quae, dum missionaria erat in Madagascaria, gravem cerebri pathologiam ostendit. Illius loci medici ei suaserunt ut in Italiam rediret et primo quoque tempore sectionem chirurgi eam subiret. Veronae primis mensis Ianuarii diebus anno 1984 diligentissimae et iteratae pervestigationes clinicae effectae sunt, ex quibus patuit in capitis pariete posteriore dextro praesentia massae cerebri naturae neoplasticae, unde necessaria erat sectio chirurgica. Cum prognosis suspensa esset quoad vitam et saltem quoad valetudinem, Antistita Generalis aegrotae curavit agendum in sua Congregatione sacrum novendiale, quo per earum Instituti Conditoris intercessionem sanatio obtineretur Sororis Mariae Petrinae, quae precibus sociata est, quas Ursulinae aliaeque personae Deo adhibebant pro ea ex Italia, ex America Latina et ex Madagascaria. Die 24 mensis Ianuarii anno 1984, sacri novendialis ultimo, effecta est arteriae carotidis angiographia, antequam sectio chirurgica susciperetur. Ex inspectione apparuit non iam opus esse sectione, quandoquidem Soror erat perfecte sanata. Quae sanatio, pro scientia inexplicabilis, etiam stabilis fuit, adeo ut sanata suam resumpserit industriam in Madagascaria et nunc munere fungatur Antistitae Generalis suae Congregationis.

De eventu, statim intercessioni tributo Venerabilis Zephyrini Agostini, anno 1992 apud Curiam Veronensem Inquisitio instructa est dioecesana, quae est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto die 18 mensis Decembris eodem anno promulgato. Medicorum Collegium Dicasterii in sessione die 24 mensis Aprilis anno 1997 habita affirmavit sanationem — a processu extensivo endocranico in capitis pariete dextro sito, gravis et acutae hypertoniae endocranicae causa — celerem fuisse, completam, stabilem et ex scientia inexplicabilem. Die 23 mensis Ianuarii anno 1998 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, et calendis Aprilibus secutis Sessio Ordinaria est facta Patrum Cardinalium atque Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua, vota

Congregationis de Causis Sanctorum excipiens mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Zephyrino Agostini, Sacerdote dioecesano et Parocho, Fundatore Congregationis Ursulinarum Filiarum Mariae Immaculatae, videlicet de celeri, completa ac stabili sanatione Sororis Mariae Petrinae Scarmignan a « processo espansivo endocranico a localizzazione parietale destra, causa di grave ed acuta ipertensione endocranica ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

6B **EDUARDUS NOWAK**
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

L. © S.

Michael Di Ruberto, *Subsecretarius*

VINDOBONENSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii servae Dei Mariae Restitutae (in saec.: Helenae Kafka) sororis professae congregationis sororum Franciscanarum a caritate christiana (1894-1943)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Quae Deus facit, semper bene facta sunt. Ipsa non sentio me in culpa esse, et, si est mihi vita amittenda, libenter hoc subeo sacrificium, quia spero a meo Salvatore me exceptum iri benigne. Ex corde omnibus ignovi qui ad meam contulerunt condemnationem. Rogo vos ne in quemquam odium geratis, sed ex animo omnibus date veniam, sicut et ego ».

Haec sentiens, caritatis et spei plena, Soror Maria Restituta excepit capitale iudicium atque fidelitatis amorisque in Dominum sanguinis effusione supremum dedit testimonium.

Serva Dei in oppido vernáculo sermone *Hussowitz* denominato nata est, in dioecesi Brunensi, ad Moraviam pertinente, calendis Maiis anno 1894 ex Antonio Kafka et Maria Stehlik, qui ad baptismalem fontem nomen ei in-

diderunt Helenam. A parentibus, qui tenues erant et catholici religionumque cultores, est fructuose christiana educatione imbuta. Pueritiam et adulescentiam Vindobonae egit, ubi familia sedem habebat et ubi primum eucharistico Pane se aluit atque sacramentum accepit Confirmationis. Studiis elementariis et mediis peractis, per duos annos opus fecit in tabacopolio; deinde, fortiter impulsa ad proximos adiuvandos, ad locum Lainz vulgo appellatum apud Vindobonam se contulit tamquam infirmorum ministra auxiliaria valetudinarii civilis, in quo Sorores Tertii Ordinis Sancti Francisci, a Caritate Christiana vocatae, operabantur. Cum earum apostolatus eius responderet appetitioni se aliis dedendi, statuit una earum fieri. Familiae dissensione superata, anno 1915 vestem religiosam induit nomine capto Sorore Maria Restituta; subsequenti anno vota religiosa suscepit temporanea et anno 1923 perpetua. Ab anno 1919 usque ad comprehensionem ministra infirmorum fuit conclavis chirurgici in valetudinario oppidi Mödling. Scientia professoria eminuit, sinceritate ac robore indolis, sollicitudine de singulis aegrotis atque sodalibus Sororibus, agendi ratione severiore sed semper parata ad proximos adiuvandos et eis consilia danda. Quantum poterat ex more vitae communi intererat vixitque concorditer cum antistitis, collegio rectorum medicisque valetudinarii. Caritate erga pauperes effulsit, aegros eorumque familias, quae eius bonitatem et cordis eius generositatem magni faciebant. Diligenter ac prudenter sua explevit officia erga communitatem religiosam et valetudinarium; vota observavit, peculiarem nutrivit pietatem in Eucharistiam inque Matrem Redemptoris.

Cum in Austria socialistae nationales rerum potiti sunt, Ecclesiae inimici et catholicorum, rationes inter aliquos valetudinarii medicos et Sorores non iam ut antea serenae fuerunt. Praesertim quidam medicus, atheus et acer socialista nationalis, odio eminuit contra religionem atque Sorores earumque apud aegrotos apostolatum et imprimis adversus Sororem Mariam Restitutam, quae palam fidem suam testificabatur necnon discrepationem a doctrina nationalis socialismi. Accusata quod schedulam volitantem transcripsisset seditiosam atque cantionem contra socialismum nationalem, arcessita est et apprehensa a Gestapo, quae dicebatur, die 18 mensis Februarii anno 1942. Causa publica, etsi nullum protulisset argumentum contra eam, mortis damnatione conclusa est ob patriae perduellionem. Attamen patebat tam crudelis damnationis veram causam fuisse fidelitatem Servae Dei Christo, quae postea per custodiam condicionem respuit religionem negandi atque suam Congregationem ut libertatem obtineret. In professione fidei, in

patientia et in spe firma, coniuncta mansit cum Deo precatione et caritate erga custodiae socios, quorum nonnulli propter eius verba eiusque exemplum sunt ad religiones reversi. Usque ad finem perseveravit et ultimo die, nempe die 30 mensis Martii anno 1943, peccata sua confessa, vota religiosa renovavit, pro conversione precata est inimicorum regni Dei et Communionem accepit. Ad locum supplicii iter ingressa, dixit: « Eo ad diem festum » et « pro Christo vixi ac pro Christo mori volo»; a sacerdote postulavit ut se signo crucis signaret in fronte, deinde, capite ei amputato, est martyrii coronam adepta.

Cum testis fuisset Christi usque ad vitae devotionem, Serva Dei statim habita est vera fidei martyr, et Archiepiscopus Vindobonensis initium fecit Causae beatificationis seu declarationis martyrii, atque annis 1988-1989 Inquisitionem dioecesanam celebravit, quae agnita est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 19 mensis Novembris anno 1993 promulgato. Praeparata Positione, disceptatum est, secundum normas, an Sororis Mariae Restitutam mors verum martyrium esset putanda iuxta Ecclesiae doctrinam. Die 25 mensis Novembris anno 1997, exitu cum felici, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus. Patres Cardinales dein et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 3 mensis Martii praeteriti habita, Causae Ponente Excellentissimo domino Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi, edixerunt Servam Dei Mariam Restitutam fidei martyrem esse ducendam.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Secretario certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servae Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servae Dei Mariae Restitutae (in saec.: Helenae Kafka), Sororis professae Congregationis Sororum Franciscanarum a Caritate Christiana, anno 1943 interfectae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1998.

83 EDUARDUS NOWAK
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

L. © S.

Michael Di Ruberto, *Subsecretarius*

VERCELLENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Secundi Pollo sacerdotis archidioecesis Vercellensis (1908-1941)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Secundus Pollo in pago *Garesanablot* ortus est, intra fines posito archidioecesis Vercellensis, postridie calendas Ianuarias anno 1908. Post sacerdotalem ordinationem, anno 1931 acceptam, magno cum ardore in pastoralem incubuit industriam. Philosophiae atque theologiae professor fuit in Seminario maiore Vercellensi et iuvenum Actionis Catholicae curator dioecesanus. In via sanctitatis continuo est progressus, munera sacerdotalia rectissime explendo et virtutes christianas perseveranter explicando. Animarum est impulsus cura ad cappellani militum officium exsequendum altero totius orbis terrarum bello. In Nigromontio, militi morienti assidens, est gravi crurum vulnere affectus ac paulo post, sanguine amisso, animam edidit murmurans: « Ad Deum eo, qui tam bonus est ». Factum est hoc die 26 mensis Decembris anno 1941.

Beatificationis et canonizationis Causa inita est ab Archiepiscopo Vercellensi anno 1955. Iis peractis quae iure statuuntur, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 18 mensis Decembris anno 1997, renuntiavit Servum Dei virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse, heroum more.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit coniectam miram sanationem Delindae Zarino quae, anno 1986, mense Maio, duodequinquaginta annos nata, laborare coepit plagis cutis capillum gignentis ac postea aliarum corporis partium. De psoriasi diagnosi facta, aegrota est medicamentis topicis curata, sed sine notabili utilitate. Interea phaenomena apparuerunt asthmatis arteriarum et praesertim in conspectum venit quaedam arthritidis acutae species sinistram genu afficientis, quae ydrarthro intermittenti est perturbata, propter quod duae factae sunt arthrocenteses. Cum ex curis nulla facta esset psoriasis et arthropathiae salutaris mutatio, medici prognosim dixerunt infaustam quoad valetudinem. Mense Octobri anno 1990 aegrota, defessa ac desperatione debilitata, omnem dimisit curam. A marito sollicitata, qui sacerdotem cognoverat Secundum Pollo, die 8 mensis Aprilis anno 1991, sacrum novendiale iniit ut sanationem obtineret intercessione huius Servi Dei, quem alii

quoque familiares infirmae invocaverunt. Mane diei 11 mensis Aprilis domina Delinda e somno expergefacta animadvertit se esse sanatam; et re vera ex improviso cutis plagae et genus arthritis defecerant cum suis doloribus; etiam asthma arteriarum consanuit.

De asserta mira sanatione apud Curiam Vercellensem annis 1993-1994 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridicam auctoritatem Congregatio de Causis Sanctorum probavit per decretum die 17 mensis Martii promulgatum anno 1995. Collegium Medicorum Dicasterii, in sessione die 5 mensis Martii habita anno 1998, una voce affirmavit sanationem celerrimam fuisse, mansuram, completam et ex huius temporis scientiae cognitionibus inexplicabilem. Die eiusdem mensis 20 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris ac secuti mensis Aprilis die 21 facta est Patrum Cardinalium et Episcoporum Sessio Ordinaria, Causae Ponente Excellentissimo Domino Aloisio Barbarito, Archiepiscopo titulari Florentinensi.

Et in ambobus Conventibus, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Secundo Pollo, Sacerdote archidioecesis Vercellensis, videlicet de celérrima, mansura et completa sanatione Delindae Zarino a « grave forma di psoriasi diffusa con artrite psoriasica oligo-articolare, con asma bronchiale, in soggetto con ipertensione arteriosa e dislipidemia ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 2 mensis Maii A. D. 1998.

ffl **EDUARDUS NOWAK**
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

L. & S.

Michael Di Ruberto, *Subsecretarius*

BARCINONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Rosae Ojeda y Creus confundatricis congregationis sororum Carmelitarum a Sancto Ioseph (1872-1954)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Qui diligit fratrem suum, in lumine manet » *(1 Io* 2, 10).

In lumine veritatis et coniunctionis cum Deo habitavit Rosa Ojeda y Creus, quae boni Samaritani, de quo Evangelium loquitur, sequens exemplum, dilexit egenos iisque servivit diligenter atque misericordiae opera est exsecuta praesertim pro aegrotis, senibus, puerulis.

Testis haec caritatis Christi orta est in oppido *Villanueva y Geltrú* sermone patrio denominato, in archidioecesi Barcinonensi posito, die 30 mensis Augusti anno 1872 a Francisco Ojeda et Rosa Creus, tenuis condicionis oeconomicae coniugibus ac ferventibus christianis. Eodem quo nata est die sacramentum accepit Baptismi, anno 1877 Confirmationem et postea primam Communionem. Puerili in aetate ambobus orbata est parentibus, quapropter una cum duobus fratribus hospitio accepta est ab avis maternis, qui eam amorem timoremque Dei docuerunt et, Ecclesiae legum observantiam. Aliquamdiu scholam publicam frequentavit, vivam ostendens intellegentiam et consilii maturitatem. In familia tamquam ministra infirmorum avum curabat crurum plagis ulcerosis affectum et etiam tum puella in valetudinarium se conferebat aegrotis assiduitatem praebitura. Opus obiit in vestificina, cuius rectrix facta est atque in socias utiliter valuit, quae eam in aegrotis administrando secutae sunt inque religionibus exercendis. Illis annis bona cum fruge opera legit Sanctae Teresiae Abulensis, quibus est ad Carmelitidum spiritualitatem ducta. Avis mortuis ac fratribus in muneribus constitutis, suam est secuta vocationem ad vitam consecratam et Congregationem Iosephinarum a Caritate Vici, quae ante paucos annos erat instituta ad assidendum aegrotis in suis ipsorum domibus, ingressa est. Novitiatu peracto, professionem religiosam fecit anno 1895; Antistitae generali ab actis fuit et deinde, iussu Episcopi dioecesani, novitiarum Magistra. Interea acerbi eventus multas adduxerunt Sorores ad consentiendum cum Episcopo Barcinonensi Iosepho Morgades Gili de proposito, per quod cum eis die 10 mensis Octobris anno 1900 Congregationem condidit Sororum Carmelitarum a Sancto Ioseph ad curam adhibendam de aegrotis, senibus, puerulis. Serva

Dei, quae inde ab initio novi Instituti fautrix fuit, quam ob rem nomen ei tributum est alterius conditricis, munera suscepit Vicariae generalis, Antistitae communitatis loci Masnou, Magistrae novitiarum. Vota temporanea fecit anno 1905 et anno 1911 perpetua. A Capitulo electa est Antistita generalis anno 1912 et ad mortem usque cum prudentia et alacritate Congregationi confirmandae atque augendae prospexit, in Ordinem Fratrum Discalceatorum B. Mariae de Monte Carmelo aggregatae. Anno 1928 magnum cepit gaudium quod novam generaliciam domum aperuit Barcinone. Paucis post annis bellum civile Hispanicum gravia attulit incommoda Sororibus ipsique Servae Dei, quae plus duos annos astricta est a sua communitate segregata vivere, siquidem diverticulum invenerat, mendicantis veste sibi induta, in valetudinario urbis Ripoll. Mulier fortis, omnia patienter toleravit et, postquam res adversae desierunt, locum suum resumpsit atque suae Congregationis restitutioni morali et materiali se dedidit.

Suis sodalibus exemplo fuit fidelitatis Deo, Ecclesiae ac vocationi necnon generosi ardoris in Christo imitando oboedienti, paupere et casto. Fide, spe et caritate sustenta, constanter in via sanctitatis progressa, magnam consecuta est perfectionem. Coniunctionem coluit cum Deo, praesertim per precationem, fervidam Eucharisticam et Marialem pietatem, paenitentiam ipsamque aegrotorum et egenorum curam, in quibus membra dolentia Christi videbat. Propositis Instituti consentanea in proximorum servitium incubuit semper vel cum vitae periculo, sicut in variolarum pestilentia, quae contigit anno 1912, et bello civili furente. Diligenter puerulorum curavit educationem, personarum destitutarum et senum custodiam; familias divisas nisa est reconciliare; precabatur seseque castigabat pro peccatorum conversione statuitque ut redituum suae Congregationis pars conferretur in celebrationem Sanctarum Missarum pro animabus quae purgatorio igni poenas peccatorum luunt. Adiumento fuit, forti dulcique, Sororibus sodalibus quas hortabatur ut cum voluntate Dei convenirent, aequo animo cotidianas aegritudines exciperent, obtrectationes fugerent et murmurationes. Deum et proximos diligerent. Patiens fuit in angustiis, in difficultatibus oeconomicis, in morbo et semper divinae Providentiae auxilio est confisa. Prudentia norma fuit eius vitae rationis; grata fuit erga Deum, vitam egit austeram, demissam, pauperem. Temperata ac modesta, sensus custodiebat speculumque fuit pudicitiae et incontaminatorum morum. Accurate leges Dei et Ecclesiae servavit atque auctoritatibus ecclesiasticis et civilibus obsequens fuit. Sui aedificii spiritalis fundamentum iecit virtutem humilitatis, quae eam acceptam Deo reddidit, Sororibus et iis, quotquot eam cognoverunt.

Senectutis incommoda patienter tulit ac mortem obiit cum animi tranquillitate atque fiduciae plena misericordiae divinae. Dominus eam arcessivit idibus Maiis anno 1954.

Sanctitatis fama, qua claruit in vita, post mortem est aucta; quapropter Archiepiscopus Barcinonensis, nihil obstat obtento Sanctae Sedis, Causam introduxit beatificationis et canonizationis et annis 1976-1979 Processum celebravit cognitionalem, qui est a Congregatione de Causis Sanctorum rite probatus decreto die 19 mensis Aprilis anno 1985 promulgato. Positione perfecta, inquisitum est an Serva Dei virtutes coluisset heroum more. Die 21 mensis Novembris anno 1997 actus est, exitu cum prospero, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria postridie calendas Iunias habita anno 1998, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali D. Simone Lourdusamy, professi sunt Servam Dei Rosam Ojeda y Creus virtutes théologales, cardinales et eisdem adnexas explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more con vocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Rosae Ojeda y Creus, Confundatricis Congregationis Sororum Carmelitarum a Sancto Ioseph, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

LUGDUNENSIS

Canonizationis beati Marcellini Iosephi Benedicti Champagnat sacerdotis e societate Mariae fundatoris instituti parvulorum fratrum Mariae seu fratrum maristarum a scholis (1789-1840)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Marcellinus Iosephus Benedictus Champagnat ortus est in pago Rosey vulgo appellato, intra fines posito municipii loci *Marlhes*, in archidioecesi Lugdunensi, die 20 mensis Maii anno 1789. Post sacerdotalem Ordinationem in ministerium pastorale incubuit ac praesertim in christianam educationem atque institutionem puerorum ruri viventium. Ad hoc propositum assequendum Institutum Parvulorum Fratrum Mariae seu Fratrum Maristarum a Scholis condidit, quod celeriter crevit et viguit, primum tamquam ramus Societatis Mariae Patrum Maristarum et, post Conditoris mortem, tamquam Congregatio autonoma. Laboribus pro Regno Dei obitis confectus, Beatus hic in Domino obdormivit postridie nonas Iunias anno 1840, meritis ornatus et fama sanctitatis clarus.

Summus Pontifex Pius XII, die 29 mensis Maii anno 1955 sollemniter ei nomen et honores contulit Beati.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio Congregationis de Causis Sanctorum coniectam permisit miram sanationem, in Paraquaria patratam et intercessioni ascriptam eiusdem Beati. Casus pertinet ad Fratrem Heribertum (in saeculo: Henricum Gerardum Weber Nellessen) Instituti Fratrum Maristarum a Scholis sodalem, qui mense Maio exeunte anni 1976, duodeseptuaginta annos natus, laborare coepit ex gravi pulmonum affectione, disseminatione nodulorum in utroque latere notata cum conspicua spirandi exiguitate et gravissimo condicionis generalis discrimine. Coetus medicorum valetudinarii in quod deductus erat, in urbe Montevideo siti, therapiarum inefficacia animadversa, ceteroqui symptomaticarum et aegroti condicionibus ingravescentibus cognitis, circiter dimidium mensem Iunium eiusdem anni prognosim prodidit infaustam quoad vitam in breve tempus.

Die 13 mensis Iulii subsecuti Superior Provincialis Instituti communitates Fratrum Maristarum Paraquarianae Nationis hortatus est ad preces invocandas beati Marcellini Iosephi Benedicti Champagnat ut fratris sui sodalis sanationem obtinerent. Inter diem 24 et diem 25 mensis Iulii condicio-

nes Fratris Heriberti rapide in melius mutatae sunt nec in radiographia postridie effecta gravium pulmonum plagarum sunt reperta vestigia, quae antea erant notata. Cum sanatio completa fuisset et stabilis, mense post sanatus se ad consuetam industriam potuit revocare.

Apud Curiam Montisvidei anno 1985 Processus cognitionalis celebratus est, qui est rite probatus a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 10 mensis Ianuarii anno 1986 promulgatum.

Dicasterii Collegium Medicorum in sessione die 26 mensis Iunii anno 1997 habita uno ore edixit sanationem celerrimam fuisse, perfectam, mansuram et ex scientia inexplicabilem. Die 20 mensis Februarii anno 1998 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris atque postridie calendas Iunias subsecutas Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Henrico Schwery. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beato Marcellino Iosepho Benedicto Champagnat, Sacerdote e Societate Mariae, Fundatore Instituti Parvulorum Fratrum Mariae seu Fratrum Maristarum a Scholis, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione Fratris Heriberti (in saec.: Henrici Gerardi Weber Nellessen) a « grave affezione polmonare caratterizzata da disseminazione nodulare bilaterale, con marcata insufficienza respiratoria, in soggetto con gravissima compromissione dello stato generale ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunenensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus PP. II per Apostolicas sub plumbo litteras iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 23 lammrii 1999. — Cathedrali Ecclesiae Iaciensi, Exc.mum P.D. Salvatorem Gristina, hactenus Episcopum titularem Mustitanum in Numidia atque Auxiliarem archidioecesis Panormitanae.

die 25 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Arlingtonensi, Exc.mum P.D. Paulum Stephanum Loverde, hactenus Episcopum Ogdensburgensem.

— Cathedrali Ecclesiae Beiensi, Exc.mum P.D. Antonium Vitalinum Fernandes Dantas, O. Carm., hactenus Episcopum titularem Tloënsem et Auxiliarem Patriarchatus Lisbonensis.

die 28 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Sololensi-Chimaltenangensi, R.D. Radulfum Antonium Martínez Paredes, hactenus Administratorem dioecesanum eiusdem dioecesis.

die 30 Ianuarii. — Archiepiscopali Ecclesiae Sancti Angeli de Lombardis-Compsanae-Nuscanae-Bisaciensi R.D. Salvatorem Nunnari, e clero archidioecesis Rheginensis-Bovensis, ibique parochum atque Vicarium episcopalem.

die 1 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Cuneensi, cui unitur « in persona Episcopi » Ecclesia Fossanensis, Exc.mum P.D. Natalinum Pescarolo, Episcopum huius dioecesis.

die 2 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Sinus Tonitralis, Exc.mum P.D. Fridericum J. Colli, hactenus Episcopum titularem Afufeniensem et Auxiliarem archidioecesis Ottaviensis.

die 16 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Aliphanae-Caiacensi R.D. Petrum Farina, hactenus Vicarium generalem dioecesis Casertanae.

— Episcopum Coadiutorem dioecesis Vichitensis R.D. Thomam Iacobum Olmsted, e clero dioecesis Lincolnensis, rectorem Seminarii maioris « Iosephinum » in oppido vulgo Columbus.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

INSTRUCTIO

De cooperatione missionali.

PROOEMIUM

Cooperatio missionalis necessaria est ad gentium evangelizationem.

Quo aptius Summi Pontificis mandato respondeat dirigendi et coordinandi in universo terrarum orbe evangelizationis opus atque missionalem cooperationem, Congregatio pro Gentium Evangelizatione omni ope adnititur « ut Populus Dei, spiritu missionario imbutus atque sui officii conscius, precibus, testimonio vitae, actuositate et subsidiis oeconomicis ad opus missionale efficaciter collaboret ».[1]

Postquam Concilium Oecumenicum Vaticanum II Romani Pontificis, Collegii episcopalis necnon singulorum Episcoporum responsabilitatem in Evangelio nuntiando fortiter expressit,[2] Congregatio pro Gentium Evangelizatione necessarium duxit rationes doctrinales altius sibi esse perscrutandas et ante omnia applicationes apostolicas magnae quaestionis cooperationis missionalis, utpote communis Sanctae Sedis et Ecclesiarum particularium responsabilitatis et curae. Hoc fecit in Congregatione plenaria, habita diebus 25-28 mensis Iunii anno 1968, cuius fructus fuit Instructio *Quo aptius,* a Paulo VI approbata.[3]

Codice Iuris Canonici[4] et Litteris Encyclicis Ioannis Pauli II *Redemptoris missio*[5] rursus impellentibus, eadem quaestio tractata est in Congrega-

[1] IOANNES PAULUS II, Const. ap. *Pastor bonus* (28 Iunii 1988), art. 87: *AAS* 80 (1988), p. 882; cf. *CIC,* cann. 781 et 791.

[2] Cf. CONC. OECUM. VATICANUM II, Const. dogm. *Lumen gentium,* n. 23: Decr. *Ad gentes,* n. 38: Decr. *Christus Dominus,* n. 6.

[3] Cf. S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE, Instr. *Quo aptius* (24 Febr. 1969): *AAS* 61 (1969), pp. 276-281.

[4] Cf. *CIC,* cann. 781, 782, 791.

[5] Cf. IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 Dec. 1990), nn. 77-86: *AAS* 83 (1991), pp. 324-333.

tione Plenaria dierum 25-28 mensis Aprilis anni 1995, ex qua quaedam emerserunt utiles et definitae « Propositiones conclusivae ».

Ea quaestio tandem est iterum agitata, quoad communem responsabilitatem, in peculiari congressione Romae acta a die 29 mensis Aprilis usque ad kalendas Maias anni 1996, cui interfuerunt aliqui Episcopi Praesides « Commissionum episcopalium pro Missionibus» ac Directores nationales Pontificiorum Operum Missionalium, electi prout universam Ecclesiam repraesentabant.

Adminicula Congregationis Plenariae anni 1995 et congressionis anni 1996 origo fuerunt renovandi Instructionem *Quo aptius,* quae quidem etiam nunc valida est, quod attinet ad ipsam rei naturam, sed magna indiget recognitione.

Congregatio pro Gentium Evangelizatione igitur tria haec statuit:

1. Principia doctrinalia confirmare, quae sunt cooperationis missionalis fundamentum;

2. Normas adicere super cooperatione missionali, speciali cum respectu Pontificiorum Operum Missionalium, et praesertim super rationibus inter Congregationem pro Gentium Evangelizatione et Conferentias episcopales;

3. Quorundam inceptorum cooperationis missionalis dioecesium territoriorum iuris communis pro iunioribus Ecclesiis effectionem fovere et definire.

Huic Instructioni conscribendae, quae materiam continet Instructionis *Quo aptius* ex toto recognitam, operam dederunt, opportunis consiliis, nonnulli etiam Episcopi « Commissionum episcopalium pro Missionibus » participes atque nonnulli Directores nationales Pontificiorum Operum Missionalium.

Congregatio pro Gentium Evangelizatione confidit fructum huius communis laboris renovationis profuturum esse ad novum impulsum dandum cooperationi missionali, quae necessaria est ut Ecclesiae missio « ad gentes » gignere possit, sicut Summus Pontifex Ioannes Paulus II ominatur, « ver Evangelii novum ».[6]

PRINCIPIA DOCTRINALIA

Fundamentum et actualitas missionis « ad gentes »

1. «Ecclesia peregrinans natura sua missionaria est».[7] Mandatum ipsa accepit adducendi ad effectum Consilium salutis universalis, quod ab aeter-

[6] Litt. enc. *Redemptoris missio,* n. 86: *AAS* 83 (1991), p. 333.
[7] CONC. OECUM. VATICANUM II, Decr. *Ad gentes,* n. 2.

no manat « ex amoris fonte », id est ex caritate Dei Patris. Mundo se sistit tamquam mysterii atque missionis Christi continuationem, unici Redemptoris ac primi Missionarii Patris, quique est « sacramentum universale salutis ».[8] In unitatem est congregata super totam terram a Spiritu Sancto, qui missionis primas partes agit, a quo lumen accipit et robur ad veritatem nuntiandam de Christo deque Patre ab eo re velato. Ecclesiae missio ergo indolem habet essentialiter « trinitariam ».

Ecclesia de sua identitate et missione certissima est, atque ex eius experientia vivit per filiorum suorum curam.

Praeceptum quod Dominus ab inferis suscitatus apostolis dedit: « Euntes ... docete omnes gentes, baptizantes eos» *(Mt* 28,19) hodie quoque tota sua virtute resonat et robore. Ecclesia nec potest nec vult se de hac responsabilitate subducere, persuasum sibi habens omnibus hominibus ius esse per suum ministerium Christum inveniendi. Missio « ad gentes », quae « indolem habet operis nuntii Christi eiusque Evangelii, aedificationis Ecclesiae localis, progressionis bonorum Regni »,[9] est idcirco valida, vitalis et ad praesentia apta. Immo, si mundi veritas demographica et socialis religiosaque perpenditur, ea habenda est adhuc in initio esse.[10] Tertio adveniente millennio, Ecclesiae munus missionale, nedum exstinguatur, maiorem usque campum habet.[11]

Ecclesia universalis, omnes Ecclesiae particulares, omnia Instituta consociationesque ecclesiales atque omnis christianus in Ecclesia contendere debent ut Domini nuntius disseminetur et usque ad ultimum terrae (cf. *Act* 1,8) perveniat atque Corpus Mysticum suae maturationis in Christo plenitudinem adipiscatur (cf. *Eph* 4,13). Sunt semper vera apostolorum verba, quae Ecclesia cum persuasione repetere pergit: « Non possumus quae vidimus et audivimus non loqui» *(Act* 4,20).[12]

[8] CONC. OECUM. VATICANUM II, Const. dogm. *Lumen gentium,* n. 1 e 48; Decr. *Ad gentes,* n. 5; cf. PAULUS VI, Adhort ap *Evangelii nuntiandi* (8 Dec. 1975), n. 15: *AAS* 68 (1976), pp. 13-15; IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio,* nn. 9-10: *AAS* 83 (1991), pp. 257-259.

[9] Cf. CONC. OECUM. VATICANUM II, Decr. *Ad gentes,* n. 6; IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio,* n. 34: *AAS* 83 (1991), p. 279 s.; cf. etiam *ibid.,* n. 20: *AAS* 83 (1991), p. 267 s.

[10] Cf. Litt. enc. *Redemptoris missio,* n. 1: *AAS* 83 (1991), p.. 249.

[11] Cf. *ibid.,* nn. 31-35: *l.e.,* pp. 276-281.

[12] Cf. *ibid.,* n. 11: *l.c,* p. 259 s.; *CIC,* can. 791, 1°.

Cooperatio missionalis omnes christianos astringit

2. « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos» *(Io* 20,21). Hoc Iesu enuntiatum obligatorium est et optime missionis unitatem et continuationem exprimit. Etenim « Missio Ecclesiae » oritur « ex missione Dei ».

Ecclesia universa vocatur ad consulendum missioni explicandae impigra cooperatione. Christianus quisque, ex baptismo et confirmatione, fluxum navitatis supernaturalis, consilium aeternum salutis ingreditur, quod ipsius Dei est quodque in dies perficitur pro stirpibus, quae continuantur ad magnam humanam familiam formandam.

Participatio communitatum ecclesialium ac singulorum fidelium in efficiendo hoc divino consilio denominatur « cooperatio missionalis » et multimodis efficitur: precatione, testimonio, sacrificio, proprii laboris propriorumque auxiliorum oblatione. Cooperatio est animationis missionalis primus fructus, intellectae tamquam spiritus et vitalitatis quae fideles, Instituta et communitates in universalem responsabilitatem inserit, conscientiam et mentem missionariam formando « ad gentes » intentam. Omne inceptum igitur animationis missionalis est ad finem suum dirigendum, nempe ad Populum Dei informandum ad missionem universalem « specificam », ad bonas multasque vocationes missionarias excitandas necnon ad quodlibet cooperationis genus exciendum.[13]

Cooperatio, ad mundi evangelizationem necessaria, omnium baptizatorum ius est et officium,[14] quod ipsa innititur eorum natura membrorum Corporis Mystici et ad exitum adducitur multimodis diversisque gradibus responsabilitatis et participationis in agendo. « Radices agit talis cooperatio potissimum quod quisque ipse singillatim cum Christo iungitur... Vitae sanctimonia unumquemque sinit christianum in Ecclesiae opere esse frugiferum ».[15]

Cooperatio missionalis exigit ut convenienter disponatur sicque conficiatur in spiritu communionis ecclesialis et ordinate, ut efficaciter suum persequatur finem. Qualis participatio ipsius communionis Dei Unius et Trini viget necessitudo unitatis interioris inter Ecclesias particulares, inter unamquamque earum interque omnia membra Populi Dei. Haec communio agi-

[13] **Cf. Litt. enc. *Redemptoris missio,* nn.. 77-86: *AAS* 83 (1991), pp.. 324-333; *CIC,* can. 781.**

[14] **Cf. *CIC,* cann. 211, 781,**

[15] **Cf, Litt, enc. *Redemptoris missio,* n,, 77: *AAS* 83 (1991), p. 324 s.; cf. etiam *ibid.,* n. 90: *AAS* 83 (1991), p. 336 s.**

tur in prospectu reciprocationis et, re, in significatione missionalitatis specificae. Nemo impediatur quominus hanc reciprocam permutationem caritatis ecclesialis ac missionalis dynamismi perficiat. Nota enim essentialis communionis ecclesialis est eius certa et definita natura, ita ut possit omnes implicare et hominem concretum contingere in sua vitae condicione.

Hodie quoque dici posse debetur communitates christianas, missione universali obstrictas, agere « corde uno et anima una» *(Act* 4,32).

Cooperationis missionalis corpora

3. Ex spirituali communione in Ecclesia oritur necessitas communionis visibilis et organicae, ita ut variae responsabilitates et munera coniuncta sint et inter se ordinatim copulata.[16] Longa atque certa experientia nixa, Suprema Ecclesiae Auctoritas statuit ut unum sit corpus centrale, quod « dirigat et coordinet » ubique incepta et negotia cooperationis missionalis, nempe Congregatio pro Gentium Evangelizatione.[17]

Congregatio pro Gentium Evangelizatione, corpus centrale dirigendae et coordinandae evangelizationi atque cooperationi missionali praepositum, utpote cum mandato Romani Pontificis agat et in ambitu universali, unitati favet inter responsabiles cooperationis missionalis in diversis gradibus et cavet ut eorum navitates ordinate fiant, ita ut omnes « unanimiter ad aedificationem Ecclesiae vires impendant ».[18]

Ecclesiae locales, tam in gradu nationali cum Commissionibus Conferentiarum episcopalium ad hoc ipsum institutis, quam in gradu dioecesano, similes habent partes in ambitu suo.

Congregatione pro Gentium Evangelizatione coordinante et dirigente, multa corpora ecclesialia operantur, quae uti finem proprium, ex toto aut ex parte, cooperationem missionalem habent. Corpora illa praesentiam multiformem Spiritus Sancti significant, qui intus Ecclesiam corroborat ut evangelizationem exsequatur totius humani generis. In his corporibus adnumeranda sunt aliqua Instituta vitae consecratae, Societates vitae apostolicae, Consociationes laicales, motus christiani, coetus voluntarii muneris, etc. Ea, secundum proprias constitutiones vel statuta efficaciter operantur in

[16] Cf. Litt, enc. *Redemptoris missio,* n. 75: *AAS* 83 (1991), p. 322 s.

[17] Cf. CONC. OECUM. VATICANUM II, Decr. *Ad gentes,* n. 29; IOANNES PAULUS II, Const. ap. *Pastor bonus* (28 Iunii 1988), art. 85: *AAS* 80 (1988), p. 881.

[18] CONC. OECUM. VATICANUM II, Decr. *Ad gentes,* n. 28; IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio,* n. 75: *AAS* 83 (1991), p. 322 s.

amplo et vario cooperationis missionalis campo, instrumentis ac modis peculiaribus utendo, praedita structuris et disciplina nullius auctoritati obnoxiis.

Congregationis pro Gentium Evangelizatione sustinendi et coordinandi munus in ambitu universali, sicut et Conferentiarum episcopalium et singulorum Episcoporum in ambitu locali, admodum confert ad unitatem spiritus et actionis corporum cooperationis missionalis.

Ad animationem et cooperationem agendam Congregratio pro Gentium Evangelizatione quattuor praesertim utitur Pontificiis Operibus Missionalibus.[19]

NORMAE PRACTICAE

I. MUNUS PONTIFICIORUM OPERUM MISSIONALIUM IN COOPERATIONE MISSIONALI

Cooperatio missionalis et quattuor Pontificia Opera Missionalia

4. In campo cooperationis missionalis collocata sunt Pontificia Opera Missionalia cum suo primario et proprio munere. Ea orta sunt ex inceptis charismaticis, tum a laicis initis, tum a sacerdotibus, eo consilio, ut missionariorum actionem adiuvarent, directe excitando et implicando sacerdotes, consecratos et fideles oratione, sacrificii oblatione, provectione sacerdotali, caritate atque negotiis concretis.

Dum iuvat in lucem proferre Pontificia Opera Missionalia originem habere charismaticam, oportet pariter illustrare Ecclesiam eorum authenticitatem confirmavisse, ea probando ac propria faciendo per interventum directum Officii Petrini. Pontificia Opera Missionalia quattuor sunt:

- *Pontificium Opus Missionale a Propagatione Fidei,* quod curam suscitet de evangelizatione in omnibus partibus Populi Dei atque inter Ecclesias locales provehat et spirituale et materiale auxilium et personarum apostolicarum permutationem.

- *Pontificium Opus Missionale a Sancta Infantia,* quod educatoribus opituletur ad gradatim excitandam in pueris conscientiam missionalem; quod puerulis studium iniciat communicandi fidem suam suaque bona materialia cum suis aequalibus regionum et Ecclesiarum egeniorum; quod vocationes missionarias concitet inde a pueritia.

[19] IOANNES PAULUS II, Const. ap., *Pastor bonus* (28 Iunii 1988), art. 91: *AAS* 80 (1988), p. 883.

- *Pontificium Opus Missionale a Sancto Petro Apostolo,* quod populum christianum sensificet quoad momentum cleri localis in territoriis missionis eumque invitet ad cooperandum spiritualiter et materialiter formationi candidatorum sacerdotii et vitae consecratae.

- *Pontificia Unio Missionalis,* pro formatione et excitatione conscientiae missionalis sacerdotum, alumnorum seminariorum, sodalium Institutorum masculinorum et femininorum vitae consecratae atque Societatum vitae apostolicae earumque candidatorum, sicut etiam missionariorum laicorum in missionem universalem incumbentium. Ea veluti anima est ceterorum Operum, quoniam ii, ex quibus constat, peculiari ingenio praediti sunt ad suscitandum in communitatibus christianis spiritum missionalem et ad cooperationem agendam.

Quattuor haec Opera « Pontificia » denominantur eo quod creverunt etiam adiutorio Sanctae Sedis quae, cum ea sua fecisset, indolem dedit eis universalem. « Etsi opera Summi Pontificis sunt, sunt tamen etiam totius Episcopatus totiusque Populi Dei ».[20]

Pontificiorum Operum Missionalium indoles primaria

5. Ut hanc cooperationem missionalem efficiat et augeat, Summus Pontifex cum ipse per se, tum per Congregationem pro Gentium Evangelizatione, coeptus omnes fovet qui impulsu Spiritus Sancti nascuntur et ex liberalitate fidelium. Utitur tamen in primis Pontificiis Operibus Missionalibus, quae « communem persequuntur finem ut missionalem animum universalem intra Dei Populum disseminent »,[21] et quorum est proprium ante omnia hoc sibi proponere, ut cooperationem concitent, vires missionales componant et aequam praestent auxiliorum distributionem. « Quoniam Opera haec Romani Pontificis sunt et Collegii episcopalis, etiam intra fines Ecclesiarum localium istis iure primus locus, tribui debet ».[22]

Natura, finis et officia primigenia uniuscuiusque Operis confirmata sunt vel definita specialibus Statutis a Summo Pontifice approbatis die 26 men-

[20] PAULUS VI, *Messaggio per la Giornata missionaria mondiale del 1968* (2 iunii 1968): *AAS* 60 (1968), p. 401; *Enchiridion delia Chiesa missionaria,* II, n. 3339; cf. etiam PAULUS VI, *Messaggio per la Giornata missionaria mondiale del 1976* (14 apr. 1976): *Enchiridion delia Chiesa missionaria,* II, nn. 3483-3488.

[21] IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 Dec. 1990), n. 84: *AAS* 83 (1991), p. 330 s.

[22] *Ibid.;* CONC. OECUM. VATICANUM II, Decr. *Ad gentes,* n. 38.

sis Iunii anno 1980, pro cuncta Ecclesia validis, quae, praesentibus rerum in adiunctis, ratio practica sunt pro augenda cooperatione missionali intra fines quattuor Operum proprios.

Eorum natura perspecta atque momento, necesse est Pontificia Opera Missionalia exsistant et operentur in omnibus Ecclesiis particularibus antiquae et recentis institutionis. Munus cooperationis missionalis fiet ita « Ecclesiae conscientia ».

Pontificiorum Operum Missionalium obnoxietas Congregationi pro Gentium Evangelizatione et Conferentiis episcopalibus

6. Suprema Pontificiorum Operum Missionalium directio est a Summo Pontifice Congregationi pro Gentium Evangelizatione concredita ad quam « spectat dirigere et coordinare ubique terrarum ipsum opus evangelizationis populorum et cooperationem missionariam, salva Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus competentia ».[23] Idcirco Pontificia Opera Missionalia obnoxia sunt Congregationi pro Gentium Evangelizatione, quae ea regere debet diligenter, itemque eorum auctum et diffusionem in omnibus dioecesibus provehere.[24]

Quod ad eorum actionis exercitium pertinet in diversis territoriis, horum Operum regimen commissum est etiam Conferentiis episcopalibus et Episcopis singularum dioecesium secundum eorundem Operum Statuta.[25]

Obnoxietas eodem tempore Congregationi pro Gentium Evangelizatione, Conferentiis episcopalibus atque Episcopis debita, postulat in agendi ratione ordinatum consilium quod ad exitum adducatur in spiritu activae cooperationis pro diversis responsabilitatis gradibus, et etiam ordinatam participationem earundem opum, ad unicum finem persequendum.

Firmo principio obnoxietatis Pontificiorum Operum Missionalium Congregationi pro Gentium Evangelizatione et Episcopis, propria eorum est, iure suo, iusta autonomia a legitima auctoritate agnita et propriis Statutis indicata. Eiusmodi autonomia dynamice exprimitur etiam quaesitione aptarum cooperationis viarum, ut satis respondeatur rei ipsi missionali, quae continuo variatur et novas exigit formas interventus.

[23] IOANNES PAULUS II, Const. ap. *Pastor bonus* (28 Iunii 1988), art. 85: *AAS* 80 (1988), p. 881.

[24] Cf. *ibid.*, art.. 91: *l.c*, p. 883.

[25] Cf. IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 Dec, 1990), n. 84: *AAS* 83 (1991), p. 330 s.

Director nationalis Pontificiorum Operum Missionalium

7. Exsistat ex more in omni natione unus Director nationalis pro quattuor Pontificiis Operibus Missionalibus, si adsunt, vel pro omnibus quattuor propositis, quae ea persequuntur. Nonnullis in casibus Directori munus iniungi potest pro pluribus nationibus.

Directoris nationalis nominatio ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione spectat, potius post designationem trium nominum candidatorum a Conferentia episcopali factam, per Legationem Pontificiam.

Munus quinque annos durat, sed plerumque continuari potest solummodo in alterum subsequens quinquennium.

Directoris nationalis Pontificiorum Operum Missionalium munera

8. Potissimum ad Directorem nationalem pertinet Pontificia Opera Missionalia fovere ac dirigere in natione eorumque actionem inter singulas dioeceses coordinare.

In omnibus negotiis cum suo officio conexis Director tenetur fideliter Statuta observare, adventicias normas a Sancta Sede proditas atque Conferentiae episcopalis peculiaria praescripta.

Omnes Directores nationales active intererunt coetibus, qui pro iis indicuntur iuxta Statuta, ut quaestionibus communibus studeant et auxiliorum distributionem proponant, intendentes ad necessitates cuiusque Ecclesiae missionis, aequitatis rationes sequentes ac primatus tutantes. Suis quisque Secretariatibus Generalibus rationem nummariam exhibebunt et de Operum negotiis relationem, secundum acceptas praescriptiones.

Nulla de causa Directores nationales ad fines particulares convertant donationes fidelium pro missione « ad gentes », tum die missionali mundiali, tum aliis specialibus temporibus collectas. Hoc debitum est ex conscientia et necessarium, ne in discrimen adducatur aequa et universalis auxiliorum distributio, quae Pontificia Opera Missionalia nomine Summi Pontificis et Collegii episcopalis provident.

Director dioecesanus Pontificiorum Operum Missionalium

9. In singulis dioecesibus plerumque expedit ut Episcopus eidem personae munus committat Delegati episcopalis pro missione ac Directoris dioecesani Pontificiorum Operum Missionalium. Haec persona membrum sit consilii presbyteralis vel pastoralis. Si, graves ob causas, Episcopus duas di-

stinctas eligit personas, Delegatus episcopalis quam maximum praebeat auxilium Directori dioecesano, ita ut Pontificia Opera Missionalia vere evadant, etiam in dioecesibus, potissimum instrumentum animationis et cooperationis missionalis.[26]

II. CONFERENTIARUM EPISCOPALIUM STRUCTURAE PRO COOPERATIONE MISSIONALI

Institutio Commissionis episcopalis pro Missionibus[27]

10. Propter communem Episcoporum missionalem responsabilitatem, in omnibus Conferentiis episcopalibus instituenda est specialis « Commissio episcopalis pro Missionibus ».[28] Eius est proprium evangelizationem « ad gentes » alere, animationem et cooperationem missionalem in variis suis formis, atque necessitudines servare cum Congregatione pro Gentium Evangelizatione cumque Conferentia episcopali, ut actionis unitas protegatur. Dynamismus et coordinationis facultas huius Commissionis magnopere favet in natione cooperationi missionali.

Commissionis episcopalis pro Missionibus munera

11. Praecipua Commissionis episcopalis munera haec sunt:

a) Coeptus suggerendi et confirmandi ad educationem cleri missionalem aptos, ad adiumentum Institutorum missionalium adque incrementum conscientiae missionalis in Ecclesiis particularibus, ut fideles se implicent personaliter navitate « ad gentes » seque cooperationi dedant.

b) Omnibus in dioecesibus Pontificia Opera Missionalia fovendi, cuiusque eorum indolem propriam tuendo et veram efficacitatem secundum Statuta.

c) Curandi ut omnes largitiones praesto sint ex toto pecuniae communi pro missionibus apud Secretariatus Generales Pontificiorum Operum Missionalium, ut aequa et congruens distributio auxiliorum provideatur omnibus

[26] **Cf. *CIC*, can. 791, 2°.**

[27] **Cf. *CIC*, can. 782.**

[28] **Cf. CONC. OECUM. VATICANUM II, Decr. *Ad gentes*, n. 38; PAULUS VI, Litt. ap. *Ecclesiae sanctae* (6 aug. 1966), III, art. 9: *AAS* 58 (1966), p. 784.**

recentibus Ecclesiis omnibusque operibus cum missione universali « ad gentes » coniunctis.[29]

d) Conferentiae episcopali proponendi summam contributionis pecuniariae quam dioecesis quaeque tenetur, pro reditu suo, quotannis dare pro opere missionali, illam solvens Congregationi pro Gentium Evangelizatione. Haec contributio est necessaria; siquidem exigentia pro missionis incremento crescunt in dies et largitiones ultroneae fidelium non sufficiunt.[30]

e) Curandi ut omnes coeptus cooperationis missionalis provehantur et convenienter compleantur, vitando ne ullus ceteris detrimento sit et semper indolem universalem primariamque Pontificiorum Operum Missionalium tuendo.

f) Suscitandi et ordinandi Institutorum vitae consecratae cooperationem, sicut etiam societatum vitae apostolicae, quae finem habent unicum vel saltem ex parte missionalem, tum pro formatione atque animatione missionali fidelium tum pro cooperatione, in arta coniunctione cum Pontificiis Operibus Missionalibus. Efficiatur praeterea ut haec Instituta et hae societates possint etiam pro suis operibus laborare, intra terminos iusti ordinis et in respectu necessitatum generalium missionis « ad gentes ». Iis enim agnoscenda est non solum comprobata quaedam implicatio ac valida experientia in campo missionali,[31] sed, sui charismatis vi, etiam habilitas proponendi iuvenibus vocationem « ad vitam », quae iure existimatur paradigmam sollicitudinis missionalis totius Ecclesiae.[32]

Consilium Missionale Nationale

12. Quo maiorem unitatem et efficaciam operativam in animatione et cooperatione consequatur atque concursus et iterationes caveat, Conferentia episcopalis « Consilium Missionale Nationale » constituat, quod adhibeat quoad rerum agendarum rationem, gestionem et recognitionem praecipuorum negotiorum cooperationis missionalis in gradu nationali.

Una cum Praeside Commissionis episcopalis pro Missionibus, qui illud regit, huius Consilii participes sunt: Director nationalis Pontificiorum Ope-

[29] Cf. Pius XI, Motu proprio *Romanorum Pontificum* (3 Maii 1922), n. IX: *AAS* 14 (1922), p 327; PAULUS VI, Litt. ap. *Ecclesiae sanctae* (6 Aug. 1966), III, art. 7: *AAS* 58 (1966), p. 784.

[30] Cf. *CIC* can. 791, 4°; PAULUS VI, Litt. ap. *Ecclesiae sanctae* (6 Aug. 1966), III, art. 8: *AAS* 58 (1966), p. 784; CONC. OECUM. VATICANUM II, Decr. *Ad gentes*, n. 38.

[31] Cf. CONC. OECUM. VATICANUM II, Decr. *Ad gentes*, n. 27.

[32] Cf. IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 Dec. 1990), n. 66: *AAS* 83 (1991), p. 314 s.

rum Missionalium, Secretarii nationales Pontificiorum Operum Missionalium aut ab iis Delegati; sacerdotes dioecesani a Commissione episcopali electi; delegati ab Institutis Missionariis et aliis Institutis vitae consecratae et a Societatibus vitae apostolicae quae in terris missionis operantur, a Conferentia Nationali Superiorum Maiorum propositi; delegati a Consociationibus missionariis laicalibus, a suis responsalibus indicati. Numerus et proportio membrorum Consilii Missionalis Nationalis a Conferentia episcopali statuuntur aut a Commissione episcopali pro Missionibus.[33]

Pontificia Opera Missionalia Consilio proponere possunt quaestiones quae ad totam nationem respiciant quaeque maioris momenti putent simulque considerandae ac solvendae sint, in unitate, iis omnibus qui cooperatione missionali sunt astricti. Consilii est easdem quaestiones ostendere Conferentiae episcopali, ut opportune consilia capiantur.

Ubi constituta sunt etiam Consilia Regionalia, eorum structura et agendi ratio similes sunt structurae et agendi rationi Consilii Nationalis.

Praeter Consilium Missionale Nationale a Conferentia episcopali constitutum, Pontificia Opera Missionalia suum habeant etiam Consilium nationale, iuxta Statuta sua.

III. CORPORUM COOPERATIONIS MISSIONALIS IN NATIONIBUS COORDINATIO

Normae pro coordinatione corporum nationalium

13. Ut bonam coordinationem negotiorum Sanctae Sedis et Conferentiarum episcopalium praestent in campo cooperationis missionalis, Commissiones episcopales pro Missionibus has normas utiliter respicient:

a) In primis, confirmatur invitatio Summorum Pontificum ad Episcopos et ad corpora in missione « ad gentes » laborantia ut active et fideliter se consocient cum Congregatione pro Gentium Evangelizatione. Haec consociata opera iuridicum suum fundamentum habet in auctoritate a Summo Pontifice Congregationi pro Gentium Evangelizatione collata,[34] et consecutio est etiam illius necessariae communionis apostolicae pro qua Dominus est in ultima cena precatus: « Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in

[33] Cf. PAULUS VI, Litt. ap. *Ecclesiae sanctae* (6 Aug. 1966), III, art. 11: *AAS* 58 (1966), p. 784.

[34] Cf IOANNES PAULUS II, Const ap. *Pastor bonus* (28 Iunii 1988), artt. 85-92: *AAS* 80 (1988), pp. 881-883.

te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut mundus credat quia tu me misisti » *(Io* 17,21). In praxi Pontifìcia Opera Missionalia non possunt ad Conferentias episcopales et ad Episcopos, utpote cooperationis missionalis in loco responsales, sicut et Conferentiae episcopales et Episcopi ad Pontificia Opera Missionalia non referri.

b) Ordines rerum agendarum Pontificiorum Operum Missionalium ordinibus agendarum rerum nationis compleantur. Haec expletio tuta reddatur propositionibus coniunctis a Commissione episcopali et a Directione nationali Pontificiorum Operum Missionalium Conferentiae expositis. Hic est finis persequendus, ut nempe cooperatio missionalis vere compleatur in peculiari compage pastorali nec elementum separatum evadat.[35]

Quod dictum est de missionali incremento in natione valet etiam pro singulis dioecesibus, in quibus Director Pontificiorum Operum Missionalium membrum erit Consilii pastoralis dioecesani.

c) Pontificiis Operibus Missionalibus re vera agnosci debent et praestari partes instrumenti publici Ecclesiae universalis, quae ex constitutione in natione et in dioecesibus ad illa spectant. In hoc instrumentum cooperationis conveniunt et ad effectum adducuntur in hierarchica concordia, responsabilitates Summi Pontificis, qui per Congregationem pro Gentium Evangelizatione praesertim agit, Collegii episcopalis et uniuscuiusque Episcopi.[36]

d) Quod ad subsidia pertinet oeconomica, fructum diei missionalis, vel aliarum collectarum pecuniarum ac redituum naturae missionalis, prospiciatur ut omnis dioecesis tempestive Secretariatibus Generalibus, quorum interest, per Directionem Generalem omnes oblationes voluntarias fidelium pro Pontificiis Operibus Missionalibus tradat, atque Congregationi pro Gentium Evangelizatione subsidium pro proventu suo, iuxta praescriptionem Conferentiae episcopalis. Semper autem servetur principium, ex quo omnes « oblationes a fidelibus ad certum finem factae, nonnisi ad eundem finem destinari possunt ».[37]

e) Director nationalis Pontificiorum Operum Missionalium adiuvetur reapse a Commissione episcopali ad suum exsequendum servitium, quod expleri debet et nunquam in simultate poni cum servitio ceterorum responsalium et operatorum cooperationis missionalis.

[35] **Cf. IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 Dec. 1990), n. 83: *AAS* 83 (1991), p. 329 s.**

[36] **Cf. *CIC,* cann. 782, 791,**

[37] **Cf.. *CIC,* cann. 1267, § 3 e 791, 4°**

' f) Expedit ut Praeses Commissionis episcopalis invitetur ad congressiones nationales annuas Pontificiorum Operum Missionalium, ut possit ex propinquo eorum animadvertere actionem tam temporibus ordinis rerum agendarum, quam recognitionis.

g) Director nationalis certior fiat de consultis deque inceptis missionalibus Commissionis episcopalis. Hoc modo facilius poterit suum explicare munus in unitate spiritus et propositorum una cum normis et electionibus operativis Pastorum et Ecclesiae localis. Societur Director nationalis Commissioni episcopali quam efficientissime fieri potest.

Viae ac rationes ad aggregandum Directorem nationalem Pontificiorum Operum Missionalium in Commissionem episcopalem pro Missionibus

14. Necessitas aggregandi Directorem nationalem in Commissionem episcopalem potest certam invenire responsionem non solum ex voluntate communionis, verum etiam ex modo quo corpora nationalia constituuntur.

Quod ad hoc attinet, Congregatio pro Gentium Evangelizatione plenam fovet consensionem inter responsales et operatores nationales cooperationis missionalis, remittens ad Commissiones episcopales et ad Directores nationales rationes id faciendi. Utcumque, hoc consideretur:

a) Structuram exactam, quae dirigat necessitudinem inter Commissionem episcopalem pro Missionibus et Directionem nationalem Pontificiorum Operum Missionalium determinari non posse modo unico et « a priori » pro omnibus nationibus, sed per mutuum dialogum esse perpendendam.

b) Formam definitam eam esse, qua Director nationalis nominatur Secretarius Commissionis episcopalis pro Missionibus.

c) Posse etiam libere alias eligi rationes, dummodo spectetur semper finis unitatis spiritus et actionis nec confusiones fiant inter varias responsabilitates.

IV. RATIONES INTER CONGREGATIONEM PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE ET CONFERENTIAS EPISCOPALES QUOAD COOPERATIONEM MISSIONALEM

Consilia ad rationes fovendas

15. Ad fovendam cooperationem missionalem oportet mutuae rationes inter Congregationem pro Gentium Evangelizatione et Conferentias episcopales impensae sint, effectivae, dynamicae. Ideo omne inceptum rationis

laudatur et confirmatur, cum in se contineat securum incitamentum ad missionem.

Ad omnes igitur Conferentias episcopales necnon ad singulos Episcopos potestas extenditur — et facultas declaratur — congressionis informativae et praeparatoriae cum praecipuis responsalibus Congregationis pro Gentium Evangelizatione tempore visitationis « ad limina ». His in congressionibus anteferetur rebus omnibus ambitus cooperationis missionalis in suis variis partibus, una cum parte ad communionem et reciprocam caritatem pertinente inter Ecclesias.

Insuper, Praesides Commissionum episcopalium invitentur, praeterquam ad privatim visendam Congregationem pro Gentium Evangelizatione, etiam ad congressiones super cooperatione missionali, quas eadem Congregatio pro Gentium Evangelizatione statis diebus vel etiam per intervalla Romae aut aliis locis centralibus instruit. Ita delegati quoque a Congregatione pro Gentium Evangelizatione intersint congressionibus aut Nationis aut Continentis a Conferentiis episcopalibus apparatis de cooperatione missionali. Mutua congressionum missionalium participatio, cum experientiarum et inceptorum commercio, operi evangelizationis universalis Ecclesiae proderit et communionis atque cooperationis inter Sanctam Sedem Ecclesiasque particulares confirmat vincula, sicut etiam inter ipsas communitates ecclesiales, cooperationi missionali favens.

V. COOPERATIONIS MISSIONALIS FORMAE SPECIALES ET NOVAE

Vocationes missionales

16. Confirmatur ad praesentia pertinentes et validas esse vocationes speciales « ad vitam » in Institutis missionalibus. Peculiaris tamen cooperationis missionalis inter Ecclesias forma, qua aliqui sacerdotes dioecesani, « Fidei donum » appellati, et etiam aliqui religiosi ac religiosae, necnon laici, mittuntur ad aliquam circumscriptionem missionalem ut apostolatui operam dent, etiam ad breve tempus, apta existimatur et fovetur, ut magis ac magis crescat.[38] Ut haec forma communionis ecclesialis atque cooperationis efficiatur, praeter normarum canonicarum observantiam,[39] opportuna est Con-

[38] Cf. CONC. OECUM. VATICANUM II, Decr. *Ad gentes,* nn. 38 et 41; Decr. *Christus Dominus,* n. 6; IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 dec. 1990), nn. 68 e 85: *AAS* 83 (1991), pp 316, 331 s.

[39] Cf. *CIC,* cann.. 271 et 790.

gregationis pro Gentium Evangelizatione et propriae Conferentiae episcopalis consultatio.

Normae ad praestandam validitatem missionis personarum

17. In mittendis personis stabiliter ad territorium missionis, praeter condiciones quae sunt supra memoratas, hae teneantur normae.

a) Sacerdotes « Fidei donum », qui singulari modo ostendunt vinculum communionis inter Ecclesias, ex optimis seligantur et rite praeparatis ad peculiare servitium quod eos manet.[40] Praeterea, cum in perpetuum redeunt, accipiantur et apte in presbyterium atque in pastoralem actionem dioecesanam restituantur. Eorum experientia adhiberi poterit pro fovenda formatione missionali communitatis ecclesialis.

b) Sodales Institutorum vitae consecratae, contemplativae et activae, in actione missionali adhibeantur pro suo ipsorum charismate, praesertim ob testimonium quod praebere possunt de bonis evangelicis, quae Ecclesia fert, ob suam consecrationem Deo, ad eius gloriam et ad servitium hominum, ex exemplo Christi.[41]

c) Laici, viri ac mulieres, qui in baptismo suae responsabilitatis missionalis radicem habent, in actione missionali adhibeantur, proprie iis in condicionibus, in quibus homines cognoscere Christum non possunt nisi per eos et secundum eorum indolem saecularem, quae eos informat ad quaerendum Deum in rebus temporalibus tractandis atque secundum christiana principia dirigendis.[42]

« Coniunctiones gemellares » pro cooperatione missionali

18. Formae quoque cooperationis inter Ecclesias, quae « coniunctiones gemellares » denominantur, suam habent vim. Caveatur temen ne unico fine circumscribantur nec se a ceteris coeptibus generalibus cooperationis missionalis seiungant, praesertim a coeptibus Pontificiorum Operum Missionalium, ut servetur principium aequitatis in auxiliorum distributione. In exsequendo peculiari hoc cooperationis genere, praeterea, ne attentio neglegatur ad contextum ecclesialem, ad vitae rationem et ad dialogum inter

[40] Cf. IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 Dec. 1990), n. 68: *AAS* 83 (1991), p 316.

[41] Cf. *CIC,* cann. 574 § 2, 676, 783; IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 Dec. 1990), n. 69: *AAS* 83 (1991), p. 317s.

[42] Cf. *CIC,* can. 225.

auctoritates dioecesanas. Directio Nationalis Pontificiorum Operum Missionalium certior fiat coniunctionum gemellarium quae a dioecesibus et a paroeciis factae sunt.

Conclusiones praesentes quae interventus specificos postulant

19. Mundi et phaenomena nova, praecipue condiciones humanae mobilitati conexae, responsiones exigunt ad praesentia accommodatas quae non aliud sunt, nisi novae formae cooperationis missionalis. Hae considerandae sunt et praeparandae multa cum diligentia, praesertim in gradu locali. Definitiones attendantur atque accurate teneantur normae hic comprehensae, quas Suprema Auctoritas illustravit.[43]

a) Visitationes indolis internationalis, quae res sunt multitudinem contingens, una cum crescentibus migrationibus, postulant a christianis officium testificandi fidem et caritatem evangelicam simulque reverentem se gerendi rationem pro commercio culturali.

b) Lustrationes territoriorum missionis, eae quoque quae praeparantur ad laborem praestandum, potissimum coetuum iuvenilium, ut suum persequantur propositum maturandi experientiam directam rei missionalis, sensu evangelico comprobandae sunt, conficiendae et comitandae secundum consilium spirituale et pastorale, et expresse iungendae cum mandato missionali Episcopi. Ne parvipendatur, quod pertinet ad formationem missionalem, momentum experientiae directae sacerdotum ipsorumque Episcoporum.

c) Studii et laboris necessitates compellunt christianos recentium et antiquarum Ecclesiarum in territoria ubi Christianismus est minor pars, parum cognitus aut etiam impugnatur. His in casibus peculiaris cura coordinata postulatur a Conferentia episcopali,[44] ne hi fideles sibi ipsis relinquantur, tutelae religiosae expertes. Utile est, cum hoc phaenomenon est numero significans, etiam Ecclesias patrias intervenire, rationes ineundo cum illis Ecclesiis, quae earum recipiunt fideles.

d) In nationibus antiquae christianitatis, persaepe coetus formantur non christianorum quos non facile est cognoscere et numero aestimare, quique, praeter operam receptionis et progressionis humanae, prima evangelizatione indigent. Responsabilitas missionalis inde manans propria est, dissimili modo, Episcoporum, parochorum cum suis adiutoribus et communitate chri-

[43] Cf. IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 Dec. 1990), nn. 37 et 82: *AAS* 83 (1991), pp. 282-286, 328 s.

[44] Cf. *CIC*, can. 792.

stiana. Commissio episcopalis pro Missionibus, in coniunctione cum Pontificiis Operibus Missionalibus, animadvertere debet suum esse de his advenis curam adhibere, auxilio utendo missionariorum qui sint ab eorum natione re versi, sicut et personarum quae ad eandem nationem patriam pertineant. Praeter eiusmodi advenas non christianos, in Ecclesiis antiquis sunt etiam adulti locales non baptizati, quos prima evangelizatio neglegere non debet. Hae res implicatae sunt, provocatio sunt multis Ecclesiis, ac fines immutant missionis « ad gentes », sicut etiam cooperationis missionalis fines.

Cooperatio missionalis tamquam donorum inter Ecclesias permutatio

20. Maturescat oportet in omnibus conscientia « adlaborare missioni non dare dumtaxat significat, sed scire aequabiliter recipere: etenim cunctae particulares vocantur Ecclesiae, et iuniores et antiquiores, ut res concedant atque suscipiant pro universali missione nec earum quaevis in se circumcludi debet ».[45] Consistendum igitur est ut fideles « Ecclesiae universalitati se recludant omnemque simul rationem studii sui particularis et reliquorum exclusionis fugiant sicut et illam cogitationem, sibi sese sufficere ».[46] Insuper vehementer confirmandae sunt omnes Ecclesiae particulares ut servent « universalem fidei sensum, ceteris Ecclesiis spiritualia largiendo dona ab iisque percipiendo una cum pastoralibus experientiis primi nuntii atque evangelizationis et cum apostolicis operariis opibusque ».[47]

Congregatio pro Gentium Evangelizatione, ad eam quod attinet, huic favet permutationi inter Ecclesias, quae fructus est eius verae communionis universalis quam Christus providet Ecclesiae per praesentiam suam vivam et efficientem. Attamen utile esse putat admonere de quodam phaenomeno emergenti. Penuria vocationum in aliquibus Ecclesiis antiquae institutionis inducit ad quaerendos missionarios, in primis, sacerdotes et religiosas, in territoriis missionis, in locum aliorum auxiliorum, potissimum oeconomicorum. Inde sequitur ut recentes Ecclesiae, etsi optimo consilio, notabilibus viribus priventur, omnino necessariis ad earum vitam christianam et ad incrementum evangelizationis inter gentes magna ex parte non baptizatas. Cum communio ecclesialis favere debeat, non autem obstare missioni « ad gentes » et proventui recentium Ecclesiarum, necesse est haec agendi ratio contineatur et rursus ordinetur.

[45] IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 Dec. 1990), n. 85: *AAS* 83 (1991), p 331.

[46] *Ibid.*

[47] *Ibid.*

CONCLUSIO

Missio « ad gentes » pergit sine intermissione

21. «Ab apostolicis usque temporibus, indesinenter Ecclesiae missio intra universalem hominum familiam producitur. ... Ecclesia futuro quoque de tempore missionaria esse pergit, cum ad suam ipsius naturam spectet missionaria indoles ».[18] His certis verbis SS.mi Patris Ioannis Pauli II firmata, Congregatio pro Gentium Evangelizatione plenam servat existimationem totamque fiduciam iis qui, divina vocatione ac Ecclesiae mandato, alacriter missioni « ad gentes » perficiendae se dedunt, quae non solum valida manet, sed urgentior usque est. Ita quoque animum addit iis, qui sunt naviter implicati formis cooperationis missionalis multiplicibus, bene cognoscens quem fidei spiritum, generositatis et sacrificii illae requirant.

Normae et praescriptiones in hac Instructione contentae circumscribuntur certis rationibus practicis, spectantibus ad fovendam novam coordinationem variarum virium in cooperatione missionali, ante omnia inter Conferentias episcopales et Pontificia Opera Missionalia. Auctoritatem illae attribuunt positivae experientiae ultimis his annis effectae, et attentae sunt atque apertae ad incitationes ex praesentibus condicionibus proficiscentes, novas actiones novaque alendo incepta.

Congregatio pro Gentium Evangelizatione persuasum sibi habet iustum auxilium se ita dedisse renovationi ac novo impulsui cooperationis missionalis, quae semper est progressui missionis « ad gentes » praesidium necessarium. Fiduciae plena igitur materno patrocinio Mariae, Evangelizationis Stellae, eos omnes commendat, quotquot in Ecclesiam operam dant, ut salutis Christi nuntius usque ad ultimum terrae (cf. *Act* 1,8) perveniat.

Haec Instructio lineamenta continuat praecedentis *Quo aptius,* quam tamen, cum eius materiam prorsus refecerit, abrogat.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 10 mensis Septembris 1998, in audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, hanc Instructionem approbavit, iubens eandem publicari.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Gentium Evangelizatione, in festo Sanctae Theresiae a Iesu Infante, Missionum Patrona, die 1 Octobris anno 1998.

IOSEPHUS card. **TOMKO,** *Praefectus*

✠ Marcellus Zago, *Secretarius.*

[18] IOANNES PAULUS II, Litt. ap *Tertio millennio adveniente* (10 Nov. 1994), n. 57: *AAS* 87 (1995), p. 39 s.

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 10 Septembris 1998. — Metropolitanae Ecclesiae Bangalorensi Exc.mum P.D. Ignatium Paulum Pinto, hactenus Episcopum Shimogaënsem.

die 5 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Agraënsi Exc.mum P.D. Vincentium Michaelem Concessao, hactenus Episcopum titularem Masculitanum et archidioecesis Delhiensis Auxiliarem.

— Cathedrali Ecclesiae Nakhonsauanensi R.D. Ludovicum Chamniern Santisukniran, archidioecesis Tharensis et Nonsengensis operum pastoralium moderatorem.

— Cathedrali Ecclesiae Phucuongensi R.D. Petrum Tran Dinh Tu, templi cathedralis eiudem dioecesis curionem.

— Cathedrali Ecclesiae Rumbekensi R.P. Caesarem Mazzolari, M.C.C.I., hactenus Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » praefatae dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Sikassensi R.D. Ioannem Baptistam Tiama, Pontificalium Operum Missionalium in Malia Directorem nationalem.

— Cathedrali Ecclesiae Kannurensi, noviter erectae in Indica regione et suffraganeae archidioecesis Verapolitanae, R.D. Georgium Chakkalakal, e clero dioecesis Calicutensis ac Seminarii Mangalorensis Sancto Iosepho dicati professorem.

— Episcopum coadiutorem dioecesis Pusanensis Exc.mum R.D. Augustinum Cheong Myong-jo, hactenus Episcopum titularem Tubulbacensem et in Corea Ordinarium Militarem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Zabaènsi R.D. Antonium Pappusamy, Seminarii Tiruchirapolitani Sancto Paulo dicati Theologiae Moralis professorem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Madhuraiensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Pertusensi R.P. Liborium Ndumbukuti Nashenda, O.M.I., in districtu civili Namibiensis regionis vulgo dicto Owambo parochum, quem deputavit Auxiliarem Vindhoekensis.

die 28 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Antsirananensi Exc.mum P.D. Michaelem Malo, ex Instituto vulgo « del Prado » dicto, hactenus Episcopum Mahagianganum.

die 28 Novembris 1998. — Cathedrali Ecclesiae Arushaënsi Exc.mum P.D. Iosaphatum Ludovicum Lebulu, hactenus Episcopum Samensem.

— Cathedrali Ecclesiae Ambaniaënsi R.D. Oddonem Mariam Arsenium Razanakolona, Vicarium generalem Fianarantsoaënsem atque in Madagascaria Pontificalium Operum Missionalium Directorem nationalem.

— Cathedrali Ecclesiae Gorensi, noviter conditae in Ciadia et suffraganeae metropolitanae Ecclesiae Ndiamenanae, R.P. Rosarium Pium Ramolo, O.F.M., e Provincia Fodiensi, in praesens missionarium in Ciadia ibique parochum in oppido vulgo Barn atque Custodiae vulgo dictae Baibokum superiorem.

— Cathedrali Ecclesiae Laiensi, noviter statutae in Ciadia et suffraganeae metropolitanae Ecclesiae Ndiamenanae, R.P. Michaelem Angelum Sebastian Martínez, M.CC.I., in oppido vulgo Bediondo curionem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cerbalitanae R.D. Raphaelem Cob García, e clero dioecesis Burgensis, in praesens missionarium « Fidei donum » in Aequatoria ibique Seminarii minoris Puyoënsis « Santa Maria la Mayor » nuncupati rectorem, quem constituit Vicarium Apostolicum Puyoënsem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Aquaenovensi in Numidia R.P. Franciscum Xaverium Munera Correa, I.M.C., Provinciae Columbianae eiusdem Instituti religiosi vice-superiorem atque Seminarii theologici Bogotensis I.M.C. rectorem, quem constituit Vicarium Apostolicum Sancti Vincentii-Portus Leguizamensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Absasallensi R.D. Laurentium Pium Dorairaj, Philosophiae Seminarii « Sacri Cordis » in oppido vulgo Poonamallee professorem, quem deputavit Auxiliarem Madraspolitanum et Meliaporensem.

NOMINATIO

Peculiari dato decreto, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 17 Septembris 1998. — R.D. Raimundum Saeed, Vicarium generalem Multanensem, Administratorem Apostolicum « sede plena et ad nutum Sanctae Sedis » praefatae dioecesis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 8 Febbraio 1999, S.E. il Signor PAL TAR, Ambasciatore di Ungheria presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Venerdì, 12 Febbraio 1999, S.E. la Signora MARY MCALEESE, Presidente della Repubblica di Irlanda.

Venerdì, 19 Febbraio 1999, S.E. il Signor YASSER ARAFAT, Presidente dell'Autorità Palestinese.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

5 febbraio **1999.** S.E. mons. Paolo Romeo, Arcivescovo titolare di Vulturia, *Nunzio Apostolico in Canada*

11 » » S.E. mons. Beniamino Stella, Arcivescovo tit. di Midila, *Nunzio Apostolico in Colombia.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

12 gennaio **1999.** Il dott. Domenico Giani, *Vice Ispettore Vicario del Corpo di Vigilanza dello Stato della Città del Vaticano.*

» » » Il dott. Raul Bonarelli, *Vice Ispettore del Corpo di Vigilanza dello Stato della Città del Vaticano.*

14 » » Don George Palackapilly, S.D.B., *Consultore del Pontificio Consiglio della Cultura « ad quinquennium ».*

18 » » L'Em.mo Signor Cardinale Lucas Moreira Neves, Prefetto della Congregazione per i Vescovi, *Membro della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli.*

20 gennaio 1999. **L'avv. Giovanni Giacobbe,** *Promotore di Giustizia presso la Corte d'Appello dello Stato della Città del Vaticano, « ad quinquennium ».*

21 » » **S.E. mons. Giuseppe Pittau, Arcivescovo tit. di Castro di Sardegna, ed il prof. Gian Luigi Gigli,** *Membri del Pontificio Consiglio della Pastorale per gli Operatori Sanitari « ad quinquennium ».*

30 » » **I padri Nello Cipriani, O.S.A.; Giovanni Iammarone, O.F.M. Conv.; Maurizio Faggioni, O.F.M.,** *Consultori della Congregazione per la Dottrina della Fede « ad quinquennium ».*

» » » **I padri Prosper Grech, O.S.A., e Jesús Castellano Cervera, O.C.D.,** *Consultori della Congregazione per la Dottrina della Fede « in aliud quinquennium ».*

NECROLOGIO

26 gennaio 1999. **Mons. Patrick J. Casey, Vescovo em. di Brentwood** *(Gran Bretagna)*

27 » » **Mons. Settimio Ferrazzetta, Vescovo di Bissau** *(Guinea Bissau).*

3 febbraio » **Mons. Jan Czerniak, Vescovo tit. di Eudocia.**

4 » » **Mons. Benjamin Barrera y Reyes, Vescovo em. di Santa Ana** *(El Salvador).*

» » **Mons. Giovanni Semaan Issayi, Arcivescovo di Teheran dei Caldei** *(Iran).*

» » **Mons. Nicola Rotunno, Arciv. Vesc. em. di Sabina e Poggio Mirteto** *(Italia).*

12 » » **Mons. George E. Dion, Vescovo tit. di Arpaia.**

17 » » **Mons. Ramón Salas Valdés, Vescovo em. di Arica** *(Cile).*

» » **Mons. Joseph Elias Tawil, Arciv. Vesc. em. di Newton dei Greco-Melkiti** *(Stati Uniti d America).*

21 » » **Mons. Virgilio de Pauli, Vescovo di Campo Mouräo** *(Brasile)*

» » **Mons. André Dupont, Vescovo em. di Bobo-Dioulasso** *(Burkina Faso).*

Recens nuntiatum est Andream Duirat, episc. em. Buaken. die 29 m. Decembris 1998 et Iulium Harle, episc. tit. Arbanen. die 24 m. Ianuarii 1999 de vita decessisse.

An. et vol. XCI 7 Aprilis 1999 N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CAMAGUEYEN.

In Cuba nova Provincia ecclesiastica constituitur Camagueyensis, cuius metropolitana Ecclesia erit eadem sedes eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Maiori spirituali Christifidelium suorum bono studentes consulere, Venerabiles Fratres sacrorum Antistites Provinciae Ecclesiasticae Sancti Iacobi in Cuba, audita Conferentia Episcoporum ipsius Nationis, ab hac Apostolica Sede unanimo consensu postulaverunt ut, detractis quibusdam territoriis a memorata Provincia, quae civium multitudine numeroque dioecesium suffraganearum eminet, nova Provincia ecclesiastica constitueretur et simul dioecesis eiusdem nominis ad dignitatem archidioecesis eveheretur. Nos vero, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Beniamini Stella, Archiepiscopi titulo Midilensis et in eadem Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotas preces excipiendas esse putavimus. Apostolica Nostra potestate, quae sequuntur decernimus. Camagueyensem episcopalem sedem, seiunctam a metropolitico iure Ecclesiae Sancti Iacobi in Cuba, ad gradum archiepiscopalis metropolitanae Ecclesiae evehimus, omnibus iuribus datis ad normam iuris communis. Nova Provincia ecclesia-

stica efformetur metropolitana Ecclesia eiusdem nominis ac dioecesibus Caeci Abulensis, Centumfocensi et Sanctae Clarae, hactenus ad Provinciam ecclesiasticam Sancti Iacobi in Cuba pertinentibus. Camagueyensem pro tempore sacrorum Antistitem archiepiscopali dignitate augemus et gradu Metropolitae insignimus. Cuius sedem nunc ipsum Episcopum, Venerabilem Fratrem Adolfum Rodríguez Herrera, ad archiepiscopalem dignitatem et gradum Metropolitae promovemus, cunctis tributis iuribus impositisque obligationibus. Ad haec perficienda deputamus Venerabilem Fratrem Beniaminum Stella, quem diximus, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus peractae exsecutionis ad Congregationem pro Episcopis. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinta mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

83 ANGELUS card. **SODANO**
Secretarius Status

83 LUCAS card. **MOREIRA NEVES**
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 446.606

II

MONSLIBANEN.

Sinuensis Superioris praelatura territorialis ad dioecesis dignitatem attollitur, quae deinceps Monslibanensis appellabitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ministerium totius dominicae familiae regendae ab ipso Domino Nobis demandatum summa diligentia explicare contendimus, ut eiusdem salutaria beneficia et praecepta omnia loca contingant cunctosque efficaciter populos.

Idcirco Nos res disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. Quadoquidem igitur Venerabilis Frater Iulius Caesar Vidal Ortiz, Episcopus praelaturae territorialis Sinuensis Superioris, communi de suffragio Conferentiae Episcoporum Columbianae, plurima prece postulavit ut eadem praelatura ad dioecesis statum eveheretur, favente Venerabili Fratre Paulo Romeo, Archiepiscopo titulo Vulturiensi et in Columbia Apostolico Nuntio, ex consilio Congregationis pro Episcopis, haec statuimus et decernimus. Praelaturam territorialem Sinuensem Superiorem ad gradum dioecesis elevamus, iisdem servatis finibus qui antea ad ipsam pertinebant, quae deinde *Monslibanensis* vocabitur. Episcopalem porro sedem in urbe ponimus, quae populari loquela Montelibano appellatur, et ibidem templum, Sanctae Cruci Domini Nostri Iesu Christi dicatum, ad statum Cathedralis ecclesiae attollimus. Novae conditae dioecesis Episcopum Venerabilem Fratrem Iulium Caesarem Vidal Ortiz nominamus, qui antehac huius Sedis fuit Episcopus Praelatus. Cetera secundum leges canonicas temperentur. Ad haec omnia exsolvenda Apostolicum Nuntium quem supra memoravimus, deputamus, facta facultate quempiam virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis mittantur. Contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undetricesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

83 ANGELUS card. **SODANO**
Secretarius Status

83 LUCAS card. **MOREIRA NEVES**
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco ffl Plumbi
In Secret. Status tab., n. 446.007

III

TIBUENSIS

In Columbia nova conditur dioecesis Tibuensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quam provido quidem tunc Nos pastorali consilio in Columbia constituerimus Praelaturam territorialem Tibuensem, tantis videmus interea progressibus ad plenam vitae operaeque inibi catholicae maturitatem processisse tantoque simul christifidelium ipsorum et operum ecclesialium auctu crevisse ut iam mereri sibi pleno iure Nobis certiorem stabilioremque videatur condicionem inter totius orbis ecclesiasticas diciones. Nihil proinde satisfacere dubitamus votis ac precibus Venerabilis Fratris Iosephi de Iesu Quintero Diaz, Episcopi Praelati ipsius Tibuensis, qui nuperius petivit, adsentiente prorsus Conferentia Episcoporum Columbiae, ut sua tandem Praelatura ad dioecesis eveheretur dignitatem. Auditis interea Legato Nostro eandem apud nationem Paulo Romeo, Archiepiscopo titulo Vulturiensi atque Apostolico Nuntio in Columbia, necnon ipsa Congregatione pro Episcopis, haec quae continuo subsequuntur fieri iubemus et volumus. Commemoratam Praelaturam *Tibuensem* territorialem ad gradum promovemus ac iuridicialem dioecesis dignitatem, iisdem nimirum finibus adservatis quibus in praesentia circumscribitur tum etiam momine ecclesiastico et civili quo nunc ipsum appellatur. Episcopalem sedem novae huius communitatis in urbe « Tibú » constituimus ibidemque templum Deo ad honorem Sancti Aloisii Beltrán dicatum ad condicionem provehimus et Ecclesiae Cathedralis honorem. Eundem autem pastorem, qui Episcopus Praelatus illius dicionis fuit, Iosephum de Iesu Quintero Diaz primum dioecesi huic libentes sane praeficimus. Haec vero ad mentis Nostrae exsequenda decreta designamus pro tempore illic Nuntium Apostolicum in Columbia cui necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate statutum, officio adiecto ad Congregationem pro Episcopis germanum exemplum actus ipsius peractae exsecutionis remittendi. Contrariis quibusvis rebus nequaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undetricesimo mensis Decembris anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo et primo.

ffî **ANGELUS** card. **SODANO**
Secretarius Status

£B **LUCAS** card. **MOREIRA NEVES**
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 446.008

IV

GULUENSIS

In Uganda constituitur nova Provincia ecclesiastica Guluensis, cuius metropolitana Ecclesia erit Sedes eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quo aptius provideretur Evangelizationi operi in Uganda, optime fieri est visum si in eadem Natione, ubi hoc tempore exstat tantummodo una Provincia ecclesiastica Kampalaënsis, novae Provinciae ecclesiasticae constituerentur. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, re mature perpensa habitoque faventi voto Venerabilis Fratris Aloisii Robles Díaz, Archiepiscopi titulo Stephaniacensis atque in Uganda Apostolici Pronuntii, suaserunt Nobis ut ibidem inter alias Provincia ecclesiastica Guluensis nomine conderetur. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere Supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, sequentia decernimus. A metropolitana Ecclesia Kampalaënsi distrahimus dioeceses Aruaënsem, Guluensem, Lirensem et Nebbensem atque ex his efficimus Provinciam ecclesiasticam *Guluensem*, cuius Sedes princeps erit Ecclesia Guluensis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus datis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem ceteras, quas diximus, dioeceses uti suffraga-

neas. Insuper Venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Odama, hactenus Episcopum Nebbensem, vinculo solutum eiusdem Sedis, Archiepiscopum Metropolitam Guluensem renuntiamus, cunctis propriis factis iuribus impositisque obligationibus. Quae praescripsimus committimus perficienda memorato Venerabili Fratri Alosio Robles Díaz, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae exsecutionis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

83 ANGELUS card. **SODANO**
Secretarius Status

IOSEPHUS card. **TOMKO**
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Carmelus Nicolosi, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 446 865

V

MBARARAËNSIS

Nova Provincia ecclesiastica Mbararaënsis appellata intra fines Ugandae conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Diligentem sane curam continenter adhibemus ut Domini verbum quam amplissimam multitudinem attingat caram terram Africanam incolentem. Quam ob rem nunc aptare properamus ecclesiastica instituta ad eiusmodi propositum commodius assequendum. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. A metropolitana Ecclesia Kampalaënsi *Mbararaënsem* sedem separamus quam ad dignitatem archiepiscopalis metropolitanae Ecclesiae evehimus, privilegiis porro additis et obligationibus

iniunctis quae sacri canones praecipiunt. Novam Provinciam ecclesiasticam constituunt, veluti suffraganeae sedes, dioeceses Arcis Portal, Hoimana, Kabalena et Kasesensis, hucusque Ecclesiae metropolitanae Kampalaënsi subiectae. Venerabilem Fratrem Paulum K. Bakyenga, Episcopum hactenus Mbararaënsem, ad gradum Archiepiscopi Metropolitae Mbararaënsis promovemus secundum sacrorum canonum praescripta. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Aloisium Robles Díaz, Archiepiscopum titulo Stephaniacensem atque in Uganda Apostolicum Nuntium, legamus. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

68 **ANGELUS** card. **SODANO**
Secretarius Status

IOSEPHUS card. **TOMKO**
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Carmelus Nicolosi, *Protonot. Apost.*

Loco 68 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 446.866

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servo Dei Caietano Catanoso Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — De te dixit cor meum: « Exquirite faciem meam! ». Faciem tuam, Domine, exquiram (Ps 27[26], 8). Ecclesia, donis Spiritus Sancti ditata, nullo umquam tempore Dominum invocare cessat ut faciem suam ostendat illi. Diebus nostris pulcherrimum donum a Deo populo tributum habetur presbyter Caietanus Catanoso, qui multiplici in pastorali actuositate, ex arcano Dei consilio, eius percepit afflatum ut praestantiorem sollicitudinis suae partem insumeret in colenda Passione Christi Domini sub sublimi at miserando ductu vultus eius. Divina immer-

sus contemplatione repetere consueverat: « Sacra eius facies vita et fortitudo mea est». Servus Dei primam lucem vidit in pago vulgo Chorio di S. Lorenzo, ex archidioecesi Rheginensi, die xiv mensis Februarii anno MDCCCLXXix. Adulescentulus Seminarium archidioecesanum ingressus est ubi, annorum decursu, ecclesiasticum curriculum peregit, quo expleto presbyteratus ordine est insignitus die xx mensis Septembris anno MCMII. Assiduum exercuit paroeciale ministerium praesertim in Calabrica regione. Ubique fervens verbi Dei exstitit praeco et conscientias instituit ad Evangelium servandum. Singularem de vocationibus curam adhibuit. Expertus spirituum Moderator innumeras animas in scholam duxit Divini Magistri. Cappellanus apud sociata valetudinaria et carceres, pauperibus corpore et spiritu proxime adfuit omnibusque divinum tulit solamen. Sollicitum se praebuit de pueris derelictis totque periculis obnoxiis, nec non de pauperibus. Indefatigabilis Sacri Vultus missionarius, Christum secutus est usque ad perfectam sui immolationem, cum Ipso patiens et cum Ipso sese victimam expiationis offerens. Hoc peculiare charisma tradidit Congregationi ab ipso conditae, nempe « Sororibus Veronicis a Sacro Vultu ». Iisdem munus commisit expiandi iniurias in sanctitatem Dei illatas, atque mitigandi quemlibet hominum dolorem, quoniam Christi dolor est qui in pauperibus et in dolentibus hominibus Passionem suam producit. Hae quidem Sorores, ad humilem et sedulum famulatum hominibus a societate seiunctis praestandum, quos inter Christus est maxime derelictus et indigens, « se conferent illuc potissimum ubi alii renuunt illas legere spicas quae messores effugiunt », hac ratione significantes in Ecclesia illum alacrem Veronicae gestum. Servus Dei artum instituit vinculum inter intimiorem cum Domino communionem et studium apostolicum erga fratres. Pauper et humilis, patiens et mitis erga omnes, vultum semper hilarem ostendebat, quamvis voculas et difficultates subire debuerit; omnimodam exhibens oboedientiam Pastoribus, Ecclesiae filiali inserviit obsequio. Corde libero ab illecebris mundi, plenus fide, spe et caritate, atque sanctitatis fama circumdatus, die iv mensis Aprilis anno MCMLXIII in Domino sese obdormivit.

Causa beatificationis et canonizationis apud curiam archidioecesanam Rheginensem anno MCMLXXXII est incohata. Servatis de iure servandis, Nosmet Ipsi die III mensis Martii anno MCMXC declaravimus Servum Dei virtutes théologales, cardinales iisdemque adnexas heroum in gradum exercuisse. Apud eandem Sedem archidioecesanam inquisitio instructa est circa praesumptam miram sanationem, intercessioni eiusdem Servi Dei adscriptam.

Casus consueto examini subiectus est apud Congregationem de Causis Sanctorum cum voto favorabili et Nobis coram die xxv mensis Iunii anno MCMXCVI Decretum prodiit super miraculo. Quocirca statuimus ut ritus beatificationis Romae celebraretur die iv mensis Maii anno MCMXCVII.

Hodie igitur in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, intra Missarum sollemnia hanc protulimus formulam: Nos, vota Fratrum Nostrorum Ambrosii Echebarria Arroita, Episcopi Barbastrensis-Montisonensis, Victoris Aloisii Mondello, Archiepiscopi Rheginensis-Bovensis, Iulii Nicolini, Episcopi Cremonensis, et Iulii Henrici Prado Bolaños, Episcopi Pastopolitani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Florentinus Asensio Barroso, Zephyrinus Giménez Malla, Caietanus Catanoso, Henricus Rebuschini et Maria ab Incarnatione Rosal Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Florentini Asensio Barroso die nona Augusti; Zephyrini Giménez Malla die quarta Maii; Caietani Catanoso die vicesima Septembris; Henrici Rebuschini die decima Maii; et Mariae ab Incarnatione Rosai die vicesima septima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae vero decrevimus firma esse volumus ac rata in perpetuum, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv mensis Maii, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

De mandato Summi Pontificis
£8 **ANGELUS** card. **SODANO**

Loco £8 Sigilli
In Secret Status tab., n, 434,587

II

Venerabili Dei Servo Dominico Lentini Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere » (Io 15, 5).

Iesu Christo, quemadmodum viti palmes, coniunctus, presbyter Dominicus Lentini Patrem sanctitatis vita operibusque glorificavit atque, pastorali

caritate imflammatus, assidue in vinea Domini operatus est, in animarum salutem et in regnum Dei proferendum operam suam efficaciter conferendo. Dignus hic Ecclesiae minister Lauriae, in praesenti dioecesi Tursiensi-Lacunerulonensi, parentibus Macario Lentini ac Rosalia Vitarella die xx mensis Novembris anno MDCCLXX ortus est, atque eodem die Baptismatis fonte auctoratus est. A piis parentibus religiose institutus, inde a pueritia cum Deo ambulavit. xiv annos natus clericale vestimentum induit atque in natali pago permanens, illius loci iuvantibus nonnullis sacerdotibus, aliquam doctrinam adeptus est. Exinde Seminarium ingressus est dioecesis Policastrensis, ubi praestantem spiritalem institutionem consecutus est. Sacro Presbyteratus ordine anno MDCCXCIII auctus, studiose pro Christi grege adlaboravit, numquam humilem ac saepe aerumnosam Lauriensis populi vitam deserens. Dei verbo strenue inservivit, quod efficacibus ac solidis concionibus diffundebat, quas ipse corroborabat testificatione perfectae fidelitatis erga Evangelium sacerdotaliaque officia cum peccatorum conversionem et oboedientiam legum Dei Ecclesiaeque promptiorem obtineret. Ipsos gratiae effectus pia Missae celebratione et Paenitentiae sacramenti ministratione consequebatur, in qua quotidie multum diei insumebat. Sacerdos cordis indivisi fidelitatem erga Deum cum fidelitate erga hominem coniungere valuit atque singulis diebus misericordiae opera tum corporalia tum spiritalia prompto animo exercuit. Ut proximum indigentem iuvaret omnes aerumnas patiebatur atque ut peccatorum conversionem a Deo impetraret, precationes et obsecraciones agebat necnon suum corpus gravibus paenitentiis et castigationibus afficiebat. Dilectione vera ac actuosa permotus, religiosam culturalemque iuvenum institutionem coluit atque illorum haud pauci sacerdotes vel aestimati artifices, Dei Servo etiam docente, facti sunt. Socialem pacem et familiarum concordiam curavit. Ut suam pastoralem actionem sustineret, quae interdum censura affecta est, iuverunt cum Deo coniunctio, Eucharistia, assidua precatio, in Virginem Mariam pietas, boni Pastoris imitatio. Dei superiorumque ecclesiasticorum voluntati, parens atque a mundi vanitatibus, honoribus, commoditatibus, divitiis seiunctus, instrumentum solatii pacisque in Dei manibus fuit, qui eum peculiaribus donis ac lata sanctitatis fama ditavit, quae post mortem etiam mansit, quae die xxv mensis Februarii anno MDCCCXXVIII accidit.

Beatificationis Canonizationisque Causa ab Episcopo Policastrensi incollata est anno MDCCCXLII. His a legibus illius temporis statutis completis, Decessor Noster Pius XI, die xxvn mensis Ianuarii anno MCMXXXV, declara-

vit Dei Servum heroum in modum théologales, cardinales hisque coniunctas virtutes exercuisse. Nuper apud archiepiscopalem Curiam Neapolitanam, de quadam mira sanatione inquisitio instituta est, Dei Servi intercessioni adscripta. Eventu illo suetibus vestigationibus apud Congregationem de Causis Sanctorum favorabili cum exitu excusso, Nobis coram die xvn mensis Decembris anno MCMXCVI decretum super miro prodiit. Statuimus ergo ut beatificationis ritus Romae die xn mensis Octobris anno MCMXCVII celebraretur. Hodie igitur in Petriano Foro, inter sacra hanc elocuti sumus Canonizationis formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Iesu Humberti Velázquez Garay, Episcopi Celayensis, Brunonis Foresti, Archiepiscopi-Episcopi Brixiensis, Rochi Talucci, Episcopi Tursiensis-Lacunerulonensis, Alberti Houssiau, Episcopi Leodiensis, et Richardi Fontana, Archiepiscopi Spoletani-Nursini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Elias a Succursu Nieves, Ioannes Baptista Piamarta, Dominicus Lentini, Maria a Iesu Aemilia d'Oultremont vidua van der Linden d'Hooghvorst et Maria Teresia Fasce Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Eliae a Succursu Nieves die decima Octobris; Ioannis Baptistae Piamarta die vicesima sexta Aprilis; Dominici Lentini die vicesima quinta Februarii; Mariae a Iesu Aemiliae d'Oultremont viduae van der Lindem d'Hooghvorst die undecima Octobris; et Mariae Teresiae Fasce die duodecima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus volumus et nunc et in posterum vim habere, contrariis minime efficientibus rebus quibuslibet.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodecimo mensis Octobris anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo septimo, Pontificatus Nostri undevicesimo.

De mandato Summi Pontificis
£8 ANGELUS card. **SODANO**

Loco 68 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 429.527

III

Venerabili Servae Dei Mariae Teresiae Fasce caelitum Beatarum adduntur honores.

IOANNES PAULUS PP II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae» (Sap 7,7). Probissime quidem hae voces Venerabili Servae Dei Mariae Teresiae Fasce congruunt ut quae Evangelio ipso illustrata Christi contemplando vixerit mysterio misericordiaeque explendis operibus; unde etiam praeclarum evasit viventis concordiae exemplar Dei inter contemplationem pro hominibusque ministerium, pauperibus praesertim et humilibus ac dolentibus. Mulier haec, cui maternitatis fuit gratia spiritalis, Torriliae est orta intra Derthonensis dicionis fines die xxvii mensis Decembris anno MDCCCLXXXI Ianuae adolevit ubi humanum eius atque christianum ingenium maturavit iam inde a pueritia ad Christi sequelam. Humilitatis simplicitatisque exemplis permota Sanctae Ritae de Cassia in sanctarum album anno MCM relatae vestigia premere ipsius decrevit proindeque anno MCMVI Ordinem intravit Sancti Augustini egentium apud Cassiae coenobium in Umbriae montibus abditum. Novitiatu rite emenso simplicia nuncupavit vota atque anno MCMXII sollemnia. Brevi dein tempore tantos fecit tamque manifestos in virtutibus progressus ut eadem illi monastica communitas primum magistrae noviciarum concrediderit munus, tum vicariae ac postremo ipsius Antistitae. Viginti septem exin continuos annos prudens et animosa sapiens et amabilis coenobium gubernavit, ubi etiam ut mutua caritas et disciplinae observantia reflorescerent ea perfecit necnon laetitia in Deo laudando officioque Ecclesiae salutifero adiuvando per silentium ac recessum. Spiritalem noviciarum monacharumque institutionem perdiligenter curavit quas cohortationibus et instructionibus ac exemplo potissimum angustam per sanctimoniae comitabatur semitam. Tamquam matrem iuvenes illam ac senes diligebant, valentes bene et aegrotantes, quam etiam uti magistram sectabantur, venerabantur sanctam. Quandoquidem vero caritatis ignis magis exardescebat eius in animo, spiritale Sanctae Ritae lumen quoquoversus dispergere gestiebat atque in omnibus cupiditatem accendere illius imitandi. Quapropter cultum ipsius enucleavit ea ac scriptionibus suis eandem venerationem varias per terrarum regiones disseminavit. Novum curavit eius in honoren sacellum condendum quod sollicitudines illi importavit ac labores. Orbarum pauperum puellula-

rum asylum excitavit, quarum curam custodiamque plane gerebat maternam. Animum iis suum pandebat quotquot adiumentis tum spiritus tum etiam indigebant corporis, unde religiosam suam domum portum quendam constituit solacii. Omni sua vita Deum lauda vit omnibusque item viribus famulata proximis suis est. Eius praeterea fidem spem caritatem liturgia sacra ac verbum Dei, precatio atque contemplatio, aerumnae ac sacrificia nenon Regulae votorumque custodia cotidiana aiebant, quas quidem virtutes summo possidebat modo ipsa in communibusque vitae adiunctis et extraordinariis est testificata. Christi germana sponsa et Ritae sanctae aemula, complures annos pertulit corporis sui dolores magna animi aequitate: « nemo enim potest transire mare huius saeculi, nisi cruce Christi portatus » (S. Augustinus, In Ioannis Evang. tract., 2, 2). Meritis cumulata ac sanctitatis celebri stabilique aestimatione obviam Domino suo accensa sua cum lampade occucurrit die xviu mensis Ianuarii anno MCMXXXXVII. Cuius beatificationis ac canonizationis causa ab Antistite Nursino anno MCMLVIII est incollata. Nos deinde ipsi mensis Iulii die undecimo anno MCMXCV hanc Dei Servam heroum ritu ediximus virtutes factitavisse tum théologales tum cardinales et iisque adnexas. Duobus autem post annis, die mensis Iulii septimo, Nostro in conspectu decretum prodiit super miraculo eiusdem Venerabilis deprecationi adscripto. Ritum igitur Beatificationis die xn mensis Octobris anno MCMXCVII statuimus, hoc videlicet die ipso, cum interminata coram pastorum sacrorum fideliumque multitudine, vitae eius cursu breviter enarrato recensitisque virtutibus illustribusque operibus hanc studiosi Nos ac laeti prorsus formulam pronuntiavimus:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Iesu Humberti Velázquez Garay, Episcopi Celayensis, Brunonis Foresti, Archiepiscopi-Episcopi Brixiensis, Rochi Talucci, Episcopi Tursiensis-Lacunerulonensis, Alberti Houssiau, Episcopi Leodiensis, et Richardi Fontana, Archiepiscopi Spoletani-Nursini, necnon plurimorum aliorun Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Elias a Succursu Nieves, Ioannes Baptista Piamarta, Dominicus Lentini, Maria a Iesu Aemilia d'Oultremont vidua van der Linden d'Hooghvorst et Maria Teresia Fasce Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Eliae a Succursu Nieves die undecima Octobris; Ioannis Baptistae Piamarta die vicesima sexta Aprilis; Dominici Lentini die vicesima quinta Februarii; Mariae a Iesu Aemiliae d'Oultremont viduae van der Linden d'Hooghvorst die

undecima Octobris; et Mariae Teresiae Fasce die duodecima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nihil profecto dubitantes quin nova haec inter Ecclesiae Beatas fulgida persona plurimum suo lumine atque exemplo ad fidei evangelicae progressum et actionis catholicae augmentum intra et extra vitae consecratae fines sit collatura, has Litteras proferri iussimus quas valere posthac sempiternum volumus rebus quibuslibet haudquaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xii mensis Octobris anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

De mandato Summi Pontificis
£8 ANGELUS card. **SODANO**

Loco 83 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 429.872

IV

Venerabili servae Dei Mariae Maravillas a Iesu caelitum Beatarum adduntur honores.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Qui enim Deum vere et sincere diligunt, omne quod bonum est amant quaerunt ambiunt promovent laudant; bonis quoque semper se iungunt favent auxiliantur: ad haec aliud non amant quam veritatem et ea quae amorem merentur » (Sanctae Teresiae a Iesu, *Via Perfectionis,* cap. **XL**, n. 3).

Institutio quidem vitae ipsa Venerabilis Servae Dei Mariae Maravillas a Iesu, nomine videlicet baptizatae Mariae Maravillas Pidal y Chico de Guzmán, haec fuit Sanctae Teresiae a Iesu doctrina, quae Dei penitus respondit amori eaque universa quae fuerunt bona dilexit. Matriti est die quarto mensis Novembris anno millesimo octingentesimo nonagésimo primo ex christifidelibus orta Aloisio Pidal y Mon, Hispaniae nempe ad Sanctam Sedem legato atque Christina Chico de Guzmán y Muñoz, permagnae parentibus pietatis a quibus Deum ac pauperes amare didicit tum etiam suae congruenter vivere fidei et christianas factitare virtutes. Excalceatas inter Carmelitides sese apud coenobium El Escorial anno millesimo nongentesimo

undevicesimo recepit annisque post quinque sollemnia nuncupavit vota temporalibus in aedibus oppidi Getafe, unde inceptionem sedulo sectabatur aedificationemque monasterii El Cerro de los Angeles iuxta Sacratissimi Cordis monumentum cuius anno millesimo nongentesimo vicesimo sexto est Antistita electa. Eodem dein munere auctoritatis aliis pariter in domibus totam ferme per vitae religiosae suae diuturnitatem perfuncta est, dum decem praeterea etiam in India condidit interim monasteria, quae singula nimirum voluit sensu paenitentiae adfectuque signarentur atque sui ipsius oblationis necnon sacri studii secessus: quae propria omnia Teresianae erant reformationis. Religiosas usque incitabat suas sorores contemplativam ad vitam ac fervorem apostolicum, tum etiam ad regulae constitutionumque observationem. Dei ipsius flagrabat amore atque hominum salvandorum studio, cum orationi principatum adsignabat suique oblationi et charismati Teresiano. Subsidiis undique receptis utebatur ut complura beneficentiae et caritatis sustentarentur opera at in primis coenobiis subveniretur et sacerdotibus, seminariis et religiosis inceptis utque laicorum humana ac christiana adiuvaretur promotio. Animi semper intuitum in Deo defigebat cum eoque per sacramenta precationemque fovebat coniunctionem. Sua Antistitae explens munia prae se mansuetudinem ferebat, in correptionibus iustitiam, bonorum in terrestrium administratione sapientiam, in ecclesiasticis auctoritatibus sectandis observans quoddam obsequium. Tam rebus in secundis quam adversis divinae sese adcommodabat voluntati, dum eodem tempore Eucharistiam sacram et Sacratissimum Iesu Cor percolebat perinde ac ipsam dominam matrem Iesu Mariam Carmelique caelites. Saeviente intestino Hispanorum bello aequitatem servabat animi suamque parata usque erat ad fidelitatem erga Evangelium et Ecclesiam fuso etiam sanguine testandam. Die tandem undecimo mensis Decembris obiit apud La Aldehuela anno millesimo nongentesimo septuagesimo quarto pie quidem suspirans: « Quantopere Carmelitanam emori iuvat! ». Qua vivens etiam circumdabatur sanctimoniae aestimatione, post mortem nihilo persistebat minus quin immo continenter increscebat. Quapropter Matritensis ipse Archiepiscopus beatificationis causam et canonizationis anno millesimo nongentesimo octogesimo instituit. Nos autem ipsi die decimo septimo mensis Decembris anno millesimo nongentesimo nonagésimo sexto hanc Dei Servam virtutes christianas heroum in modum exercuisse pronuntiavimus deindeque nobis pariter coram decretum illud die duodevicesimo mensis Decembris anno MCMXCVII prodiit quo aliquod huius eiusdem Venerabilis precibus miraculum

est adscriptum. Quas ob causas constituimus ut Romae sollemnis beatificationis ritus die decimo mensis Maii perageretur, hoc nempe ipso die, cum inter eucharistica sollemnia libentissimi quidem subsequentem protulimus eius beatificationis formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Antonii Mariae Cardinalis Rouco Várela, Archiepiscopi Matritensis, Nasrallah Petri Cardinalis Sfeir, Patriarchae Antiocheni Maronitarum, et Francisci Iosephi Pérez y Fernández-Golfín, Episcopi Xetafensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Rita a Virgine Perdolente Pujalte Sánchez et Francisca a Corde Iesu Aldea Araujo, Maria Gabriela Hinojosa et Sociae, Maria Sagrario a Sancto Aloisio Gonzaga, Elvira Moragas Cantarero, Nimatullacius Iosephus Kassab Al-Hardini et Maria Maravillas a Iesu Pidal y Chico de Guzmán Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali: Ritae a Virgine Perdolente Pujalte Sánchez et Franciscae a Corde Iesu Aldea Araujo, die vicesima Iulii; Mariae Gabrielae Hinojosa et Sociarum, die decima octava Novembris; Mariae Sagrario a Sancto Aloisio Gonzaga Elvirae Moragas Cantarero, die decima sexta Augusti; Nimatullacii Iosephi Kassab Al-Hardini, die decima quarta Decembris; et Mariae Maravillas a Iesu Pidal y Chico de Guzmán, die undecima Decembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Omnia ideo quae hic decrevimus volumus tam nunc quam totum in posterum tempus suam habere vim effectumque, rebus quibuslibet contrariis haudquaquam obsistentibus.

Exoptamus praeterea nimirum huius ut Beatae caelitis opera alliciant varia exemplaque vehementius etiam christifideles impellant ad Evangelii Christi audacter arripiendam terrestres inter condiciones viam, ut talibus praeeuntibus iam spectatis Catholicae vitae fautoribus fieri certius possit ut inde latius eius usque prolatetur Regnum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x mensis Maii anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De mandato Summi Pontificis

£8 ANGELUS card. **SODANO**

Loco 83 Sigilli

In Secret Status tab., n. 434.586

V

Imago beatae Mariae Virginis titulo « Nostra Seynora de Canòlich » invocatae, quae pie colitur in Andorrae Principatus oppido « Sant Julia de Loria » intra fines Urgellensis dioecesis posito, pretioso diademate redimiri sinitur « nomine et auctoritate Summi Pontificis ».

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — In antiquo oppido Andorrae Principatus « Sant Julia de Loria » intra fines dioecesis Urgellensis posito, iam a saeculo XIII a fidelibus loci finitimarumque regionum peculiari veneratione colitur decora imago beatae Mariae Virginis titulo « Nostra Seynora de Canòlich » invocatae, quae pie servatur in paroeciali templo. Qua re, cum Venerabilis Frater Ioannes Martí Alanis, Episcopus Urgellensis, litteris die xv mensis Octobris hoc anno datis, cleri populique sui vota excipiens, petiverit ut imago, quam diximus, Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate posset redimiri, Nos, paternae benevolentiae signum dilectis filiis illius communitatis cupientes praebere, eius Pastoris precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. E sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica potestate concedimus ut imago Beatae Mariae Virginis titulo « Nostra Seynora de Canòlich » invocatae Nostro nomine et auctoritate, pretioso diademate possit coronari secundum probatum liturgicum ritum. Quod faustum ac felix sit atque in spirituale cedat bonum eorum omnium, qui eandem imaginem venerantur. Denique volumus ut hae Litterae Nostrae accurate serventur suosque plenos effectus legitime consequantur, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Decembris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

De mandato Summi Pontificis
& ANGELUS card. SODANO

Loco ® Sigilli
In Secret. Status tab., n. 445.527

VI

Templum paroeciale Sanctae Mariae a Victoria, quod in urbe « San Vito dei Normanni » intra fines archiepiscopalis sedis Brundusinae-Ostunensis exstat, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter sacras aedes antiquae et insignis archiepiscopalis sedis Brundusinae-Ostunensis merito celebratur paroeciale templum Sanctae Mariae a Victoria in urbe « S. Vito dei Normanni » saeculo **XVI** aedificatum in votum factum a Brundusinis reducibus e notissima navali pugna Naupacti, ubi impensa pietate colitur imago Dei Genetricis « Nicopeia » nuncupatae, quam Nos Ipsi in Petriano huiusce almae Urbis foro anno MCMXCVI coronavimus. Quod quidem, archipresbyterali dignitate insignitum, constat esse sive fontem praecipuum christianae et civilis vitae eiusdem communitatis, ex qua orti sunt haud pauci ecclesiastici religiosique viri ac mulieres, sive actuosum centrum operum pastoralium et caritatis. Qua re, cum Venerabilis Frater Septimius Todisco, Archiepiscopus memoratae Ecclesiae, litteris die x huiusce mensis Decembris datis, etiam cleri populique sui nomine postulaverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum istis dilectis Apuliae filiis cupientes praebere, eius Pastoris precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum templum paroeciale, quod diximus, ad Basilicae minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris » die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx mensis Decembris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

De mandato Summi Pontificis

£8 ANGELUS card. **SODANO**

Loco 68 Sigilli

In Secret. Status tab., n 445.944

HOMILIA

In beatificatione quattuor servorum Dei.*

1. « Ascoltino gli umili e si rallegrino ».[1]

Il terzo e ultimo anno di preparazione al Giubileo è segnato da un pellegrinaggio spirituale verso il Padre: ciascuno è invitato ad un cammino di autentica conversione, che comporta l'abbandono del male e la positiva scelta del bene. Alla soglia ormai dell'Anno 2000, è nostro dovere tutelare con impegno rinnovato la dignità dei poveri e degli emarginati e riconoscere concretamente i diritti di coloro che non hanno diritti. Eleviamo insieme la voce per loro, vivendo in pienezza la missione che Cristo ha affidato ai suoi discepoli! È questo lo spirito del Giubileo ormai imminente.[15]

Gesù ci ha insegnato a chiamare Dio col nome di Padre, *Abba,* rivelandoci così la profondità del nostro rapporto con lui. Infinito ed eterno è il suo amore per ogni persona e per tutta l'umanità. Eloquenti sono in proposito le parole di Dio nel libro del profeta Isaia:

« Si dimentica forse una donna del suo bambino,
così da non commuoversi per il figlio del suo seno?
Anche se ci fosse una donna che si dimenticasse,
io invece non ti dimenticherò mai.
Ecco, io ti ho disegnato
sulle palme delle mie mani» (49, 15-16).

Accettiamo l'invito a condividere questo amore! In esso sta il segreto del rispetto dei diritti di ogni donna e di ogni uomo. L'alba del nuovo millennio ci troverà così più disposti a costruire insieme la pace.

Dal Vaticano, 8 dicembre dell'anno 1998.

IOANNES PAULUS PP. II

[14] GIOVANNI PAOLO II, *Angelus* del 27 settembre 1998: *L'Osservatore Romano,* 28-29 settembre 1998, p. 5.

[15] Cfr GIOVANNI PAOLO II, Lett. ap. *Tertio millennio adveniente* (10 novembre 1994), 49-51: *AAS* 87 (1995), 35-36.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

BONONIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ferdinandi Mariae Baccilieri sacerdotis archidioecesis Bononiensis e III Ordine Servorum Mariae parochi fundatoris Sororum Servarum Mariae de Galeatia (1821-1893)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Ferdinandus Maria Baccilieri in pago *Campodoso* natus est, intra fines posito archidioecesis Mutinensis, pridie idus Maias anno 1821. Paucis annis post Ordinationem sacerdotalem parochus nominatus est ecclesiae Sanctae Mariae de Galeatia in vico vernáculo sermone appellato *Galeazza P epoli,* ad archidioecesim Bononiensem pertinente. Suum explevit officium summa cum caritate pastorali et ob suas eminentes virtutes sacerdotales exemplo fuit gregi. Pro docenda christiana doctrina, puellis pauperibus instituendis et assiduitate aegrotis egentibus praebenda Congregationem condidit Sororum Servarum Mariae de Galeatia. Fama sanctitatis clarus obiit die 13 mensis Iulii anno 1893.

Beatificationis et canonizationis Causa inita est anno 1927 apud Curiam Bononiensem. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 26 mensis Aprilis anno 1995 edixit Servum Dei heroum in modum coluisse virtutes théologales, cardinales hisque adnexas.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio Congregationis de Causis Sanctorum coniectam permisit miram sanationem, intercessioni attributam eiusdem Servi Dei. Casus spectat ad Sororem Mariam Vincentiam Bovina, Instituti Servarum Mariae de Galeatia sodalem, quae die 23 mensis Decembris anno 1969, cum alta febri laboraret, doloribus fossam iliacam dextram afficientibus, nausea aliisque incommoditatibus, deducta est in Mutinense valetudinarium cum suspicione abdominis acuti. Subsequens sectio chirurgica magnam massam ostendit, quae ultimos orbes intestini tenuis

conglobabat, mesenterium, caecum. Cum impossibile putaretur penitus sectionem chirurgieam facere, aliqui orbes exsoluti sunt et effecta ileotransversoctomia ad finem derivativum ut adventiciae intestini occlusioni occurreretur. Non est biopsis facta, quandoquidem certa habebatur diagnosis de neoplasmate. Decreta a medicis prognosi infausta quoad vitam, sorores sodales aegrotae coeperunt intercessionem invocare Patris sui Conditoris ut a Deo sanationem obtinerent Sororis Mariae Vincentiae. Ad finem adducta altera novem dierum supplicatione, nempe die 22 mensis Ianuarii anno 1970, aegrota animadvertit se esse ex improviso sanatam et re vera sanata erat. Deinceps repertum est sanationem perfectam fuisse et stabilem.

Apud Curiam Bononiensem, annis 1991-1992, instructa est inquisitio dioecesana, quae est rite probata a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 17 mensis Februarii anno 1993 promulgato. Collegium Medicorum Dicasterii in sessione die 10 mensis Iulii anno 1997 habita, absentia considerata explorationis histologicae, una voce diagnosim fecit de « gravi pathologia irrepente ileo-caecali, mesenterica et retroperitonaeali; abdomine acuto intercurrente » conclusit que affirmando sanationem celerrimam fuisse, perfectam, mansuram et inexplicabilem « quoad modum ». Die 20 mensis Februarii anno 1998 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et die 16 insequentis mensis Iunii Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano. Et in utroque Coetu, sive Consultorum, sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Ferdinando Maria Baccilieri, Sacerdote archidioecesis Bononiensis, e III Ordine Servorum Mariae, Parocho, Fundatore Sororum Servarum Mariae de Galeatia, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione Sororis Mariae Vincentiae Bovina a « grave patologia infiltrativa ileocecale, mesenterica e retroperitoneale, addome acuto intercorrente ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. **es.**

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BRIXIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Magdalenae Girelli christifidelis laicae ex Instituto Filiarum a S. Angela Merici (1838-1923)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Iesus solus, Iesus semper, Iesus per omnia ».

His verbis Magdalena Girelli fidem suam suumque amorem erga Dominum Iesum significavit, qui centrum vitae eius fuit atque multiplicis et impensae eius navitatis lumen, quam, una cum sorore Elisabetha, pro Ecclesia et pro societate explicavit.

Mulier haec sapiens et generosa, primogenita coniugum Iosephi Girelli et Camillae Moro, Brixiae orta est die 3 mensis Octobris anno 1838 et postridie in ecclesia paroeciali Sanctae Agathae sacramentum Baptismi accepit ac nomina Magdalenam Iuliani. A parentibus, qui non solum nobilitate ortus, verum etiam bonis spiritualibus atque materialibus abundabant, est cum docilitate et fructu accurata humana christianaque educatione instructa. In pueritia discipula fuit Instituti civitatis suae et, deinde, in oppido vulgo denominato *Castiglione delle Stiviere,* Collegii Virginum a Iesu, a tribus nepotibus conditi Sancti Aloisii Gonzaga puellis nobilibus educandis. Firma cum voluntate in studia incubuit inque indolis suae formationem, dum spiritum suum nutriebat bonorum librorum lectione, inter quos libri De Imitatione Christi, qui utilis ei fuit socius in vitae itinere.

Anno 1856 in familiam rediit statuitque mundi inania fugere, coniunctionem cum Domino colere ac proximis prodesse per apostolatum boni exempli, institutionem catecheticam et opera caritatis. In hoc consilio exsequendo sociam invenit atque fidelem adiutricem sororem Elisabetham,

quacum habitationem communicavit, proposita et labores pro Regno Dei. Hoc modo, invicem se sustinentes, ambae veluti duae lucernae factae sunt, quae Christi lucem operum suorum sanctitate effuderunt.

Officio adiuvandi parentes aegrotos prohibita est quominus Institutum vitae consecratae ingrederetur, non autem quominus privatim votum castitatis sumeret. Domini amore illecta, eius voluntati oboedivit, paenitentiam exercuit atque castigationem sui, corrigendis vitiis suis se dedidit. Desidiam fugit atque mediocritatem, perfectionem christianam appetivit et, ut Deum glorificaret, sine intermissione in vinea Domini laboravit (cf. *Mt* 20, 1). Doctrinam christianam docuit in ecclesia Sanctae Mariae a Pace et, cum sorore Elisabetha aliisque puellis, Societatem Sanctae Ursulae reiecit, quod etiam Institutum Filiarum a Sancta Angela Merici appellabatur, ineunte XIX saeculo sublatum. Die 29 mensis Iulii anno 1866 professionem fecit. Inde ab initio Antistita electa, suo est magna cum alacritate, prudentia et humilitate munere iuncta, ad sodalium bonum spirituale contendens. Quo efficaciorem suam redderet industriam, nisa est Regulam diligenter observare, cor maternum habere erga filias suas spirituales et laboribus non parcere neque incommodis obeundis pro eis. Mense Decembri anno 1866 scripsit: « Voveo fore ut numquam cum quoquam conquerar de qualibet molestia, incommodo, opera, aerumna, contentione quae sit mihi sustinenda ad regendas, propagandas, conservandas, consolandas, excusandas, corrigendas et adiuvandas sodales Societatis, quas ego habere debeo vere sacrum depositum mihi a Bonitate tua, Sponse mi divine, concreditum, cuius a me rigidam reposées rationem ». Etiam eius sedulitatis gratia Societas ad diversa loca se extendit, ad quae Serva Dei se conferebat ut sustineret et consilia daret.

Caritate erga proximos impulsa, multa alia opera et incepta est aggressa, quae populi et praesertim iuventutis progressioni humanae atque christianae profuerunt. Et, exemplum secuta mulierum quae Iesu et Apostolis assidebant (cf. *Lc* 8, 3), ingens familiae patrimonium proximis indigentibus suppeditavit atque Dei et Ecclesiae causae, electa sibi vitae ratione simplici ac paupere. E rebus gestis quas iniit vel adiuvit commemoramus oratorium femininum, quod tecto recepit una cum circulo et Bibliotheca pro puellis discipulis. Superstitem vitam et auctum tutata est cuiusdam domus pro puellis operariis, quae erat in oppido *Marone* aedificata. Pecunia iuvit Domum Salutis Moro, a matertera conditam ac magnam domum dono dedit Ordini Hospitalario Sancti Ioannis de Deo, quae postea est pro valetudi-

nario adhibita. Orphanotrophium femininum administravit oppidi sermone patrio appellati *Pontevico* et asylum puerorum instituit in pago vulgo dicto *Borgo Poncarale.* Societatem Femininam Operariam condidit et beato Ioanni Baptistae Piamarta est opitulata in Opere conficiendo Parvorum Artificum. Domum, a propinquo hereditate acceptam, in locum contulit exercitationum spiritualium pro Instituto a Sancta Angela Merici. Favit et pecuniam suppeditavit consociationi Praeceptorum Catholicorum et servavit, quod ad oeconomiam spectabat, commentarium « Scuola Italiana Moderna » appellatum, a venerabili servo Dei Iosepho Tovini constitutum. Iussu episcopi dioecesani Hieronymi Verzeri, curam adhibuit de Pia Congregatione a Perpetua Adoratione Iesu in Sacramento et Ecclesiis pauperibus. Ex more onera, labores ac meritum horum negotiorum cum sorore Elisabetha communicavit.

Cum magni ac generosi animi esset, multa alia opera caritatis fecit erga pauperes, aegrotos, familias in difficultatibus versantes, seminarii alumnos egenos, familiae suae ministros, animas Purgatorii. Patienter toleravit personas molestas et importunas et iis ignovit, quotquot eam offenderunt. Semper prudenter egit in operibus misericordiae faciendis spiritualis et corporalis, in suis Institutis regendis, in patrimonio familiae administrando, in instrumentis eligendis pro sua et aliorum sanctificatione. Iusta fuit erga Deum et proximos, fortis in difficultatibus, in bono perseverans, a rebus terrenis aliena, amans laboris, occultationis, continentiae, casta, oboediens auctoritatibus ecclesiasticis et civilibus, confessario P. Iosepho Chiarini et sorori, cui iuncta erat voto mutuae oboedientiae.

Fundamentum tam convenientis ac solidi aedificii spiritualis Serva Dei fidem egit in Iesu Christo, quae vere robur fuit eius vitae atque apostolatus. In divinam revelationem credidit et in magisterium Ecclesiae et locuta est seseque gessit omnino iis, quae credebat, congruenter. Sollicita fuit de fide dilatanda, de animarum salute, de conversione peccatorum deque evangelizanda societate aetatis suae. Quo docilius usque ac validius instrumentum fieret in manibus Dei in imitatione Christi est continenter progressa et artam coluit cum Eo coniunctionem per piam divinorum mysteriorum celebrationis participationem, ferventem pietatem erga Cor Iesu atque Eucharistiam, quam cotidie recipiebat ac per diem diuturne adorabat. Precatio, aeternarum veritatum meditatio, pietas marialis cibus fuerunt animae eius. Non suis facultatibus est confisa neque multis suis bonis terrenis, sed Providentiae auxilio. Etiam extremis vitae annis, Elisabetha mortua, cum

alacritate fungi perrexit munere suo pro Societate aliisque operibus catholicis. Patienter tulit senectutis infirmitates et cordis morbum, qui eam est usque ad ultimum vitae diem secutus. Dominus eam arcessivit diluculo nonarum Martiarum anno 1923.

Serva Dei in vita est magni existimata ob suas eminentes virtutes a populo, clero, Episcopis dioecesanis Romanisque Pontificibus. In eius exsequiis ac subsecutis annis fama sanctitatis multimodis est patefacta; quapropter Episcopus Brixiensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per celebratum Processum ordinarium informativum (annis 1944-1962). Deinde apud eandem Curiam est Processus Cognitionalis instructus ad normam M. P. « Sanctitas clarior »: quorum Processuum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 23 mensis Aprilis anno 1982 promulgato. Perfecta Positione, disceptatum est ex consuetudine an Serva Dei virtutes explicavisset heroum in modum. Postridie calendas Iunias anno 1998 actus est, exitu cum prospero, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, et Patres Cardinales atque Episcopi, in Sessione Ordinaria calendis Iuliis secutis habita, Causae Ponente Eminentissimo Cardinale D. Simone Lourdusamy, edixerunt servam Dei Magdalenam Girelli heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Magdalenae Girelli, Christifidelis Laicae, ex Instituto Filiarum a S. Angela Merici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

£8 **IOSEPHUS SARAIVA MARTINS**
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BRIXIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Elisabethae Girelli christifidelis laicae ex Instituto Filiarum a S. Angela Merici (1839-1919)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum quia sine me nihil potestis facere » *(Io* 15, 5).

Cum Christo, vite vera, coniuncta, Elisabetha Girelli copiosos edidit fructus sanctitatis, lumen effudit Evangelii in societate sui temporis et, una cum sorore maiore natu Magdalena, efficaciter operam dedit Regni Dei incremento.

Haec mulier, caritate dives, Brixiae orta est die 26 mensis Septembris anno 1839 a Iosepho Girelli et Camilla Moro, nobilibus locupletamus atque sinceram vitam christianam agentibus. Biduo post ortum sacramentum accepit Baptismi, nominibus captis Maria Elisabetha. A pueritia vivacem ostendit intellegentiam, generositatem, amorem pauperum, sed etiam indolem aerem et inquietam, quae est duriter patientiam periclitata familiarium atque educatorum. Alumna fuit Instituti cuius rector pater erat eius, ac postea Collegii Virginum a Iesu in oppido sermone vernáculo denominato *Castiglione delle Stiviere* (in Mantuana provincia sito). Ibi firma cum voluntate ac perseverantia indolem suam nimiumque sui amorem didicit continere, bonos exitus consequens et facultatem crebrius accedendi ad Eucharistiam. Gratiae Dei facta est docilior, artam cum Domino coniunctionem confirmavit, castigationem sui exercuit atque paenitentiam et alacriter in via perfectionis christianae ambulavit.

Ad familiam reversa, obtinuit ut privatim votum castitatis perpetuae sumeret et cum sorore Magdalena, quacum usque ad mortem habitavit, vitam duxit umbratilem, laboribus domesticis ac religionibus dedita. Quam seria essent et ardentia eius sanctitatis proposita « methodus vitae » confirmat, quam ipsa sibi dedit duodevicesimo die natali suo, cum, inter cetera, scripsit: « Non aliam a Deo quaero mercedem, nisi ut semper in eius caritate crescam; quapropter, etsi a me ei esset sine dulcedine serviendum, sine consolatione, sine praemio, firmiter consilium non mutarem; namque mihi videtur Deo servire illumque amare dulcedo per se esse infinita, cuiuslibet doloris consolatio, cuiusvis laboris praemium cordi amanti ».

Assiduitatem praebuit parentibus in morbis quibus sunt ad mortem deducti, et ob ipsum patris longum morbum Institutum vitae consecratae ingredi non potuit, uti statuerat. Attamen, post multam deliberationem multamque deprecationem atque moderatore spiritus suadente, intellexit suam vocationem esse in saeculo manere, ut educationem curaret christianam iuventutis operibusque caritatis se dederet pro pauperibus et aegrotis. Episcopo dioecesano approbante, Brixiae cum fideli sorore aliisque puellis Societatem Sanctae Ursulae seu Filiarum a Sancta Angela Merici restituit; die 26 mensis Iulii anno 1866, professione facta, Magistrae novitiarum munus suscepit, cum Magdalena Antistita esset electa. Ad mortem usque cum alacritate et prudentia suum explevit officium, in puellarum formationem incumbens, quibus exemplo fuit vitae atque fidelitatis Regulae. Libenter auxilium morale, spiritale et oeconomicum praebuit multis aliis personis et Institutis quae ad illam adibant. Pio Operi a Sancta Dorothea et institutioni doctrinae christianae in ecclesia S. Mariae a Pace consuluit; Sodalicio paroeciali a Sanctissimo Sacramento praefuit ac Piae Consociationi Adorationis Sanctissimi Sacramenti et Ecclesiarum pauperum. Serva Dei et eius soror, invicem proposito communicantes, labores quoque pro Regno Christi communicaverunt. In cavaedio domus suae Oratorium femininum pro paroecia Sanctae Agathae aperuerunt; pecuniam constituendis Institutis locorum *Marone* et *Carpenedolo* pro puellis operariis suppeditaverunt; Brixiae convictum aperuerunt pro puellis discipulis; sumptus susceperunt clinicae therapeuticae ab earum matertera conditae; Ordini Hospitalario S. Ioannis de Deo magnam donaverunt domum, pro valetudinario adhibitam; Societatem Operariam Femininam instituerunt et beato Ioanni Baptistae Piamarta sunt opitulatae in Opere Parvorum Artificum efficiendo; ex fautricibus et adiutricibus fuerunt Consociationis Praeceptorum Catholicorum et, quodam difficultatis tempore, onus nummarium susceperunt commentarii, quod « Scuola Italiana Moderna » inscribebatur, cui Ven. Servus Dei Iosephus Tovini moderabatur. Ardore mota diffusionis fidei et salutis animarum Serva Dei multos scripsit libros et opuscula naturae religiosae et institutoriae, quorum nonnulla pluries edita sunt. His et aliis industriis Christi caritatem effudit et factis progressioni humanae atque christianae favit classium humiliorum et egentiorum populi.

Multiplicem suum apostolatum impensa animavit vita interiore, quam participatione Missae cotidianae aluit, meditatione, precatione, pietate eucharistica, religione erga Sacrum Cor Iesu, Virginem Mariam, Angelum Cus-

todem. Coniunctionem cum Domino coluit, diligenter leges eius servavit et per omnia nisa est ad eius voluntatem se conformare. Amore Domini incensa atque proximorum, se abnegavit, peccatum fugit, mundi rebus inanibus renuntiavit, apte talenta est fenerata caelitus accepta, multis suis facultatibus usa est ut pauperes et Ecclesiae opera adiuvaret. Magnam nutrivit Providentiae fiduciam, prudens fuit in consiliis dandis inque apostolicis negotiis, iusta erga Deum et proximos, temperans, fortis in difficultatibus, perseverans in bono faciendo. Casta fuit in verbis et in moribus, auctoritatibus ecclesiasticis et civilibus oboediens necnon confessario atque sorori maiori natu, exemplari modo humilitatem explicavit, tacita indignitates excepit, de eventibus prosperis non est gloriata nec de existimatione quam apud Summos Pontifices collegerat. Occultationis studiosa fuit et sub indole laeta atque effusa aegritudines spiritus celavit, diuturnis ariditatis temporibus spectati et purificati.

Prorsus voluntati Dei obsequens, patienter acerbum morbum toleravit quo est afflicta duos ferme annos et quo est mortua die 21 mensis Ianuarii anno 1919.

Sanctitatis fama, qua in vita claruit, palam patefacta est in exsequiis et est subsequentibus annis aucta; quapropter Episcopus Brixiensis Causam iniit beatificationis et canonizationis per celebrationem Processus ordinarii informativi (annis 1944-1951), quem secutus est Processus cognitionalis, apud eandem Curiam instructus ad normam M. P. « Sanctitas clarior ». Horum Processuum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum postridie calendas Apriles anno 1982 promulgatum. Perfecta Positione, disceptatum est an Serva Dei virtutes heroum in modum exercuisset. Die 27 mensis Februarii anno 1998 actus est, prospero cum eventu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 16 mensis Iunii habita eodem anno, Causae Ponente Eminentissimo Cardinale Francisco Arinze, agnoverunt Servam Dei Elisabetham Girelli virtutes heroum more coluisse théologales, cardinales iisque adnexas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis Con-

gregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Elisabethae Girelli, Christifidelis laicae, ex Instituto Filiarum a S. Angela Merici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

& IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. « S .

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

GANDAVENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Eduardi Ioannis Mariae Poppe sacerdotis dioecesis Gandavensis (1890-1924)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Eduardus Ioannes Maria Poppe in Belgio natus est die 18 mensis Decembris anno 1890, in pago vulgo appellato Temse, intra fines sito dioecesis Gandavensis. Post Ordinationem sacerdotalem, anno 1916 acceptam, in ministerium pastorale paroeciale se contulit, deinde cappellanus fuit domus Sororum in loco lingua vernacula denominato *Moerzeke* et demum magister spiritus alumnorum Seminarii Belgarum qui stipendia merebant. Quamvis incommoda esset valetudine, fervoris plenus impensum atque fructuosum explicavit apostolatum, de catechesi scripsit, liturgia et spiritualitate sacerdotali; vitae interioris fuit praeter solitum florentis et splendidae. Fama sanctitatis clarus die 10 mensis Iunii anno 1924 mortem obiit.

Beatificationis et canonizationis Causa initium cepit apud Curiam Gandavensem anno 1946. Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 30 mensis Iunii anno 1986, declaravit servum Dei Eduardum Ioannem Mariam Poppe heroum more virtutes théologales, cardinales et iis adnexas observavisse.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio ad Congregationis de Causis Sanctorum arbitrium rettulit coniectam miram sanationem puellae Godelievae Delanghe, anno ortae 1924, quae novem menses nata tussi continua coepit laborare. Morbus tres annos perduravit et in suo cursu multas ostendit vices mutationis in deterius cum vehementibus accessionibus tussis ad curationes eius temporis resistentibus, ad quas febris accedebat. Cum therapiae inefficaces essent, prognosis admodum suspensa fuit quoad vitam et quoad valetudinem. At pater Godelievae ad divinum confugit auxilium per servi Dei Eduardi Ioannis Mariae Poppe intercessionem, cuius sepulcrum die 9 mensis Aprilis anno 1928 exorans adiit. Postero die parvula aegrota universam sensit salutarem mutationem; febris desierat et thoracis inspectio protulit in lucem pulmonea vulnera omnino decessisse et prorsus in sede pulmonea restitutionem ad integrum factam esse.

De coniecta mira sanatione apud Curiam Gandavensem anno 1996 est inquisitio dioecesana instructa, quae a Congregatione de Causis Sanctorum probata est decreto die 28 mensis Iunii eodem anno promulgato. Dicasterii Collegium Medicorum in sessione postridie nonas Novembres anno 1997 habita agnovit sanationem a gravi affectione pulmonea chronica generis inflammatorii sudatorii subitam fuisse, completam, duraturam et ex scientia inexplicabilem. Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris die 31 mensis Martii est actus anno 1998, et Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium atque Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Mario Rizzi, Archiepiscopo titulari Balneoregiensi, calendis Iuliis eodem anno. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Eduardo Ioanne Maria Poppe, sacerdote dioecesis Gandavensis, videlicet de subita, completa ac duratura sanatione puellae Godelievae Delanghe a « grave affezione polmonare cronica a tipo infiammatorio essudativo ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

68 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MARIBORENSIS seu LAVANTINA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Antonii Martini Slomsek episcopi Lavantini (1800-1862)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Antonius Martinus Slomsek natus est die 26 mensis Novembris anno 1800 in oppido vernáculo sermone appellato *Ponikva,* intra fines posito dioecesis Lavantinae, nunc Mariborensis, in Slovenia. Ordinatus sacerdos, magno cum ardore ministerium pastorale explicavit diversis in paroeciis. Anno 1846 Episcopus Lavantinus nominatus est. Vitae sanctitate effulsit ac fervore in pastoralibus negotiis pro clero, laicis, familiis, libris catholicis edendis, oecumenismo et cultura Slovena. Sedem episcopalem in urbem traduxit vulgo denominatam *Maribor* et Seminarium maius condidit. Meritis ornatus et fama sanctitatis clarus, pie mortem obiit die 24 mensis Septembris anno 1862.

Beatificationis et canonizationis Causa inchoata est anno 1930 apud Curiam Mariborensem. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 13 mensis Maii anno 1996 declaravit servum Dei Antonium Martinum Slomsek heroum in modum virtutes théologales, cardinales et iis adnexas coluisse.

Deinceps Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit coniectam miram sanationem sacerdotis Priderici Kolsek, qui inde a mense Aprili anni 1988 affectus est lymphogranulomate ab Hodgkin denominato, quod tertiam erat aptum phasim. Ad Institutum oncologicum Aemonense missus, est interim curatus chemiotherapia et radiotherapia. Eodem anno diabetae melliti morbum contraxit et est etiam levi cerebri ictu affectus. Post aliquod regressionis tempus, mense Iunio anno 1992 recidiva

facta est morbi lymphomatosi et deinde contagio spirabilis utriusque lateris apparuit. Propter curationem chemiotherapicam demutationes toxicae medullae prodierunt. In valetudinarium urbis vulgo Celje vocatae deductus die 24 mensis Octobris anno 1992 diagnosis facta est de arteriae asperae pulmonumque inflammatione utriusque lateris, septichaemia, neuropathia et diabeta mellito. Aegrotus subiectus est ventilationi artifíciosae, therapia symptomatica est curatus et antibiotica sunt ei subministrata. Condiciones eius in peiorem partem mutatae sunt continuo, adeo ut primis mensis Novembris diebus medici prognosim dixerint infaustam quoad vitam in breve tempus.

Interea populus urbis Celje, ubi aegrotus abbas-parochus erat, cum aliquibus sacerdotibus invocare coeperat Servum Dei Antonium Martinum Slomsek ut sanationem obtineret sacerdotis sui, qui nonis Novembribus respirationem obviam resumpsit et celerrime a gravissimis implicationibus sanatus est, quibus in vitae discrimen adductus erat, permanente tamen morbo primigenio.

De sanatione, statim mira putata, apud Curiam Mariborensem anno 1996 celebrata est Inquisitio dioecesana, quae est a Congregatione de Causis Sanctorum probata per decretum die 20 mensis Iunii eodem anno promulgato. Dicasterii Collegium Medicorum casum inspexit pridie nonas Februarias anno 1997 coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II atque Cardinalibus et Episcopis, qui Sessioni Plenariae intererant Congregationis, conclusitque sanationem a gravissimis implicationibus rapidissimam fuisse, completam, stabilem et pro scientia inexplicabilem. Die 20 mensis Iunii subsequentis actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, qui antequam ad conclusiones ultimas perveniretur, explicationes postulaverunt de diagnosi Collegii Medicorum; quod in Sessione postridie nonas Novembres habita eodem anno respondit. Die mensis Maii 5 anno 1998 iterum actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et calendis Iuliis superioribus acta est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Henrico Schwery. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Antonio Martino Sloměek, Episcopo Lavantino, videlicet de rapidissima, completa ac stabili sanatione sacerdotis Friderici Kolsek a « gravissime complicanze tossi-infettive secondarie a grave neuropatia (a seguito di compromissione midollare da chemioterapia citostatica e da radioterapia) in paziente con Morbo di Hodgkin al 3° stadio; broncopolmonite bilaterale diffusa con sindrome da insufficienza respiratoria (ARDS); shock settico; disfunzione multiorgano; coma e danno neurologico centrale e periferico, in soggetto diabetico ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

83 **IOSEPHUS SARAIVA MARTINS**
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MEXICANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Perdolentis a Vulnere Lateris Iesu (in saec.: Mariae Dolores Medina Zepeda) fundatricis congregationis filiarum Passionis et Mortis Iesu Christi et Dolorum Mariae Sanctissimae (1860-1925)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Cuiuslibet instituti sodales, Deum prae omnibus et unice quaerentes, contemplationem, qua Ei mente et corde adhaereant, cum amore apostolico, quo operi Redemptionis adsociari Regnumque Dei dilatare nitantur, coniungant oportet » (CONC. OECUM. VAT. II, Decretum de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis,* 5).

Dei amorem contemplans, mundo Christi passione et morte praesertim declaratum, Mater Maria Perdolens a Vulnere Lateris Iesu vitam impendit pro Domino proque animabus et, corde caritatis pleno, in christianam in-

cubuit puellarum educationem, pro quibus novum condidit Institutum religiosum.

Serva Dei, coniugum Michaelis Medina Centellas et Mariae a Guadalupe Zepeda primogenita, die 3 mensis Aprilis anno 1860 Mexicopoli orta est. Paucis diebus post ortum, baptizata est nomine capto Maria Perdolente; anno 1869 primam Communionem accepit ac deinde Confirmationem. A familia est accurata intellectus educatione imbuta, necnon sociali et spirituali. Duodeviginti annos nata, morbo astricta in lecto iacere, biographiam legit Sancti Pauli a Cruce, conditoris Congregationis Passionis Iesu Christi, unde animae suae magna traxit beneficia. Etenim in ea appetitio confirmata est antea concepta, se Domino consecrandi. Eodem anno Providentia effecit ut obviam se daret Patri Didaco Alberici, C.P., qui eam adiuvit ad Dei vocationi respondendum, ad institutionis apostolatum ineundum adque fundamenta agenda Congregationis Filiarum Passionis et Mortis Iesu Christi et Dolorum Mariae Sanctissimae, christianae educationi iuventutis femininae deditae. Anno 1894 Serva Dei, cum statuisset percurrere artam et laetam consiliorum evangelicorum viam atque aedificando Regno Christi operam dare, vitam communem inchoavit una cum duabus iuvenibus mulieribus, quae cum ea proposita et curas apostolicas communicabant. Constitutionibus conscribendis consuluit P. Didacus, qui novae communitati Regulam et Constitutiones Patrum Congregationis Passionis Iesu Christi accommodavit. Die 23 mensis Augusti anno 1895 Archiepiscopus Mexicanus Constitutiones primum approbavit; postridie calendas Februarias subsequentis anni Serva Dei habitum religiosum accepit et nomen Mariam Perdolentem a Vulnere Lateris Iesu et anno 1896 professionem religiosam fecit. Beatus Bernardus Maria Silvestrelli, Congregationis Passionis Iesu Christi Superior generalis, novum Institutum Patrum Passionistarum Familiae aggregavit anno 1901.

Serva Dei inde ab initio rectrix fuit fortis et firma suae Congregationis. Non ei defuerunt difficultates et aerumnae varias ob causas, inter quas necopinata et suprema P. Didaci proiectio in Italiam, sua incommoda valetudo, nonnullae opinionum discrepantiae in Congregatione. In primo Capitulo generali, anno 1908 acto, non est ei officium Antistitae generalis continuatum, sed officium est ei commissum Vicariae generalis. Collegio exstruendo se dedidit Tolucensi (anno 1909) et primis Instituti domibus in insula Cuba aperiendis, ubi aliquantum temporis mansit (ab anno 1916 ad annum 1919). In Capitulo anno 1919 celebrato est iterum Antistita gene-

ralis electa et idem factum est in Capitulo anno 1925 peracto. Munere suo est cum sedulitate iuncta, gloriam Dei quaerens et bonum Ecclesiae, Sororum atque animarum. In via perfectionis christianae ambulavit, indolem suam continuit ardentem et imperiosam, Dei voluntatem cum diligentia et perseverantia fecit atque exemplari modo virtutes exercuit.

Lumen vitae eius fides fuit et vis eius apostolatus caritas. Firmiter credidit in divinam revelationem inque magisterium Ecclesiae et locuta est atque egit secundum ea in quae credebat. Suae consecrationi votisque religiosis fidelis fuit, peccatum fugit, coniunctionem artam cum Domino coluit per pietatem eucharisticam, Passionis Iesu meditationem, religionem erga Mariam Virginem Perdolentem, pium Viae Crucis exercitium et precationem assiduam. Ecclesiam dilexit obsequensque fuit Hierarchiae. In difficultatibus, in indignitatibus, in calumniis, in infirmitatibus, in Dei manibus serena quievit, in quo totam suam spem collocaverat. Interiore cum pace angustias obiit quae in Mexico a persecutione adversus Ecclesiam proficiscebantur. Et cum paupertas impediebat quominus Sorores necessaria haberent, ea illis suggerebat: « Hoc dicite Iesu ». Amor in Deum fuit solum in quo caritas erga proximos germinavit et floruit, quibus se ipsam donavit fideliter explens munus quod ei Providentia crediderat. Erga Sorores, discipulas, pauperes, aegrotos opera misericordiae corporalis et spiritualis est exsecuta cumque simplicitate dolores et gaudia aliorum communicabat. Illis ignovit, qui ei causa fuerunt molestiarum atque omne partium studium vitavit. Dei et hominum iura verità est, grata fuit in benefactores et a rebus terrenis aliena. Prudenter rationes magis idoneas elegit ad propriam sanctificationem ac sapienter suam gubernavit Congregationem operaque apostolica explicavit, in consilium adhibitis, si hoc opus erat, personis fiducia dignis. Humilitatem egregie observavit.

Mense Novembri ineunte anni 1925 Servae Dei valetudo, quae numquam commoda fuerat, ex improviso in peiorem partem versa est et mutata, cum erat in communitate Tlalpanensi. Patienter suam pertulit infirmitatem et, plene voluntati Dei obsequens, pie ad mortem se praeparavit, quae die 16 secuti mensis Decembris contigit.

Fama sanctitatis, qua in vita claruit, palam apparuit in exsequiis et subsequentibus annis est dilatata. Beatificationis et canonizationis Causa ab Archiepiscopo Mexicano inita est per celebratum, annis 1984-1988, Processum dioecesanum, qui est a Congregatione de Causis Sanctorum probatus decreto die 4 mensis Maii anno 1990 promulgato. Positione ad finem adduc-

ta, ex more disceptatum est an Serva Dei virtutes heroum in modum coluisset. Die 9 mensis Decembris anno 1997 actus est, prospero cum eventu, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinceps atque Episcopi, in Sessione Ordinaria die 16 mensis Iunii habita anno 1998, Causae Ponente Excellentissimo Domino Petro Georgio Silvano Nesti, C. P., Archiepiscopo emerito Camerinensi-Sancti Severini in Piceno, fassi sunt Servam Dei Mariam Perdolentem a Vulnere Lateris Iesu virtutes théologales, cardinales iisque adnexas ut heroas addecet explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Perdolentis a Vulnere Lateris Iesu (in saec.: Mariae Dolores Medina Zepeda), Fundatricis Congregationis Filiarum Passionis et Mortis Iesu Christi et Dolorum Mariae Sanctissimae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus PP. II per Apostolicas sub plumbo litteras iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 18 Februarii 1999. — Metropolitanae Ecclesiae Edmontonensi Archiepiscopum Coadiutorem, Exc.mum P.D. Thomam C. Collins, hactenus Episcopum Sancti Pauli in Alberta.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thizicensi R.D. Ludovicum Dicaire, e clero archidioecesis Marianopolitanae ibique Vicarium episcopalem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Natchitochensi R.D. Antonium Mancini, e clero archidioecesis Marianopolitanae ibique Vicarium generalem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Iacobi de Estero Exc.mum P.D. Ioannem Carolum Maccarone, hactenus Episcopum Chascomusensem.

die 20 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Eporediensi Exc.mum P.D. Henricum Miglio, hactenus Episcopum Ecclesiensem.

die 22 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Tabborensi R.D. Antonium Mariam Bessa Taipa, e clero Portugallensi, ibique rectorem Seminarii maioris atque Pro-Vicarium generalem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tamallumensi R.D. Antonium Iosephum Cavaco Carrilho, e clero Pharaonensi, moderatorem secretariae Conferentiae episcopalis Lusitanae, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Portugallensis.

die 24 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Calocensi-Kecskemetensi Archiepiscopum Coadiutorem R.D. Blasium Babel, Seminarii maioris Vaciensis dioecesis rectorem.

die 24 Februarii 1999. — Cathedrali Ecclesiae Iataiensi Exc.mum P.D. Michaelem Petrum Mundo, hactenus Episcopum titularem Blandanum et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Itumbiarensi R.D. Antonium Linum Silva Dinis, e clero archidioecesis Bracarensis, hactenus in dioecesi Septemlacunensi Seminarii S. Pio X dicati rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Fluminis Albi Superioris R.P. Ioachimum Pertiñez Fernandez, Ordinis Augustinianorum Recollectorum sodalem, hactenus huius Ordinis Delegatum provincialem pro America Centrali.

die 1 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Catalaunensi R.D. Gilbertum Louis, hactenus Vicarium generalem Sagiensem.

die 2 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Afufeniensi, R.D. Fridericum Franciscum Campbell, e clero archidioecesis Paulopolitanae et Minneapolitanae, hactenus curionem paroeciae Sancto Iosepho dicatae, in civitate vulgo « West Saint Paul »; quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 3 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Florestensi R.D. Hadrianum Ciocca Vasino, e clero dioecesis Novariensis, hactenus in eadem dioecesi Florestensi operum pastoralium moderatorem.

— Cathedrali Ecclesiae Caraguatatubensi, noviter erectae, R.P. Ferdinandum Mason, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium sodalem, hactenus huius Ordinis Definitorem provincialem in Brasilia.

die 6 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Marci Argentanensi-Scaleensi Exc.mum P.D. Dominicum Crusso, hactenus Episcopum Oppidensem-Palmarum.

— Cathedrali Ecclesiae Anagninae-Alatrinae R.D. Franciscum Lambiasi, e clero dioecesis Latinensis-Terracinensis-Setinae-Privernensis, hactenus rectorem Pontificii Seminarii Leoniani in civitate Anagnina.

die 8 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Timminsensi, Exc.mum P.D. Paulum Marchand, S.M.M., hactenus Episcopum titularem Tamatensem et Auxiliarem archidioecesis Ottaviensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Venerdì, 5 Marzo 1999, S.E. il signor ASKAR A. AKAYEV, **Presidente della Repubblica del Kyrgyzstan.**

Giovedì, 11 Marzo 1999, S.E. il signor SEYYD MOHAMMAD KHATAMI, **Presidente della Repubblica Islamica dell'Iran.**

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

8 febbraio 1999. L'ili.mo e Rev.mo mons. Paolo De Nicolò, Reggente della Prefettura della Casa Pontificia, *Protonotarii) Apostolico « de numero participantium ».*

27 » » S.E. mons. Piero Biggio, Arcivescovo tit. di Otricoli, *Nunzio Apostolico in Danimarca, Finlandia, Islanda, Norvegia e Svezia.*

3 marzo » S.E. mons. Pier Luigi Celata, Arcivescovo tit. di Doclea, *Nunzio Apostolico in Belgio e in Lussemburgo.*

6 » » S.E. mons. Luis Robles Díaz, Arcivescovo tit. di Stefaniaco, *Nunzio Apostolico in Cuba.*

Con Biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

1 marzo 1999. Il dott. cav. Ambrogio M. Piazzoni, *Vice Prefetto della Biblioteca Apostolica Vaticana.*

NECROLOGIO

2 marzo 1999. Mons. Francisco Nunes Teixeira, Vescovo em. di Quelimane *(Mozambico).*

» » » Mons. Angelo R. Verardo, Vescovo em. di Ventimiglia-San Remo *(Italia).*

3 » » Mons. Gian Vincenzo Moreni, Arcivescovo tit. di Torre di Mauritania.

Recens nuntiatum est Ignatium Abdon Khalife, archiep. episc. em. Sancti Maronis Sydneyensis Maronitarum die 7 m. Iulii a. 1998 de vita decessisse.

An. et vol. XCI 5 Maii 1999 N. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

TORORŐENSIS

In Uganda constituitur nova Provincia ecclesiastica Tororoënsis, cuius metropolitana Ecclesia erit Sedes eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum Ecclesia catholica in Ugandae finibus haud parva cepisset incrementa, quae pastorali Episcoporum cura consociata cum alacri opera cleri videntur posse in futurum augeri, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque eorum quorum interest votis, censuit nuper ut in eadem Natione nova Provincia ecclesiastica constitueretur. Nos vero pro summo Apostolico, quo fungimur, munere de superna totius Dominici gregis salute solliciti, talem sententiam ratam habemus ac sequentia decernimus. A metropolitana Ecclesia Kampalaënsi distrahimus dioeceses Gingianam, Kotidoënsem, Morotoënsem, Sorotiensem et Tororoënsem atque ex his efficimus Provinciam ecclesiasticam *Tororoënsem,* cuius Sedes princeps erit Ecclesia Tororoënsis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus datis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem ceteras, quas diximus, dioeceses uti suffraganeas. Insuper Venerabilem Fratrem Iacobum Odongo, hactenus Episco-

pum Tororoënsem, Archiepiscopum Metropolitam Tororoënsem renuntiamus, cunctis propriis factis iuribus impositisque obligationibus. Quae praescripsimus committimus perficienda Venerabili Fratri Aloisio Robles Díaz, Archiepiscopo titulo Stephaniacensi, atque in Uganda Apostolico Pronuntio, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae exsecutionis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

£8 **ANGELUS** card. **SODANO**
Secretarius Status

IOSEPHUS card. **TOMKO**
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Carmelus Nicolosi, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 446.867

II

GWALIORENSIS

In India nova conditur dioecesis Gwaliorensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in India eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petitum esset nuper ut in eadem Natione nova constitueretur dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, re mature perpensa auditisque pariter eorum quorum interest votis, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica po-

Ultimos vitae menses egit magis usque segrex in cella, doloribus gradatim augescentibus. Gravitatis morbi sui conscia proximique exitus non moleste tulit hunc mundum sibi esse relinquendum. Cum cognovit parum temporis sibi superesse, laetanter hunc nuntium communicabat cum iis qui illam adibant visuri. Cum ad extremum pervenisset vitae, qui ei assidebat interrogavit eam an parata esset ad dolendum adhuc horam unam, ut sacerdotem adiuvaret in difficultate versantem. Nutu capitis affirmavit. Hora exacta in aeternitatem intra vit. Quod contigit die 3 mensis Novembris anno 1929.

Fama sanctitatis, qua Serva Dei claruit in terra, post mortem dilatata est ultra monasterii eius et loci natalis fines; quin fines Dioecesis Agrigentinae est transgressa atque Panormitanae. Beatificationis et canonizationis Causa inita est apud Curiam Panormitanam per celebrationem Processus ordinarii informativi (annis 1968-1982), cui additus est Rogatorialis Agrigentinus (annis 1970-1977 celebratus); quorum Processuum auctoritas et vis agnita est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 11 mensis Maii anno 1991 promulgato. Praeparata Positione, inquisitum est, pro more, an Serva Dei virtutes heroum in modum coluisset. Die 24 mensis Iunii anno 1997 actus est, exitu cum prospero, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi postea, in Sessione Ordinaria habita die 19 superioris mensis Maii, Causae Ponente Excellentissimo Domino Petro Georgio Silvano Nesti, C. P., Archiepiscopo emerito Camerinensi-Sancti Severini in Piceno, fassi sunt Sororem Mariam Magdalenam a SS.mo Crucifixo virtutes théologales, cardinales iisque adnexas ut heroas addecet exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis

ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Magdalenae a SS.mo Crucifixo (in saec.: Carmelae Alesci), Monialis Professae Monasterii Capuccinarum Ordinis Sanctae Clarae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

Ê8 **IOSEPHUS SARAIVA MARTINS**
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. SB S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

POSNANIENSI

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Edmundi Bojanowski christifidelis laici fundatoris Congregationis Ancillarum B.M.V. Immaculatae (1814-1871)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Ut filii lucis ambulate » *(Eph* 5, 8).

Ut filius lucis ambulavit Servus Dei Edmundus Bojanowski, qui cum Iesu coniunctus, luce vera quae illuminat omnem hominem (cf. *Io* 1, 9), quae placita sunt Domino semper quaesivit et secundum Evangelium vixit, opera caritatis, iustitiae et veritatis exsequens pro populo Polonico ac praesertim pro pueris, pauperibus atque aegrotis, pro quibus novam condidit congregationem religiosam.

Ortus est is postridie idus Novembres anno 1814 in oppido Grabonóg, intra fines posito magni ducatus Posnaniensis, id temporis dominationi Borussiae subiecti, a Valentino Bojanowski ac Teresia Uminska, legitimis coniugibus, qui ad nobilitatem Polonicam pertinebant. Paucis diebus postquam natus est Baptismum accepit, undecimum agens annum primam Communionem atque postea Confirmationem. Eius educationi familia prospexit, et

mater momentum praesertim habuit ad eius religiosam culturalemque formationem.

Domi studiis peractis praeceptoribus privatis moderantibus, studiorum ordinem philosophicorum frequentavit primum apud Studiorum Universitatem Vratislaviensem et, post parentum mortem, apud Universitatem Berolinensem. Etiam de litteris curavit et carmina foras dedit, conversiones in alios sermones ac varios articulos, existimationem sibi concilians eorum, qui illum cognoscebant. Phthisi est astrictus studia derelinquere et ad oppidum Grabonóg redire. Cum proximis utilis esse vellet, sedulo interfuit parti litterariae consociationis cuiusdam, quae in urbe Gostyñ nata erat eo consilio, ut opera socialia excitaret et in primis nationis res tueretur, quas in periculum discrimenque vocabat Borussiae regimen ad Germaniam inclinans. Multiplicibus inceptis Servus Dei provehere nisus est culturae diffusionem in agris inque parvis vicis, oecos ad lectionem aptos curavit condendus, necnon bibliothecas et asyla pro educatione intellectus et morum puerulorum qui aetatem agerent ludum praecedentem; iuvenes adiuvit pauperes in studiis prosequendis, consuetudines culturales et laographicas populi sui defendit, quibus recuperandis re vera operam dedit, se consociavit in Societatem Polonicam, quae sodalicium erat indolis adiutabilis atque publicae. Etiam in alia opera incubuit, qualia fuerunt adiumentum latum cholera morbo affectis in pestilentia annis 1848-1849 saeviente, et aedificatio in urbe Gostyñ Domus Caritatis aegrotis curandis, orphanis educandis, futuris praeparandis asylorum praeceptricibus.

Sollicitudo de christiana societatis regeneratione deque Regno Dei exstruendo eum impulit ad opus instituendum, quod disseminandae veritati Evangelii caritatique Christi in populo Polonico prospiceret. Ut hoc consequeretur in pago Podrzecze, intra fines archidioecesis Posnaniensis sito, condidit Fraternitatem Praeceptricum asylorum pro puerulis camporum educandis proque assiduitate praebenda aegrotis et pauperibus. Cum opera haec explicanda essent gratuito, statuit ut praeceptrices necessaria ad vitam lucrifacerent agrorum labore. Fraternitas gradatim crescens et consistens magis magisque speciem sumebat Instituti vitae consecratae; hinc exorta est Congregatio Ancillarum a Beata Maria Virgine Immaculata, ab Ordinario dioecesano approbata anno 1855 verbis, anno vero 1866 scripto. Servus Dei eius fuit dux prudens, sapiens et humilis; diligenter consuluit Sororum formationi et rapidae Instituti propagationi. Sincere ac feliciter suum praestitit officium Antistitae generali, primum in Capitulo anni 1868

electae; semper praescriptionibus Auctoritatis ecclesiasticae obsequens fuit. Eodem tempore socius fuit Coetus Vincentiani multarumque aliarum consociationum naturae beneficae et spiritualis. Etsi incommoda uteretur valetudine, semper cum amabilitate, lenitudine, constanti alacritate atque excellenti sacrificii spiritu ad Dei gloriam contendit et ad bonum proximorum atque patriae. Firmus in suis propositis et auxilio Providentiae confisus, non est difficultatibus fractus in quas incidit tum in vita privata, tum in apostolatu. Corde praeditus fidei, spei et caritatis pleno in via sanctitatis impigre ambulavit et assiduo intimam coluit coniunctionem cum Domino per promptam oboedientiam voluntati Dei, per liturgiam, sacramenta, precationem, ferventem pietatem erga Eucharistiam et filialem amorem Virginis Mariae, quam potissimum honorabat sub titulis Immaculatae Conceptionis et Perdolentis. Mente atque vita divinae revelationi et Ecclesiae magisterio est assensus, voluitque fidem educationis puerorum et christianae renovationis patriae fundamentum esse. Amor erga Deum anima fuit eius pietatis, navitatis socialis atque apostolatus. Verus Iesu Christi discipulus se ipsum abnegavit et vitam consumpsit in Regno Dei aedificando inque animarum salute promovenda. Homo fuit iustus, mitis, serenus, semper ad proximos adiuvandos paratus, in primis pauperes, aegrotos, orphanos, puerulos, iuvenes, Sorores Congregationis quam ipse instituerat, quae eum tamquam patrem amaverunt ac uti sanctitatis magistrum existimaverunt. Omnia cum prudentia fecit, aptioribus usus modis ut Deo, Ecclesiae societatique serviret utque christianam adipisceretur perfectionem. In suis moribus mansuetudinem ad fortitudinem accommodavit, severitatem ad misericordiam, fervorem ad prudentiam. Forti patientique cum animo infirmitates toleravit et usque ad finem omnia munera erga Deum et proximos explevit; temperantiam, paupertatem, castitatem, humilitatem et simplicitatem explicavit.

Magis in dies vita eius similitudinem habebat vitae sacerdotum, adeo ut anno 1869, a prudentibus amicis incitatus, Seminarium ingressus sit Posnaniense ut se ad sacerdotium praepararet, sed in insuperabiles incidit difficultates per causam infirmae valetudinis, quae eum non sivit se studiis dedere sicut oportebat. Seminario relicto, speravit iterum posse se sacerdotium adipisci, donec cognovit a se Deum aliud exspectare. Perrexit aegrotis servire atque suam fidelitatem amori et cruci Christi testificari. Post multas aegritudines, exemplari cum patientia toleratas, placide in Domino obdormivit die 7 mensis Augusti anno 1871, ampla et solida sanctitatis fama insignis, quae procedentibus annis aucta est et confirmata.

Beatificationis et canonizationis Causa inita ab Archiepiscopo Posnaniensi, annis 1957-1960 Processus ordinarius informativus celebratus est, a Congregatione de Causis Sanctorum decreto postridie nonas Martias anno 1991 promulgato probatus. Die 22 mensis Octobris anno 1996 sessio habita est Consultorum Historicorum. Positione ad finem adducta, disceptatum est an Servus Dei heroico more virtutes christianas coluisset. Consultores Theologi, in Congressu Peculiari acto die 16 mensis Decembris anno 1997, id una voce confirmaverunt. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria peracta die 21 mensis Aprilis anno 1998, Causae Ponente Eminentissimo Cardinale Edmundo Casimiro Szoka, confessi sunt Servum Dei Edmundum Bojanowski heroico virtutum theologalium, cardinalium et his adnexarum exercitio praeclarum Regni Caelorum praebuisse testimonium.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Edmundi Bojanowski, Christifidelis laici, Fundatoris Congregationis Ancillarum B.M. V. Immaculatae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

RATISBONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Annae Schaeffer christifidelis laicae (1882-1925)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Anna Schaeffer orta est die 18 mensis Februarii anno 1882 in Germanico oppido Mindelstetten, intra fines posito dioecesis Ratisbonensis. Undeviginti annos nata, munus famulae explens est incommodo correpta, quod irreparabiliter eius valetudinem laesit. Alii quoque morbi additi sunt, quibus est ad immobilitatem astricta usque in mortem. Aequo animo vixit in paupertate, in humilitate atque in precatione crucemque tulit suam doloris in spiritu oblationis Deo factae et pro salute animarum. Ex lecto fecundum explicavit apostolatum pro iis, qui illam adibant visitaturi. Fama sanctitatis insignis ingressa est vitam aeternam die 5 mensis Octobris anno 1925.

Beatificationis et canonizationis Causa inita est ab Episcopo Ratisbonensi anno 1973. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 11 mensis Iulii anno 1995 declaravit Servam Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et iis adnexas coluisse.

Deinceps Causae Postulatio iudicio Congregationis de Causis Sanctorum permisit coniectam miram sanationem in dioecesi Linciensi effectam, in Austria, atque eidem Venerabili ascriptam. Casus pertinet ad Franciscum Zwirchmair, sedecim annos natum, qui mane diei 7 mensis Iunii anno 1984, sedens ad gubernaculum birotulae automatariae adversus autocinetum concurrit, calvae fracturam passus, femoris luxationem atque pubis ruptionem. Est mox in valetudinarium Ovilavense deductus. Post primas curationes, cum puer progredientem ostenderet status conscientiae defectionem, angiographia effecta est caroticae venae, quae haematoma protulit intra cal vam in sede frontis parietisque dextrae. Tempore postmeridiano eiusdem diei, cornate alto correptus, est in valetudinarium Lentiense translatus aliisque explorationibus subiectus, e quibus aliae demutationes intra calvam apparuerunt, quam ob rem aegrotus confestim sectus est; sicque ablatum est magnum haematoma epidurale. Prognosis a medicis facta infausta erat tum quoad vitam, tum quoad valetudinem. Puer, in cuius spirandi meatum erat tubus introductus cuiusque respiratio protegebatur, quinque dies in cornate

mansit. Interea, iam inde a tempore casus, familiares aliaeque personae invocare coeperant intercessionem Servae Dei Annae Schaeffer ut a Deo Francisci sanationem obtinerent. Fiduciae pieni usque ad diem 12 mensis Iunii perseveraverunt in precatione, cum aegrotus e cornate egressus celeriter convalescere incepit. Post paucos dies est ex valetudinario dimissus sanatus.

Sanatio statim est mira putata; idcirco Episcopus Lentiensis anno 1992 Inquisitionem dioecesanam celebravit, quae est rite probata a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 30 mensis Iunii anno 1994 promulgatum. Collegium Medicorum Dicasterii in sessione die 18 mensis Decembris habita anno 1997, uno ore affirmavit sanationem rapidissimam fuisse, completam, mansuram et secundum scientiam inexplicabilem quoad modum. Die 20 mensis Martii anno 1998 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est actus et insequentis mensis Maii die 19 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Anna Schaeffer, Christifideli laica, videlicet de rapidissima, completa et mansura sanatione Francisci Zwirchmair ab « esteso ematoma epidurale fronto-parietale destro, con sintomi di erniazione trans-tentoriale, con paralisi respiratoria, coma profondo e midriasi fissa ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

& IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. & S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

TARNOVIENSIS

Canonizationis Beatae Cunegundis seu Kingae monialis professae ex Ordine S. Clarae olim ducissae Cracoviensis et Sandomiriensis (1234-1292)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Scitis quia principes gentium dominantur eorum et, qui magni sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos magnus fieri, erit vester minister et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus; sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis» *(Mt* 20, 25-28).

His verbis suoque exemplo docet Dominus auctoritatem Apostolis eorumque successoribus a se concessam esse tamquam verum servitium exercendam, explendum in spiritu fidei, ideoque prorsus contra notionem auctoritatis paganam, sicut potestatis in alios acceptae. Omnes igitur christiani qui, quovis modo et quovis gradu, hominum regimini sint praepositi, et ipsi auctoritatem exercere debent in fidei spiritu utque verum servitium populo suo praestandum.

In historia Ecclesiae Beata Cunegundis, vulgo Kinga denominata, una est ex eminentibus atque bene meritis christianis mulieribus, quae receptum gubernandi munus in spiritu fidei expleverunt secundum evangelicam doctrinam, simul illud confirmantes clarissimarum virtutum exemplo.

Haec Beata in Hungaria orta est anno 1234, secundo loco nata ex rege Bela IV et Maria Lascaris, filia Imperatoris Graeci domicilium Niceae habentis Theodori I, et quinque annos in familia vixit admodum christiana. Anno 1239, cum esset desponsata Boleslao duci Sandomiriensi et ducatus Cracoviensis legitimo heredi, in Poloniam ducta est, ubi, factis « sponsalibus de futuro » in oppido sermone patrio Wojnowicz appellato, Grzymislawae Boleslai matri est commissa, quae eam Sandomiriam ductam convenienter curavit educandam. Mox parvula Kinga claram intellegentiam ostendit atque bonitatem, necnon vehementes precationis blanditias.

Fugere astricta una cum Boleslao et Grzymislawa ob Tartarorum incisionem anno 1241, dolores est vitae fugitivae experta, in Deo fiduciam testificans. In Poloniam nonnisi anno 1243 est reversa, postquam Boleslai sectatores, Cracovia capta, ducatus thronum ei obtulerunt. Duces in urbe Nowy Korczyn lingua vernacula denominata constiterunt, ubi Kinga ma-

ture intellexit sibi esse ducem adiuvandum in gubernatione exercenda, et iam tum dotem suppeditavit suam ut regionem restitueret a Tartaris depopulatam ac bellis intestinis ad inopiam redactam.

Eius vita spiritalis impensa fuit, quandoquidem multum temporis in deprecationem impendebat atque celebrationes eucharisticas in ecclesiis. Annis illis eam regebat et verbo exemploque illuminabat Salomea (quae erat futura Beata), cum ea vinculis propinquitatis coniuncta. Ab ea Kinga vitae evangelicae exemplaria didicit, quae a Sancto Francisco et a Sancta Clara significabantur, atque motus franciscani diffusionem in Europa cognovit. Id studium excitavit vivum Kingae et Boleslai, ac confestim in ducatibus praesentes fuerunt fratres Sancti Francisci et Sanctae Clarae sorores.

Kinga insuper animadvertebat suo erga Deum amore ac pietate in Beatam Virginem Mariam ad vitam virginalem se impelli, quam erat etiam in matrimonio servatura marito consentiente. Ita accidit quia, nuptiis cum Boleslao celebratis, probabiliter anno 1248 pacificae gubernationis primo, ambo, siquidem hac de re secreto inter eos mutua consensione convenerat, virginale matrimonium coluerunt; et quamvis postea dux aperte repugnaret, tandem adductus est ad suum consensum voto Kingae concedendum.

Kingae optioni pro matrimonio virginali novis gratiae donis benedixit Deus, quibus est idonea facta ad sapienter inspirandum atque adiuvandum ducem in gubernatione exsequenda, simulque eadem gratiae dona conciverunt in ea maternos illos abnegationis ac plenae alacritatis sensus, unde apta est facta ad mira efficienda opera misericordiae tum spiritalis, tum corporalis pro populi sui bono. Eius vitae scriptores inter tam multa beneficia ab ea acta illa commemorant, quae fecit in visendis parentibus in Hungaria post matrimonium. Kinga, coniuratione cognita et frustrata ad regem occidendum inita, ab eo possessionem accepit unarum ex salinis Hungaricis ac salis invectionem commeatui populi in Polonia destinavit. Insuper Kingae precibus repertae sunt fodinae salis in locis apud Cracoviam anno 1251. In Poloniam reversa donis referta, pauperibus haec omnia distribuit. Operam dedit aegrotis curandis, etiam leprosis, indigentibus adiuvandis atque consolandis, iustitiae sociali provehendae familiisque ad virtutem traducendis. Eius insuper studii gloriae Dei forte signum fuit cura quam adhibuit annis 1250-1253 de Sancto Stanislao deque Sancta Hedvige, Silesiae ac Poloniae ducissa, in numerum sanctorum referendis.

Eiusdem generis incepta promovit peculiari cum sedulitate iam ab anno 1257 in territorio Saczensi, quod anno illo dono receperat et possessioni a

Boleslao tamquam grati animi indicium ob gratiam quam meruerat quod ad eius gubernationem pertinebat.

In altera Tartarorum irruptione (quae evenit annis 1259-1260) Kinga et Boleslaus, cum nequaquam resistere possent, in locum tutum confugerunt et, postquam irruptio finem habuit, damnis remedia afferendo se dederunt. Kingae deprecationi tributa est etiam victoria quam Boleslaus comparavit ex incursione cuiusdam principis Russici anno 1266. Post tristes bellicos eventus qui anno 1273 acciderant Kinga intervenit, non directo quidem, animis placandis et paci restituendae.

Post Boleslai mortem, quae die 7 mensis Decembris anno 1279 contigit, Beata Kinga totam pecuniam quam habebat pauperibus distribuit et cum sorore Iolenta in perpetuum domicilium collocavit in urbe vulgo appellata Sacz, territorii capite quod ei iam anno 1257 Boleslaus detulerat.

In qua urbe, sede sua stabili facta, inque universo territorio Kinga operosius se tradidit cum territorio administrando in re oeconomica, tum ecclesiis condendis pro novis sedibus colonorum constituendis. Sed praecipue incubuit in ecclesiam et monasterium aedificandum loci Stary Sacz sanctimonialibus Clarensibus destinatum cum assensu Episcopi Cracoviensis Pauli. Idem monasterium, secundum Kingae et Episcopi consilium, totum patrimonium consecutum est eiusdem conditricis.

Moniales Clarenses, quae de monasterio loci Skala pervenerant, primam anno 1281 constituerunt communitatem monasterii oppidi Stary Sacz, quod Beata erat ingressura solummodo septem post annos. Interim ipsa per se ex palatio suo totum patrimonium administrare perrexit consentiente Episcopo, ut monasterii iura tueretur ab' iniquis condicionibus novi ducis Cracoviensis, qui iam ei hostilem se ostenderat.

Anno 1288 Kinga est in monasterio accepta tamquam no vitia et subsequenti anno professionem fecit Ordinis Sanctae Clarae. Circiter quattuor vixit annos in monasterio, exemplari modo vota religiosa observans et monialium Clarensium Regulam. Semper suo spiritui servitii fidelis atque alacritatis, labori non parcebat in serviendo cum humilitate sororibus sodalibus.

Terribilis morbus eam perpulit ut in lecto iaceret mense Septembri anno 1291 perque longos menses gravibus cum doloribus afflixit, quos Beata omnino voluntati Dei obsequens est perpessa; morbo in peiorem partem verso et mutato mortem obiit, fama sanctitatis insignis et a sororibus defleta, die 24 mensis Iulii anno 1292.

Sepulta in sacello monasterii sui, est propter vitae sanctitatem eulta non solum in Cracoviensi dioecesi, verum etiam in aliis Poloniae partibus. Ne-

cessariis inquisitionibus canonicis peractis, Summus Pontifex Alexander VIII die 11 mensis Iunii anno 1690 agnovit Beatam inde ab antiquissimis temporibus cultu publico fruitam esse et die 17 secuti mensis Decembris Missam concessit et Officium in eius honorem. Anno 1715 Papa Clemens XI eam regni Poloniae et magni ducatus Lithuaniae Patronam principalem renuntiavit. Deinde multiplicata miraculorum fama, precibus eiusdem Beatae tributorum, cogitatum est de Causa resumenda Canonizationis respectu. Post varios conatus ad hoc ipsum assequendum captos, denique perventum est ad Inquisitionem dioecesanam, secundum Constitutionem Apostolicam « Divinus perfectionis magister » instructam, de vita deque virtutibus Beatae, quae est rite probata a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum promulgatum die 3 mensis Martii anno 1995. Mensis Februarii die 17 anno 1996 sessio acta est Consultorum Historicorum ac die 10 mensis Octobris anno 1997 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales porro et Episcopi in Sessione Ordinaria die 19 mensis Maii anno 1998 habita, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Edmundo Casimiro Szoka, professi sunt Beatam Cunegundem heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Beatae virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, Beatae Cunegundis seu Kingae, Monialis professae ex Ordine S. Clarae, olim ducissae Cracoviensis et Sandomiriensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

£B IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. ffl S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VINDOBONENSIS

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Antonii Mariae Schwartz sacerdotis fundatoris Congregationis pro Operariis Christianis a S. Iosepho Calasanctio (1852-1929)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Antonius Maria Schwartz Thermis Austriacis apud Vindobonam natus est die 28 mensis Februarii anno 1852. Post sacerdotalem Ordinationem, anno 1875 acceptam, ministerio pastorali se dedidit. Assiduitatem religiosam tironibus iuvenibusque operariis praestandi causa eorumque iura defendendi consociationem laicalem condidit, quae cito aucta est, et postea Congregationem Pro Operariis Christianis a S. Iosepho Calasanctio, quam diligenter rexit et prudenter, omnibus superatis tum externis tum internis difficultatibus atque in operariorum mundo Christi lumine effuso. Vitae sanctitate effulsit, apostolico ardore et caritatis sacrificiique spiritu. Impigram vitam terrenam conclusit, fama sanctitatis clarus, die 15 mensis Septembris anno 1929.

Beatificationis et canonizationis Causa inchoata est apud Curiam Vindobonensem anno 1949. Summus Pontifex Ioannes Paulus II postridie nonas Apriles anno 1995 edixit Servum Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et iis adnexas coluisse.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio Congregationis de Causis Sanctorum coniectam commisit miram sanationem, Vindobonae patratam et eiusdem Venerabilis intercessioni tributam. Casus pertinet ad Paulinam Wenzl, quae die 22 mensis Martii anno 1972 est colpoysteroctomiae atque salpingectomiae subiecta. Sectio chirurgica perturbata est multa sanguinis amissione; quapropter transfusionis curatione opus fuit, quam secutus est collapsus haemolyticus hypovolaemicus necnon cordis institio. Aegrota delata est in sedem redanimationis experiendae. Cum haemorrhagia perduraret et intestinorum paralysis esset facta, insequenti mane statutum est ut altera efficeretur sectio laparotomica quo melius descriptio haemorrhagica inspiceretur. Repertum est amplum haemoperitonaeum cum pluribus haematomatibus in spatiis post peritonaeum sitis. Interim pathologia exstitit haemocoagulativa non dubiae gravitatis. Facta est igitur ovarii sectio bilateralis necnon obturatio abdominis et pelvis ut in extremo haemorrhagia cohiberetur. Chirurgus tamen aegrotae marito prognosim enuntiavit infaustam quoad vitam in breve tempus. Eodem die 23 mensis Martii, ma-

ritus una cum filiis, familiaribus et amicorum coetu invocare coepit Venerabilem Antonium Mariam Schwartz, ut a Deo sanationem obtineret Paulinae, quae ex improviso calendis Aprilibus se bene valere animadvertit. Paucis post diebus e lecto surgere potuit et, antequam mensis ad finem veniret, domum sanata redire.

De sanatione, ilico mira habita, apud Curiam Vindobonensem anno 1988 instructa est Inquisitio dioecesana, cuius iuridica auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 10 mensis Iunii anno 1994 promulgatum. Dicasterii Collegium Medicorum in sessione die 11 mensis Decembris anno 1997 habita testificatum est sanationem fuisse celerrimam, completam, mansuram et ex scientia propter suas rationes inexplicabilem. Die 20 mensis Martii, anno 1998, actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum ac die 5 mensis Maii subsequentis Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium atque Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Secretarium accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Antonio Maria Schwartz, Sacerdote Fundatore Congregationis Pro Operariis Christianis a S. Iosepho Calasanctio, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione Paulinae Wenzl ab « incidente trasfusionale diretto con grave shock, coagulazione intravasale disseminata e arresto cardiaco in paziente sottoposta a colpoisterectomia con salpingectomia e plastica vaginale; successivo intervento laparotomico con ovariectomia bilaterale e tamponamento addomino-pelvico ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 12 mensis Maii A. D. 1998.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

L. © S.

Michael Di Ruberto
Subsecretarius

ZAGREBIENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Aloisii Victorii Stepinac archiepiscopi Zagrebiensis S.R.E. Cardinalis (1898-1960)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« In te, Domine, speravi » *(Ps* 38, 16).

Spes in Deo collocata robur fuit ac solacium quod Cardinalem Aloisium Victorium Stepinac, Archiepiscopum Zagrebiensem, sustinuit in gregis Christi servitio, in Evangelio testificando coram Ecclesia et coram mundo inque martyrii acerbitatibus. Intentus ex animo ad bona futura Dominum Iesum, magistrum suum et amicum, in via crucis est secutus, in haec divina verba firmiter credens: « Beati estis cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis» *(Mt* 5, 11-12).

Dignus hic Ecclesiae Pastor postridie nonas Maias natus est anno 1898 in Croatia, in pago sermone vernáculo denominato Brezaric, intra fines paroeciae loci Krasic, ad archidioecesim Zagrebiensem pertinentis, a Iosepho Stepinac et Barbara Penic, sinceris catholicis prosperae condicionis oeconomicae. Postero die quam ortus est Baptismum accepit ac septem annorum Confirmationem et Eucharistiam. Egregie eius educationi boni parentes prospexerunt et praesertim mater, quae secreto precabatur et ieiunium servabat ut a Domino vocationis sacerdotalis gratiam filio impetraret. Concessa est gratia; itaque iuvenis Aloisius, anno 1915, Seminarium est ingressus archiepiscopale. Paucos post menses stipendia meruit in exercitu Austriaco conscriptus, et priori totius mundi bello interfuit. Ductor militum fuit strenuus ac probus, legi Dei fidelis, pius in Virginem Mariam atque erga milites magnanimus.

Bello ad exitum adducto, sanctitatem metuens quam sacerdotium postulat, non est in Seminarium re versus, sed nomen professus est in agrorum culturae disciplinam apud Studiorum Universitatem Zagrebiensem, quam tamen reliquit propter corruptos scholasticorum mores. Repetita familia, colendis agris paternis se dedidit, naviter versatus est in quibusdam consociationibus catholicis ac vitam suam spiritalem curavit sacerdote quodam moderante.

Pro certo habens alienum sibi esse et mundum et matrimonium, Dei vocationi respondit et anno 1924 introivit in Collegium Germanicum Hungari-

cum Romae situm. Optime praeparatus, die 26 mensis Octobris anno 1930 est sacerdos ordinatus et subsequenti anno, laureis exornatus tum philosophiae tum theologiae, quas erat apud Pontificiam Studiorum Universitate Gregorianam consecutus, in patriam rediit, ubi tyrannis erat instituta atque Ecclesiae libertas acerbas imminutiones patiebatur.

Ab Archiepiscopo dioecesano caerimoniarum et largitionum magister est nominatus atque Curiae tabularius; magnam industriam beneficam explicavit et auxilium pauperibus Zagrebiensibus praebendum provexit; parochis est opitulatus in sacro ministerio et cursus exercitationum spiritualium iuvenibus Actionis Catholicae praedicavit; ei mandatum est ut pacem in quibusdam paroeciis conciliaret quae in difficultatibus erant.

Die 28 mensis Maii anno 1934, Servus Dei, aetate iuvenis sed virtute atque ardore pastorali maturus, nominatus est Archiepiscopus Coadiutor cum iure successionis senis Archiepiscopi Zagrebiensis, Domini Antonii Bauer, cui, die 7 mensis Decembris anno 1937 mortuo, successit.

Spiritus Dei et curae plenus de Regno Christi, summa ope nisus est ad salutem animarum et ad bonum populi, diligenter munera explendo docendi, sanctificandi atque gubernandi. Verbum Dei cum assiduitate et integritate nuntiavit sicut et fidei veritates, observantiam fovit divinorum mandatorum et Evangelii, exercitium virtutum atque peccatorum et vitiorum fugam; iustitiam proclamavit, sacram familiae naturam defendit, christianam iuvenum educationem, Ecclesiae libertatem; bonis libris edendis favit et Actioni Catholicae, studens eam alienam servare a publicis negotiis. Hostium Dei et religionis animos nudavit.

Sicut Pastor Bonus gregi suo adfuit et quo melius oves suas cognosceret et abundantius aleret redemptionis bonis, eas crebro visebat, ubique Christi lumen bonumque eius virtutum odorem effundens.

Cum Ecclesiae sit operam pergere boni Samaritani, id est Domini Iesu, Servus Dei opera caritatis adiuvit pro pauperibus, aegrotis, profugis; necessitatibus consuluit agricolarum, operariorum, militum, in custodiam traditorum.

Peculiarem adhihuit curam de formatione alumnorum Seminarii, de cleri sanctificatione, de presbyterii dioecesani unitate. Sacerdotes uti filios dilexit et amicos eosque prudenter rexit in servitio Dei atque Ecclesiae. Suis adiutoribus fidem habuit, quos in rebus maioris momenti consultavit.

In summa sua multiplici actione pastorali artam posuit coniunctionem cum Deo, precationem, aeternarum veritatum meditationem, celebrationem

divinorum mysteriorum ac ferventem erga Eucharistiam pietatem. Dierum suorum suique apostolatus Missam habuit cardinem, quandoquidem illam ducebat « maximam viam ad mundum acquirendum et ad animas sanctificandas, ad nostras familias renovandas et ad nostros iuvenes tutandos ».

Plures celebravit Congressus Eucharisticos, persuasum sibi habens Eucharistiam « fortissimam esse defensionem nostram, vim inexpugnabilem, nostram consolationem et in aerumnis laetitiam ». Pietatem erga Beatissimam Virginem Mariam nutrivit et propagavit tamquam instrumentum moralis populi renovationis, quem Matri Dei consecravit.

Per alterum totius orbis terrarum bellum, acerbis patriae suae condicionibus conspectis, pacem praedicavit et iustitiam, palam ac vehementer dignitatem tuitus est personae humanae sine sexus, aetatis, gentis, nationis ac religionis discrimine; iurium populi, Ecclesiae et singulorum civium violationem improbavit, opera exsecutus est misericordiae, adnitens dolores levare eorum, quotquot in difficultatibus erant, praesertim profugorum, exsulum, sacerdotum vexatorum, puerulorum indigentium.

Cum in Iugoslavia rerum potiti sunt communistae, constans exorta est persecutio adversus Ecclesiam catholicam et quoquo modo temptatum est fidem e populo exstirpare. Complures episcopi, sacerdotes, religiosi, religiosae ac boni laici in vincula ducti sunt, tormentis excruciati et etiam interfecti.

Dum mendacii, odii atque violentiae tenebrae densabantur, Servus Dei munus suum pastorale cum amore atque fortitudine exsequi perseveravit et Christi veritatem et caritatem obtestari, calumniis, contumeliis et criminationibus contra se suamque navitatem neglectis. Primum per paucos dies comprehensus est vere anni 1945 et iterum die 18 mensis Septembris sequenti anno. In iniquum iudicium vocatus, falsis accusationibus est ad opus publicum in sedecim annos et in alios quinque annos ad amissionem iurium civilium et publicorum damnatus. Scilicet publica expositio causarum condemnationis naturae politicae fuit, sed re vera Servus Dei damnatus est propter suum Veritatis et Ecclesiae amorem quodque ne conderet ecclesiam nationalem recusa vit, a Christi Vicario separatam.

Plus quinque annos est in carcere servatus loci sermone patrio Legoplava denominati, ubi solitudinem patienter tulit et non paucas tum corporis tum animi aegritudines, quae irreparabiliter eius valetudini nocuerunt; immo putant quidam illis annis venenum ei datum esse atque noxiosas factas radiationes, quibus est lente ad mortem adductus. Solacium invenit in cotidiana Missae celebratione, in precatione, in lectione inque operibus religiosis

conscribendis. Potestates paratae erant ad libertatem ei restituendam, dummodo gratiam petivisset atque, grege suo relicto, cessisset e patria. Sed Servus Dei, qui vir erat iustus et prudens, numquam huic exitui voluit consentire, siquidem hoc significavisset se insimulationum esse reum, quae falso in eum delatae erant. Nec umquam aliquod consilium capere voluit nulla normarum Sanctae Sedis ratione habita.

Sed mense Decembri anno 1951 in pagum Krasic translatus est, ibique vixit in domum paroecialem relegatus, restricte a magistratibus et vigilibus armatis custoditus et observatus. Crucem suam portavit magno animo, ostendens se Deum et Ecclesiam plus quam seipsum amare. Pro Regno Christi proque animarum salute, in his persecutorum suorum animis annumeratis, suos obtulit dolores et maerores. Sicut lucerna ardens super candelabro posita mundum illuminavit fidei, spei, caritatis et perfectae fidelitatis munere suo pastorali atque Romano Pontifici testimonio. Propter eius singularia merita Pius XII pridie idus Ianuarias anno 1953 ei dignitatem contulit Cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae.

Interea ratio qua in carcere Legoplava inque relegatione in loco Krasic tractatus est suos mortiferos effectus parere coepit. Namque varii apparuerunt morbi, inter quos « polycytaemia vera rubra », qui eum usque ad finem afflixerunt. Bonus fidelisque Iesu crucifixi discipulus, perseveravit in vitae suae oblatione, id explicans, quod ipse dixerat: « Si possem in promptu centum habere vitas, omnes devoverem, ut sancta Dei Ecclesia viveret ». Precans et offerens aequo animo ad ultimum cum Domino occursum se praeparavit, qui ei martyrum coronam die 10 mensis Februarii attribuit anno 1960.

Sanctitatis et martyrii fama, qua in vita fuit insignis, palam prorupit in sollemnibus exsequiis ac dilatata est et corroborata insequentibus annis non solum in Croatia, verum universa in Ecclesia. Ad eius sepulcrum in cathedrali Ecclesia Zagrebiensi collocatum, multi peregrinatores conveniunt ut fortissimum fidei testem venerentur eiusque apud Deum deprecationem impetrent. Has ob causas cogitatum est de ineunda quam celerrime canonizationis Causa, sed id non siverunt patriae Servi Dei condiciones politicae. Anno 1981 Romae tandem inchoatus est Processus canonicus super vita et virtutibus, qui conclusus est anno 1993. Anno 1995 apud Curiam Zagrebiensem celebrata est Inquisitio dioecesana additicia super martyrio, cuius auctoritas a Congregatione de Causis Sanctorum probata est per decretum die 24 mensis Novembris eodem anno promulgatum. Positione confecta,

disceptatum est an Servi Dei mors haberi posset verum martyrium. Die 11 mensis Novembris anno 1997 actus est, felici cum eventu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales deinde atque Episcopi, in Sessione Ordinaria die 5 mensis Maii anno 1998 habita, Causae Ponente Eminentissimo Cardinale Pio Laghi, iudicaverunt Servum Dei Aloisium Victorium Stepinac verum fuisse martyrem fidei.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servi Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more con vocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Aloisii Victorii Stepinac, Archiepiscopi Zagrebiensis, S.B.E. Cardinalis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 3 mensis Iulii A. D. 1998.

© IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

GALVESTONIENSIS-HOUSTONIENSIS et TYLERENSIS

De finium mutatione

DECRETUM

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuli possit, Exc.mi PP.DD. Iosephus Antonius Fiorenza, Episcopus Galvestoniensis-Houstoniensis, et Edmundus Carmody, Episcopus Tylerensis, nuper ab Apostolica Sede po-

stulaverunt, ut suarum Ecclesiarum fines aliquantulum immutarentur. Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Augustini Cacciavillan, Archiepiscopi titularis Amiternini et in America Septemtrionali tunc Apostolici Pro-Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo divina Providentia PP. II tributarum, oblatas preces benigne accipiendas esse censuit. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, decernit ut a dioecesi Galvestoniensi-Houstoniensi separetur atque perpetuo dioecesi Tylerensi adnectatur integrum territorium regionis civilis vulgo Madison nuncupatae. Proinde omnia acta et documenta praefati territorii, clericos, fideles et bona temporalia respicentia, a Curia Galvestoniensi-Houstoniensi ad Curiam Tylerensem quam citius fieri poterit tradantur. Ad clericorum incardinationem vero quod attinet necnon bonorum divisionem, praescripta iuris communis serventur, prae oculis habitis quae a memoratis Episcopis unanimi consensu statuta sunt.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis Exc.mum P.D. Gabrielem Montalvo, Archiepiscopum titularem Celenensem et in America Septemtrionali Apostolicum Nuntium deputat necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis transmittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 25 mensis Ianuarii anno 1999.

83 LUCAS card. **MOREIRA NEVES**, *Praef.*

83 Franciscus Monterisi, *a Secretis.*

L. © S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 894/98

GUATIMALIAE

De provinciarum ecclesiasticarum nova conformatione

DECRETUM

Ad uberius Christifidelium spirituali bono consulendum atque pastoralem actionem efficaciorem reddendam, Exc.mus P.D. Paulus Vizcaíno Prado, Episcopus Suchitepequensis-Retalhulensis, ab Apostolica Sede postulavit ut Ecclesia cui praeest, hactenus ad Metropolitanam Ecclesiam Guatimalensem spectans, dioecesibus provinciae ecclesiasticae Altensis, Quetzaltenanguensis-Totonicapensis aggregaretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia PP. II, praehabito favorabili voto Conferentiae Episcoporum Guatimalae et Exc.mi P.D. Ramirii Moliner Inglés, Archiepiscopi titularis Sardanensis et in Republica Guatimalensi Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis, preces ad Se admotas animarum saluti valde profuturas censuit et eidem Congregationi speciales facultates contulit ut procedere possit ed ea exsequenda quae proposita sunt, et adimplenda quae necessaria videantur. Proinde, Congregatio pro Episcopis, suppleto quatenus opus sit eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent statuit ut dioecesis Suchitepequensis-Retalhulensis, a provincia ecclesiastica Guatimalensi distracta, provinciae ecclesiasticae Altensi, Quetzaltenanguensi-Totonicapensi aggregetur et iuri metropolitano Archiepiscopi Altensis, Quetzaltenangaensis-Totonicapensis ad normam iuris subiciatur. Ad haec perficienda, Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis remittendi, quam primum, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 24 mensis Novembris anno 1998.

© **LUCAS** card. **MOREIRA NEVES**, *Praefectus*

L. © S.

© Franciscus Monterisi, *a Secretis*

In Congr,, pro Episcopis tab., n. 943/98

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus PP. II per Apostolicas sub plumbo litteras iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit praesules:

die 16 Martii 1999. — Titulari episcopali Ecclesiae Lamzellensi R.D. Horatium Bénites Astoul, hactenus curionem in civitate Bonaerensi, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Bonaërensis.

die 17 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Armidalensi, R.D. Lucam Iulianum Matthys, e clero archidioecesis Melburnensis, hactenus decanum et curionem templi Cathedralis eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Ioassabensi Exc.mum P.D. Osorium Bebber, O.F.M. Cap., hactenus Episcopum Praelatum Coxinensem.

die 18 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Lausannensi, Genevensi et Friburgensi R.D. Bernardum Genoud, e clero eiusdem dioecesis, ibique Seminarii maioris moderatorem.

— Metropolitanae Ecclesiae Barranquillensi Exc.mum P.D. Ruben Salazar Gómez, hactenus Episcopum Cucutensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Neo-Pampilonensi Exc.mum P.D. Gustavum Martínez Frías, hactenus Episcopum Ipialensem.

— Cathedrali Ecclesiae Margaritensi Exc.mum P.D. Raphaelem Conde Alfonzo, hactenus Episcopum Coadiutorem Guairiensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Italicensi Rev.dum D. Iosephum Aloisium Azuaje Ayala, e clero dioecesis Truxillensis in Venetiola, curionem paroeciae « San José » nuncupatae atque Vicarium episcopalem eiusdem dioecesis quem constituit Auxiliarem Barquisimetensem.

die 24 Martii. — Coadiutorem dioecesis Viridariensis R.D. Brunonem Pedron, Societatis Sancti Francisci Salesii sodalem.

die 25 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Tridentinae Exc.mum P.D. Aloisium Bressan, hactenus Archiepiscopum titularem Severianensem et in dicionibus vulgo « Thailandia », « Singapore » et « Cambogia » Apostolicum Nuntium atque Apostolicum Delegatum in dicionibus dictis « Laos », « Malaysia », « Brunei Darussalam » et « Myanmar ».

die 26 Martii 1999. — Ecclesiae Metropolitanae Sancti Ioannis Portoricensis Exc.mum P.D. Robertum Octavium González, O.F.M., hactenus Episcopum Corporis Christi.

die 3 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Satafensi in Mauretania Sitifensi R.D. Sergium Alfredum Fenoy, hactenus Seminarii maioris archidioecesis Rosariensis rectorem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 14 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Christophori in Venetiola Exc.mum P.D. Marium Moronta Rodríguez, hactenus Episcopum Tequinensem.

— Cathedrali Ecclesiae Vigilantis-Sancti Caroli Zuliensis Exc.mum P.D. Villelmum Delgado Silva, hactenus Episcopum titularem Vazitanum et Auxiliarem Maracaibensem.

die 16 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Scampinae R.D. Varnerium Thissen, Vicarium generalem Monasteriensem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Uzalensi R.D. Felicem Genn, e clero Trevirensi, hactenus Instituti Sancti Lamberti in loco vulgo Burg Lantershofen moderatorem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 21 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Turonensi Exc.mum P.D. Andream Vingt-Trois, hactenus Episcopum titularem Thibilitanum et archidioecesis Parisiensis Auxiliarem.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia PP. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 2 Ianuarii 1999. — Metropolitanae Ecclesiae Bloemfonteinensi R.P. Bufi Iosephum Tlhagale, O.M.I., Episcoporum Reipublicae Africae Australis Conferentiae Secretarium generalem necnon in oppido vulgo Orlando Est curionem.

— Metropolitanae Ecclesiae Guluensi, noviter erectae in Uganda, Exc.mum P.D. Ioannem Baptistam Odama, hactenus Episcopum Nebbensem.

- esegue, nell'ambito delle istruzioni ricevute, attività lavorativa che richiede specifica formazione professionale, conoscenza e capacità di utilizzare strumenti anche complessi per l'esecuzione di determinate procedure tecniche. Tale attività è caratterizzata da autonomia nell'esecuzione del lavoro con margini valutativi nell'applicazione delle predette procedure;
- predispone atti amministrativi aventi rilevanza anche esterna, curandone direttamente i rapporti intersettoriali connessi alle attività esplicate; svolge servizio di sportello a supporto del servizio di cassa;
- esegue attività istruttorie nell'ambito di prescrizioni di massima e di procedure predeterminate, che non comportano valutazioni discrezionali, elaborando dati e situazioni, anche di tipo complesso;
- svolge mansioni subordinate di acquisizione, catalogazione, archiviazione e ricerca di documenti.

Titolo richiesto: Diploma di scuola secondaria superiore o equipollente.

Requisito: Per alcune figure professionali si esige la conoscenza di una determinata lingua.

Profili Professionali

Addetto tecnico di 2ª classe.

Addetto di amministrazione di 2ª classe.

LIVELLO FUNZIONALE 7°

Attività di Concetto

Appartiene a questo livello il dipendente che:

- redige minute e prepara relazioni periodiche attinenti al proprio settore di competenza;
- collabora allo studio preliminare di pratiche per la preparazione di atti e documenti dell'Organismo;
- svolge mansioni proprie di archivista;
- svolge attività istruttoria e di revisione di pratiche contabili amministrative, nell'ambito di direttive, provvedendo alla predisposizione della connessa documentazione (schemi di contratto, autorizzazioni, riscossioni, pagamenti e simili) e corrispondenza; esegue, altresì, operazioni prestabilite di contabilità-economato e di cassa, provvedendo anche a tutte le eventuali operazioni connesse;
- svolge mansioni di addetto alla cassa e, quando la dimensione dell'Organismo lo richieda, anche con servizio di sportello, di consegnatario o di economo, con responsabilità delle scritture, almeno parziale;
- formula proposte in merito all'organizzazione del lavoro a cui è addetto nonché alla revisione di sistemi e procedure del proprio settore;
- coordina l'attività di colleghi di professionalità inferiore e, se è in possesso di specializzazioni specifiche o di maggiore professionalità, anche di colleghi di pari qualifica funzionale, per l'assolvimento di compiti determinati.

Titolo richiesto: Licenza in una disciplina ecclesiastica o, secondo le esigenze del Dicastero, un equivalente titolo universitario.

Requisito: Per alcune figure professionali si esige la conoscenza di una determinata lingua.

Profili Professionali

Addetto di Segreteria di 2ª classe.
Addetto Tecnico di Iª classe.
Addetto di Amministrazione di Iª classe.
Decano di Sala Pontificia.

LIVELLO FUNZIONALE 8°

Attività di Concetto

Appartiene a questo livello il dipendente che:

- collabora, con specifica competenza, ai compiti di studio e definizione di questioni attinenti al proprio Organismo;
- nell'ambito di direttive ricevute, svolge attività istruttoria direttamente o coordinando l'attività di un gruppo di lavoro, predisponendo progetti per atti e provvedimenti di competenza dei livelli superiori;
- istruisce, redige e sottoscrive atti e provvedimenti nell'ambito della sua competenza specifica, esaminando pratiche sulle quali l'Organismo dovrà pronunciarsi;
- collabora ad attività ispettive e di consulenza.

Titolo richiesto: Diploma di laurea in una scienza ecclesiastica o, secondo le esigenze dell'Organismo, un'altra laurea o altro titolo universitario conseguito dopo almeno quattro anni di studio.

Requisito: conoscenza della lingua latina e, oltre l'italiano, di almeno una lingua moderna.

Profili Professionali

Addetto di Segreteria di I^a^ classe.
Analista programmatore.

LIVELLO FUNZIONALE 9°

Attività Direttive

Appartiene a questo livello il dipendente che:

- svolge compiti di studio di notevole importanza per la definizione o l'esecuzione di questioni riguardanti materia di competenza dell'Organismo;
- redige progetti di atti e documenti ufficiali della Sede Apostolica in lingua latina o in una lingua moderna (Decreti, Rescritti, Brevi, Lettere Apostoliche, ecc.);

- collabora nella promozione e preparazione di programmi e progetti relativi all'intero servizio e concorre all'attuazione dei medesimi, partecipando anche a periodiche valutazioni dei risultati;
- predispone ed esamina atti, provvedimenti amministrativi, proposte di normativa, dal punto di vista della fattibilità e dell'efficacia, nell'ambito delle materie di competenza del settore cui è addetto, ed esprime parere su quesiti di natura giuridica, sia in rapporto alla specifica attività che al contenzioso;
- è preposto ad una unità organica del settore tecnico-amministrativo, provvedendo agli adempimenti previsti dalla materia attribuita al settore medesimo, nell'ambito di normative generali e delle linee di programmazione dell'attività^dell'ufficio.

Titolo richiesto: Diploma di laurea in una scienza ecclesiastica o, secondo le esigenze dell'Organismo, un'altra laurea o altro titolo universitario conseguito dopo almeno quattro anni di studio.

Requisito: conoscenza della lingua latina e, oltre l'italiano, di almeno una lingua moderna.

Profili Professionali

Minutante.
Aiutante di Studio.
Notaro della Segnatura Apostolica.
Notaro della Rota Romana.

LIVELLO FUNZIONALE 10°

Attività Direttive

Appartiene a questo livello il dipendente che:

- svolge compiti di direzione e coordinazione di un determinato settore dell'Organismo, con autonomia organizzativa e facoltà di decisione o di proposta per il conseguimento di obiettivi assegnati;
- nell'ambito di direttive generali e con responsabilità diretta sovrintende ai servizi amministrativi e contabili;
- verifica i risultati dell'attività svolta dai componenti l'unità a cui è preposto;

- svolge anche singolarmente attività di particolare importanza per la realizzazione dei fini istituzionali dell'Organismo di appartenenza, che implichino responsabilità di identico livello.

Titolo richiesto: Diploma di laurea in una scienza ecclesiastica o, secondo le esigenze dell'Organismo, un'altra laurea o altro titolo universitario conseguito dopo almeno quattro anni di studio.

Requisito: conoscenza della lingua latina e, oltre l'italiano, di almeno una lingua moderna.

Profili Professionali

Capo Ufficio.

Promotore di giustizia sostituto della Rota Romana.

Vice Direttore della Sala Stampa.

Incaricato del « Vatican Information Service ».

Esperto di informatica, Amministrazione, Contabilità o altre particolari materie.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

ALLAHABADENSIS SEU BASILEENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Anastasii Hartmann (in saec.: Iosephi Aloisii) Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum episcopi tit. Derbei et vicarii apostolici Patnensis (1803-1866)

DECRETUM SUPER VIRTUTIRUS

« Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris » *(2 Cor* 12, 15).

Hoc Sancti Pauli significanti dicto impensa vita apostolica contrahi potest episcopi Anastasii Hartmann, in servitio Dei consumpta propter magnam missionum causam.

Cum die 19 mensis Augusti anno 1840 a suo Superiore certe et definite expostulavit ut esse posset missionarius, scripsit: « Hoc a te posco ut impulsui interiori oboediam, quo iam aliquot annos moveor quemque tamquam Dei voluntatem interpretari debeo... Id facio pro salute tot milium animarum, quae in fidei ignorantia vivunt et sine pastore, quo amplius usque Dei regnum extendam ».

Et recogitans de longa continuatione « votorum, cupiditatum, consiliorum » et etiam dubitationum, quae tandem eius maturaverant propositum, addidit: «Secundum haec omnia non possum non videre voluntatem Dei... Tot annos et, saepe etiam lacrimans, precatus sum ut sola Dei voluntas fiat in me, ne aliud quaeram, nisi gloriam eius et animarum salutem; prorsus, ut instrumentum docile fiam in manibus Dei ».

Servus Dei natus est die 24 mensis Februarii anno 1803 in pago *Altwis* appellato, intra fines paroeciae *Hitzkirch,* in regione Lucernensi, in Helvetia, septimus decem filiorum, a Iosepho Iacobo Hartmann et Maria Anna Barbara Nietlisbach, qui ad baptismalem fontem nomina ei indiderunt Iosephum Aloisium. Die 19 mensis Iulii anno 1807, etsi tenerae esset aetatis,

Confirmatio ei collata est et die 17 mensis Aprilis anno 1814 primam Communionem accepit.

Admodum iuvenis signa ostendit vocationis sacerdotalis. Studuit in gymnasio Salodurensi et in hac urbe prima habuit commercia cum Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum. Die 17 mensis Septembris anno 1821 eorum novitiatum est ingressus Badenae et professionem religiosam fecit die 22 mensis Septembris subsequentis anni. Ordinatus est presbyter die 24 mensis Septembris anno 1825 et sua studia ecclesiastica peregit mense Iunio anno 1826.

Domui Lucernensi assignatus, quamvis iuvenis esset, Servus Dei se praebuit existimatum excellentem confessarium et eloquentem praedicatorem, variis in circumstantiis exquisitum. Vix 27 annos natus erat, cum ei Superiores concrediderunt munus magistri novitiorum anno 1830 Friburgi. Formationi solidae se dedidit; novitios tamquam filios suos tractabat. Annis 1836-1839 commissum est ei officium praeceptoris philosophiae et theologiae, item Friburgi, et optimas servavit rationes cum Episcopo et clero, e quibus utilitatem percepit pro suo spiritali incremento.

Per triennium 1839-1841, Saloduri actum et peculiariter deditum praedicationis atque confessionis ministerio et etiam curae personali suae sanctificationis, Servus Dei suam maturavit vocationem missionariam, inde ab annis adulescentiae significatam. In discrimine magni ponderis duxit Superiorum vocem. Minister Generalis Ordinis Romam eum arcessivit eique concredidit regendum duos annos Collegium Sancti Fidelis.

Mense Novembri anno 1843 assignatus est missioni Agrensi in India. Initio commissum ei est centrum loci *Gwalior,* ubi communitatem christianam invenit iamdudum cura religiosa privam et in condicione morali miseranda versantem.

Die 30 mensis Septembris anno 1845 nominatus est Episcopus titularis Derbeus et Vicarius Apostolicus Patnensis atque idibus Marths anno 1846 est consecratus. Statim se dedidit visitationi pastorali Vicariatus, ut pro videret necessitatibus urgentioribus, in statu rerum peculiariter difficili ob paupertatem opum humanarum et materialium. Per quattuor annos operam dedit extenuanti ministerio pastorali, quod pondus habuit in detrimentum eius valetudinis, iampridem incommodae.

Die 3 mensis Decembris anno 1849, nominatus est Administrator Apostolicus Vicariatus Bombayensis. Post divisionem, anno 1854 factam, territorii Vicariatus in duas partes, unam ad Bombayam spectantem et alteram

ad Poonam, Servus Dei factus est Vicarius Apostolicus Bombayensis et Administrator Apostolicus « ad tempus » Poonensis.

Ab anno 1856 ad annum 1859 diu commoratus est in Europa, et hoc tempore factus est Procurator generalis missionum capuccinarum atque futurorum missionariorum Collegii Romani Sancti Fidelis responsabilis. Exsolutus die 7 mensis Augusti anno 1859 officio Procuratoris generalis missionum capuccinarum, die 19 mensis Decembris eodem anno iterum missus est in Indiam tamquam Vicarius Apostolicus Patnensis, quamvis tenui valetudine utens.

A pueritia usque ad mortem Servus Dei per omnia et semper ductus est heroica fide, a parentibus hausta, qui virtutibus erant divites. In casibus difficilibus suos direxit familiares sapientibus et opportunis consiliis, ut fidem servarent et parati essent ad eam fortiter defendendam. Scripsit eis: «Perseverate firmi in fide et in Ecclesia Catholica... Manete igitur in precatione pro nostrae sanctae fidei conservatione, pro qua omnis christianus bona debet offerre et sanguinem. Maximam mihi fortunam puto pro fide pati et mori posse ».

Missionarius proficiscens Servus Dei solum animo intendebat fidei diffusionem, paratus etiam ad martyrium. In epistula ad Superiores missa, de sua terra missionis loquens, scripsit: « Ibi me manent dolores omne genus, persecutiones et, fortasse, post multa supplicia, atrocissimum martyrium... Et tamen haec omnia non me terrent ». Nominatus Vicarius Apostolicus quam maxime curavit ut missionarios sufficientes haberet numero ad fidem diffundendam et defendendam. Contentio contra schisma Goanum, conatus ad reconciliandos animos et ordinem restaurandum, defensio iurium Sanctae Sedis, contendebant in primis ad fidem propagandam animasque salvandas.

Tutelam curavit spiritalem indigenarum christianorum et militum Europaeorum. Prospexit formationi cleri illis locis nati et educationem provexit christianam iuventutis ut caveret tuto fundamento pro « Plantatione Ecclesiae ». Vis eius, in omnibus eventibus quos obiit, precatio erat, adoratio eucharistica et filialis Beatae Mariae Virginis invocatio. Benefactori Parisiensi scripsit: « Ego sum importunus quoad pecuniam; multo importunior quoad precationes, sine quibus pecunia minimum facit ».

Heroica spes theologalis effulsit peculiariter in vita huius episcopi missionarii, qui omnia reliquit, terram quoque suam ubi natus est, ut longinquis Evangelium nuntiaret. Apparet in hoc integro dono sui Servum Dei

' omnem terrenam ambitionem respuisse ut ad bona aeterna esset attentus et ad proximorum bonum. Scripsit: « Post hanc vitam, quae per se iam brevis est, quae quidem tempus est probationis quaeque ubique secum agit gaudium et dolorem, post hanc vitam, dico, gaudium in caelo eo maius est, quo maiora in hoc mundo facta sunt pro gloria Dei, salute propria et proximorum ». Plena haec et completa omnium rerum terrestrium neglectio tantam genuit in eo animi tranquillitatem, ut ne pessimae quidem aegritudines potuerint ei spem adimere. Ad suos familiares scripsit: « Nihil tantum timere debemus, quantum aeternam a Deo separationem, Patre nostro, a Sanctis, fratribus et sororibus nostris. Idcirco omnibus viribus nitamur ad caelum ambulare, ad aeternitatem ».

Caritas heroica erga Deum exprimebatur ab eo in tribuendo Deo primum locum in propria vita. Deus ante omnia et ante omnes, Deus semper et ubique. « Ne solliciti fueritis — scripsit — de me; in manibus Dei sum. Pro Eo, pro eius doctrina, pro eius Ecclesia, libenter volo vitam devovere ». Totum se Deo consecravit professione votorum religiosorum. Christus eius erat exemplar imitandum, argumentum praecipuum eius meditationum, id, ad quod omnes eius electiones et consilia referebantur. Peccatum horrebat huncque horrorem nitebatur aliis inicere.

Eius vita missionalis continuum fuit heroicum exercitium caritatis indefatigabilis erga proximum. Amor eius universalis erat, sine personarum discrimine. Consuluit conspirationi et concordiae inter missionarios. Non sola fecit opera misericordiae spiritalis, sed sacrificio omnium virium omniumque rerum materialiter succurrit debilioribus per multiplicia opera condita, per scholas, orphanotrophia. Etiam in necessitudinibus personalibus Servus Dei magnam ostendebat caritatem, memorem animum expromens et attentionem.

Semper egit cum prudentia et prudentiam praedicavit. Etiam iuvenis consilia petebat illisque acceptis sapienter utebatur. Antequam consilia caperet gravia, sicut in electione vitae missionariae, precabatur et efficiebat ut alii precarentur et postea Superiores adibat. Semper cum firmitudine gubernavit et affectu, sciens, sicut ipse scribit, « Baculo nihil comparari. Firmitudo necessaria est, lenitas, patientia... sine multa precatione et vita exemplari missionarius aut parum efficiet aut nihil ».

Tacere scivit ut discordias vitaret et benevolus fuit erga personas quae ab eo discordabant sua ratione cogitandi.

Heroum in modum exercuit virtutem iustitiae in reddendo Deo honore et amore illi debito, in oboedientia perfecta Superioribus et in diligenti nor-

marum ecclesiasticarum observantia. Bonum quod faciebat, ad Deum referebat. Uti pastor Patnensis defendit iura missionis et cum iustitia tractavit missionarios. Hos a falsis accusationibus defendit. Etiam in rationibus cum aliis Ordinibus cumque aliis nationibus semper iuste se gessit. Ordinem et pacem restauravit in condicionibus difficilibus simultatis et contulit ad progressionem missionis.

Heroum more virtutem explicavit fortitudinis. Ut suae vocationi missionariae responderet suumque exsequeretur ministerium multa debuit impedimenta superare: suam corporis debilitatem, aliquorum laborum apostolicorum ariditatem, casus humanitus desperatos, egestatem munimenti et interdum etiam neglegentiam Superiorum. Libenter suscepit incommoda, molestias, labores, persecutiones; nihil umquam timuit, numquam signa dedit exanimationis. Debuit etiam odium tolerare, invidiam, quae quandoque recidit in calumniam. Has omnes difficultates subiit cum generositate et fortitudine, numquam destituens spiritum evangelii responditque ad malum bono, laetitiam servans in animo. Scripsit ad amicum: « Versor in missione difficili, quin in una ex difficillimis... Sed haec omnia dulcia fiunt, si cogitatur et hunc esse Dei agrum et esse colendum ».

Numquam pacem interiorem amisit; quamvis morbo angeretur, numquam est questus.

A iuventute castigationem exercuit exteriorem et interiorem. Ecclesiae et Ordinis Capuccinorum ieiunia servavit. Precabat in vigiliis nocturnis. Nudis pedibus ambulabat per frigus Helvetiae et maximum Indiae calorem tolerabat. In cibo parcissimus fuit. Multo mane e lectulo surgebat parumque dormiebat; non raro humi dormiebat.

Exemplaris fuit religiosus et plene coluit propositum consiliorum evangelicorum. Ex sua vixit consecratione modo credibili. Exemplo semper fuit modestiae et continentiae. Superiores vidit oculis fidei eorumque praecepta putavit voluntatem Dei. Dilexit et explicavit paupertatem franciscanam in usu bonorum materialium. Ratio vitae episcopi capuccinam non mutavit. Pauper vixit inter pauperes, cum iis coniunctus.

Humilitas solidum fuit vitae eius fundamentum eisque missionis. Cum auctoritas ecclesiastica eum vocavit ad episcopatum, cum humilitate assensus est et cum humilitate Ecclesiae servivit. Humilem semper se praebuit inter humiles et ad extremam societatem detrusos huius terrae.

Extremis annis varios passus est morbos. Testificans non solum animum et sedulitatem in exercitio ministerii pastoralis, quoties potuit convalescere,

sed praesertim plenum et fidens obsequium erga voluntatem Dei, die 24 mensis Aprilis anno 1866, vix sexaginta tres annos natus, vocatus est ad praemium recipiendum, quod Dominus praeparaverat servo suo indefesso et fideli.

Memoria virtutum Servi Dei et persuasio eius famae sanctitatis perduravit etiam post eius mortem, quin diffusa est et crevit apud omnem personarum ordinem tum in India tum in Europa. « Emporium scientiae et speculum sanctitatis » definitus est Servus Dei a suo successore. « Ubicumque fuit — scripsit historiographus missionum capuccinarum — homo hic (Servus Dei) sparsit illum, quam Sanctus Paulus vocat Christi bonum odorem (cf *2 Cor* 2, 15)... homo scientiae et virtutis, roboris et sua vitatis ».

Inita beatificationis et canonizationis Causa, ab anno 1906 ad annum 1908, instructus est Processus Ordinarius Informativus apud Curiam Allahabadensem in India; et ab anno 1907 ad annum 1920 alter Processus Ordinarius Informativus apud Curiam ecclesiasticam Basileensem. Horum Processuum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 15 mensis Februarii anno 1991 promulgato. Confecta *Positione,* disceptatum est, ex norma, an Servus Dei virtutes coluisset heroum more. Die 16 mensis Ianuarii anno 1998 Consultores Theologi, congregati in Congressum Peculiarem affirmaverunt. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria calendis Decembribus sequentibus acta, Causae Ponente Eminentissimo Cardinale Henrico Schwery, professi sunt Servum Dei ut héroes decet virtutes théologales, cardinales et his adnexas explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinale Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Anastasii Hartmann (in saec.: Iosephi Aloisii), Ordinis Fratrum Minorum Capuccinarum, Episcopi tit. Derbei et Vicarii Apostolici Patnensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

£8 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

ATREBATENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Georgii Beilanger sacerdotis Congregationis Religiosorum S. Vincentii a Paulo (1861-1902)

DECRETUM SUPER VIRTUTIRUS

« Ignem veni mittere in terram » *(Lc* 12, 49).

His, qui acceptum in se veritatis et caritatis ignem in Dei populum distulerunt, a Domino Iesu accensum in terra, certe annumerandus est sacerdos Georgius Bellanger qui, vitae sanctitate atque apostolatu in orbe, ubi vixit, Evangelii lumen effudit atque amorem Christi Redemptoris erga genus humanum est testificatus.

Humilis hic ac generosus Dei Servus in lucem editus est die 24 mensis Maii anno 1861 in oppido patrio sermone *Bourbourg* denominato, id temporis in Cameracensi, hodie vero in Insulensi dioecesi posito, a legitimis coniugibus Iulio et Felicitate Bellanger, agricolis atque ferventibus christianis, multorum filiorum parentibus. Postquam est anno 1866 patre orbatus, eius educationi consuluit mater, piissima mulier atque omni ornata virtute, quae eius indolem formavit eumque erga Eucharistiam et Virginem Mariam pietate imbuit, cui ipso baptismatis die consecratus erat. Quindecim annos natus a coxalgia, qua erat affectus, per Sanctissimae Virginis deprecationem sanatus est, sicut est dictum, quamquam per totam vitam claudicans mansit. Aliquot annos alumnus fuit ephebei Sancti Bertini in urbe *Saint-Omer*. Anno 1879 ingressus est in seminarium Atrebatense, in quo diligenter se ad sacerdotium praeparavit eminuitque appetitione sanctitatis necnon studiorum sedulitate, ad quae non videtur fuisse peculiariter idoneus. Presbyter ordinatus die 12 mensis Iulii anno 1885, Christi eiusque Matris amori dif-

fundendo statuit operam dare ac saluti animarum persequendae, pariterque vivere, pati et mori pro sola gloria Dei. Forti cum voluntate atque deprecationis auxilio suis fuit propositis fidelis ac maxima cum alacritate contendit ut Dei Regnum aedificaret. Praeceptor fuit in seminario minore Atrebatensi (annis 1884-1887) et in Domo Sanctorum Angelorum (annis 1887-1890), quod ephebeum erat pro pueris amplarum familiarum, inque hoc opere explendo inopinatas ostendit didacticas facultates. Quattuordecim annos tamquam cappellanus impensum apud vexillarios Atrebatenses apostolatum explicavit, copiosos percipiens fructus spirituales. Precatio eucharistica et Marialis, bonum exemplum atque magna caritas rationes ordinariae fuerunt eius pastoralis navitatis inter milites, qui eum carissimum habuerunt. Inter eos vivebat sicut qui ministrat (cfr *Lc* 22, 27), audiens, consilia dans, solada afferens, ad fidem educans, ad legis Dei observantiam atque ad exsecutionem officiorum erga religionem et patriam. Pietatem in Eucharistiam et crebram Communionem fovit, utque adorationi Sanctissimi Sacramenti atque precationi personali faveret sacellum pro militibus aperuit anno 1890. Deinceps Beatae Virginis Mariae a Bono Consilio imaginem proposuit venerandam militesque Mariam invocare cum filiorum fiducia assuefecit. Precationum quoque contentionem provexit ut Dei Matris regnum adveniret in mundum universum, ac praesertim in militum corda. Praeter cetera Legionem instituit Sancti Mauritii, constantem ex coetu selecto, qui fermentum christianum esset in ambitu militum, et anno 1899 molitus est motum precum ad gratias solvendas Beatae Virgini Mariae pro donis Galliae datis per unde vicesimum saeculum.

Interim Congregationem cognoverat Fratrum (hodie Religiosorum) Sancti Vincentii a Paulo, anno 1845 conditam a Servo Dei Ioanne Leone Le Prévost (f 1874), eo consilio, ut rursus societatem evangelizaret atque gravibus quaestionibus socialibus christianam daret responsionem. Quandoquidem vitam contemplativam cupiebat cum apostolatu temperare erga coetus sociales egeniores et erga milites, Georgius Bellanger in illud statuit ingredi Institutum religiosum, sed duos annos debuit exspectare antequam ei episcopus dioecesanus assentiretur: quod quidem fecit, ea tamen condicione, ut ministerium pastorale inter milites pergeret explicare. Mense Maio anno 1896 intra vit inter Fratres Sancti Vincentii a Paulo et, novitiatu peracto, professionem emisit temporaneam postridie calendas Iulias anno 1898. Phthisi correptus in familiam rediit ut se curaret; postea, sanatus, est a superioribus novitiorum magister nominatus. Anno 1901 vota perpetua susce-

pit atque eodem anno, legibus Gallicis in Instituta religiosa infestis astrictus est ad migrandum in Belgium una cum novitiis. Paucis post mensibus, propter labores quos pro sua Congregatione obierat proque Regno Dei, denuo eius morbus emersit: quocirca medici iussu, pridie idus Apriles anno 1902 fuit ei officium magistri novitiorum deponendum et, ut se curaret, rursus ad familiam se recepit in oppidum *Monile* appellatum.

Phthisis crux, patienter et cum amore portata, consummatio fuit vitae omnino imitationi Christi et servitio Dei atque animarum consecratae. Suae vocationi suoque muneri fidelis ambulavit cum Deo atque est sine intermissione progressus in perfectione christiana, perseveranter et summa cum sedulitate christianas exercens virtutes: re vera fides lux fuit eius sacerdotii vehementisque eius pastoralis industriae. Firmiter revelationi divinae est assensus atque Ecclesiae magisterio prompteque Dei et superiorum voluntati oboedivit. Liturgia, eucharistica et Marialis precatio, veritatum aeternarum meditatio animae eius et apostolatus nutrimentum fuerunt. Consecratio Mariae facta secundum spiritum Sancti Aloisii Mariae Grignion de Montfort magnum habuit momentum in eius personalem sanctificationem inque eius apostolicos labores. Vehemens in Dominum amor eum ad laborandum impulit diu noctuque pro eius gloria, ad sancte celebranda divina mysteria, ad assiduo ministrandum Paenitentiae Sacramentum, ad serendum ubique bonum Evangelii semen atque catholicae doctrinae, ad se castigandum quo docilius usque fieret in manibus Dei instrumentum. Christo servivit in persona militum, indigentium, humilium et peccatorum, de quorum conversione summopere sollicitus fuit. Omniaque cum prudentia fecit, perseverantia, amabilitate et humilitate. Extemporalitates vitabat in consiliis capiendis, in praedicatione, in moderatione spirituali et, non suis confisus viribus, continenter divina lumina petebat. Iustus fuit erga Deum et erga proximos, diligens et exactus in muneribus cotidianis exsequendis, sincerus, temperans, pauper, oboediens, castus. Cum spem suam in Domino collocavisset, patiens fuit in morbo et fortis in difficultatibus in quas incidit in suo munere perficiendo. Ab hoc mundo alienus, vitam aeternam appetì vit, quam est consecutus die 16 mensis Augusti anno 1902, a caris suis dilectus et insignis fama sanctitatis.

Beatificationis et canonizationis Causa inita est apud Curiam Atrebatensem per celebrationem Processus Ordinarii (annis 1938-1941). Anno 1972 promulgatum est decretum super Causae Introductione; postea Causa commissa est Officio Historico-Hagiographico Congregationis de Causis Sancto-

rum ad praeparandam *Positionem* super virtutibus. Die 20 mensis Decembris anno 1988 sessio habita est Consultorum Historicorum et, perfecta *Positione,* ex more inquisitum est an Dei Servus heroum in modum virtutes coluisset. Die 24 mensis Martii anno 1998 actus est, prospero cum eventu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Die 20 subsequentis mensis Octobris Patres Cardinales et Episcopi, in Sessionem Ordinariam congregati, Causae Ponente Excellentissimo Domino Aloisio Barbarito, Archiepiscopo titulari Florentinensi, confessi sunt sacerdotem Georgium Bellanger virtutes théologales, cardinales et iis adnexas ut heroas addecet explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more con vocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Georgii Bellanger, Sacerdotis Congregationis Religiosorum Sancti Vincentii a Paulo, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

£8 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. S S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

BRIXIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Archangeli Tadini sacerdotis dioecesis Brixiensis et parochi fundatoris Congregationis Sororum Operariarum a S. Domo Nazaretana (1846-1912)

DECRETUM SUPER VIRTUTIRUS

« Mundus repetit et exposcit a nobis vitae simplicitatem, precandi habitum, caritatem in omnes, praesertim erga parvulos et pauperes, oboedientiam et humilitatem, nostri oblivionem et renuntiationem. Hac sanctitatis nota deficiente, sermo noster difficulter permanabit ad cor hominum huius temporis: in discrimen ponitur, ut reducatur ad vanum et irritum » (Paulus VI, Adhort. Apost. *Evangelii nuntiandi,* 76: *AAS* LXVIII [1976], p. 68).

Summi Pontificis Pauli VI verba voci respondent Concilii Vaticani II, quod docet: « Ipsa autem sanctitas presbyterorum ad proprium ministerium fructuose complendum plurimum confert » (Decretum de Presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis,* 12).

De his rebus admodum certus fuit etiam sacerdos Archangelus Tadini, qui in via sanctitatis cum fervore ambulavit et fructuosam explicavit actionem pastoralem pro communitate paroeciali sibi concredita, peculiarem curam ostendens progressionis humanae atque christianae mundi operarii feminini.

Generosus hic pastor in lucem editus est in oppido vulgari sermone appellato *Verolanuova,* intra fines posito dioecesis Brixiensis, die 12 mensis Octobris anno 1846. Pater eius Petrus Iosephus Tadini, secretarius municipalis, viduus factus septemque habens filios puerilis aetatis, matrimonium iniit cum affini Antonia Gadola, Servi Dei matre, qui sex post ortum dies est baptizatus.

In familia solida est imbutus christiana educatione et in oppido ubi natus est ludum cum profectu frequentavit, proclivitatem ostendens ad studia, quae est Leucere prosecutus. Pater eum advocatum esse cupiebat, ipse sibi fìngebat curriculum machinatoris; Deus autem eum ad sacerdotium vocavit. Anno 1865 igitur Seminarium dioecesanum est ingressus Brixiense et, quamvis incommoda uteretur valetudine, magna cum diligentia firmaque voluntate ad presbyteratum se praeparavit, qui est ei collatus die 19 mensis Iunii anno 1870.

Ut vires recuperaret annum versatus est in familia, sed deses non mansit, cum sui ministerii primitias offerret paroeciae, quae eum ad fidem educaverat. Praesertim precationi se dedidit et studio, quandoquidem — sicut ipse aiebat — precatio est hominis vis et pietas contemplativa est presbyteri oculus dexter, sinister vero oculus est studium. Fuit postea vicarius cooperator in oppido vulgo denominato *Lodrino* (annis 1871-1873) et deinceps Sanctuarii Sanctae Mariae a Nuce (annis 1873-1885), ubi impensum explevit apostolatum et ecclesiam amplificavit atque exorna vit, illorum incolarum sibi existimationem concilians.

Anno 1885 Episcopus dioecesanus, Dominus Iacobus Maria Corna Pellegrini, eum misit ad pagum vernáculo sermone vocatum *Botticino Sera,* ut auxilio esset paroeho infirmo, in cuius locum successit tamquam oeconomus spiritalis et postea tamquam archipresbyter-parochus (anno 1887). Usque ad mortem, suam impendit vitam pro communitate illa paroeciali, quam vias Dei docuit et cui Redemptionis bona est largitus. Minister fuit assiduus, indefatigabilis, clarus et efficax verbi Dei; amorem Iesu Christi et cognitionem fovit, legum Dei et Ecclesiae observantiam conatusque est peccata, vitia et intemperantias morales exstirpare. Affirmavit: « Legatus sum pauper... tota scientia mea est crux, tota mea vis stola». Una cum catechesi liturgica et sacramentali sedulo institutionem christianam puerorum, iuvenum, desponsorum, adultorum curavit. Existimatus et quaesitus est uti consiliator atque confessarius, quamquam indole esset austeras et taciturnus. Pro pueris oratorium paroeciale provexit et pro puellis consociationem Filiarum Mariae atque Institutum Filiarum Sanctae Angelae Merici, renovatum illis annis a Venerabilibus Servis Dei Magdalena et Elisabetha Girelli. Credidit de munere institutorio parentum: « Pater — aiebat — sortes praeparat filiorum et filii, vicissim, sortes formant eorum qui venturi sunt. Societas ergo ex patribus pendet et matribus. Praesentia in se continent futura ». Favit Tertio Ordini Franciscali, cantum sacrum provexit et ecclesiae decus.

Ad pauperum et operariorum necessitates attentus, de iis curam adhibuit. Consociationem instituit ad suppetias mutuo ferendas atque multis corporis et animi viribus est usus in exstruenda officina filis deducendis inque eadem dirigenda, quam ad effectum adducere voluit ut puellis suae paroeciae et vicorum vicinorum compararet non solum panem cotidianum, verum etiam rerum locorumque adiuncta moraliter sana, in quibus earum dignitas mulierum, christianarum et operariarum nec offenderetur nec indi-

gne iniuria afficeretur. Haec opera causa ei fuit molestiarum et aegritudinum. Ad ultimum illa locanda ei fuit aliis, fine tamen servato ad quem eam condiderat.

Pro multis feminis operariis quae ex locis finitimis ad officinam filis deducendis ibant opus iacturae convictus sedem aedificavit cum mensa et dormitorio atque anno 1900, consilio fruitus et adiutorio P. Maffei Franzini, S.I. (qui annis vixit 1857-1928), condidit Congregationem Sororum Operariarum a Sancta Domo Nazaretana, quae initio constabat ex aliquibus Filiis Sanctae Angelae Merici, inter quas Romana Maffeis (1857-1910), quae Instituti futura erat prima Antistita generalis. Communitas, cui Deus benedixerat, sedulo a Conditore recta, celeriter aucta est. Hoc quoque inceptum praestans factum est paupertate atque incommodis et difficultatibus fecundata, quae, sicut scripsit ipse Servus Dei, « omnis generis fuerunt, omnis formae, omnis momenti; undique venerunt, ex iis unde exspectabantur et ex iis unde non exspectabantur ». Ita irroratum Opus fundatum altas egit radices, sed nonnisi anno 1931 approbationem habuit dioecesanam, eum Pater iam plures annos mortuus erat. Attamen, tempore quo ipse suum rexit Opus, nisus est transfundere in illud spiritum Litterarum Encyclicarum « Rerum Novarum » Leonis XIII ac docili iuvenique communitati solidam vitam spiritalem et amorem laboris, sacrificii, paenitentiae instillare. Sorores suas adhortatus est ad imitandas Sanctae Familiae Nazarethanae virtutes utque fierent operariae inter operarías, in ambitu laboris effundentes Evangelii lumen atque christianae caritatis odorem; earum finis — affirmavit in scripto anni 1909 — est ut « fabricas et officinas ad quaestuosam industriam pertinentes ingrediantur non tantum ad dirigendum et inspiciendum, quantum ad laborandum una cum operariis mulieribus, ipsae operariae factae ».

His aliisque inceptis Servus Dei vitam populi religiosam excitavit et aluit, aedificando Regno Christi operam dedit splendidumque exhibuit caritatis pastoralis testimonium. Namque, pro suae communitatis paroecialis bono proque animarum salute paratus erat ad se devovendum, et erga omnes pater fuit sollicitus ac generosus, etiamsi severas apparebat. Praesertim pauperes, aegroti, dolentes, familiae in difficultatibus versantes, ii qui illum reprehendebant eique adversabantur, migratores, operariae eius officinae filis deducendis, eius Instituti Sorores, sacerdotes fratres sodales et superiores ecclesiastici diversis modis eius cordis bonitatem eiusque sacerdotalis animi magnitudinem experti sunt.

Apostolicum suum ardorem et amorem in proximum ferventi caritate erga Deum nutrivit, pia Eucharistiae celebratione, sacramentorum et rerum divinarum, meditatione, precatione, pietate erga Sacrum Cor Iesu et Virginem Mariam, quo fidelium pietatem direxit. Ipsa pastoralia negotia fuerunt ei, sicut iustum est, praestans ratio progrediendi in imitatione Christi et idcirco in perfectione sacerdotali. Solam quaesivit Dei gloriam, cum facilitate et gaudio spiritali Eius voluntatem fecit, peccatum fugit, bonum fovit, cum humilitate cumque spiritu sacrificii Ecclesiae servivit. Homo Dei, non suis est fisus viribus, sed gratiae efficacia et auxilio Providentiae. A rebus terrenis alienus fuit, a rebus inanibus mundi, temperans, suo muneri fidelis, patiens in rebus adversis, fortis in angustiis et in infirmitatibus, misericors, prudens, castus, iustus, superioribus obsequens, animosus et sancte audax in condenda officina filis deducendis et Congregatione Sororum Operariarum.

Fide illuminatus ambulavit cum Deo ab aetate puerili usque ad exitum dierum suorum. Die dominica Palmarum anno 1912, inter homiliam, ad Crucifixum se convertens suamque imminentem mortem prophetizans, dixit: « O Crux sancta, quam fortasse extrema mea hora amplecti non poterò nec osculari, veniam nunc a te peto pro illa hora omnium peccatorum meorum, nunc te ad pectus premo, quia te non premere poterò tempore mortis meae ». Post duos menses, die 20 mensis Maii, fama sanctitatis insignis, obdormivit in Domino.

Annis, qui sunt eius mortem secuti, Institutum Sororum Operariarum per multas transiit difficultates, quandoquidem novus superior ecclesiasticus nisus est eius finem mutare et Conditoris memoriam delere; sed veritas et iustitia vicerunt atque Sorores demum ad originum spiritum redierunt et super suae venerationis candelabrum Patrem suum et Magistrum collocare potuerunt.

Cum fama sanctitatis cresceret et solidaretur, Episcopus Brixiensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per celebrationem Processus ordinarii informativi (annis 1960-1963), cui additus est Processus additicius, quorum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 27 mensis Octobris anno 1989 promulgato. *Positione* confecta, disceptatum est, ex more, utrum Servus Dei heroum in modum virtutes coluisset an non. Die mensis Iunii 16 anno 1998, prospero cum exitu actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales porro atque Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 17 mensis Novembris subsequentis, Causae Ponente Excellentissimo Domino Andrea Maria Erba,

Episcopo Veliterno-Signino, professi sunt sacerdotem Archangelum Tadini, sicut heroas decet virtutes théologales, cardinales et iis adnexas observavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Archangeli Tadini, Sacerdotis Dioecesis Brixiensis et Parochi, Fundatoris Congregationis Sororum Operariarum a Sancta Domo Nazaretana, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

& IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CALARITANA

Beatificationis et-Canonizationis Ven. Servi Dei Nicolai a Gesturi (in saec.: Ioannis Medda) laici professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum (1882-1958)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Nicolaus a Gesturi (in saeculo: Ioannes Medda), in vitam venit nonis Augustis anno 1882 in illo viculo provinciae Calaritanae, in archidioecesi Arborensi sito. Parentibus orbatus, tredecim annos natus in ministerio fuit divitis possessoris. Anno 1911 est Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum ingressus. Facta professione religiosa, est ei commissum munus mendici, quo est functus 44 annos summa cum humilitate

ac spiritu sacrificii, bonum Christi odorem ubique effundens atque populum salutariter afficiens, qui eum adibat tamquam verum Dei hominem. Magna et firma fama sanctitatis clarus, in Domino obdormivit die 8 mensis Iunii anno 1958.

Beatificationis et canonizationis Causa inita est anno 1966 apud Curiam Calaritanam. Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 25 mensis Iunii anno 1996, declaravit Servum Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales et his adnexas coluisse.

Deinde Causae Postulatio iudicio Congregationis de Causis Sanctorum permisit Valeriae Atzori coniectam miram sanationem, quae praemature orta est, tertia et vicesima praegnationis hebdomada, die 21 mensis Ianuarii anno 1986. Inde ab initio parum spei fuit eam superstitem esse futuram. In ortu namque omnino effutitum est « de exspulsione fetus sexus feminini vivi pondo pendentis 550 grammata ». Postquam est translata apud Institutum Puerorum Culturae et Pathologiae neonatalis Universitatis Calaritanae et repertae sunt condiciones generales gravissimae, quippe cum maximus esset gradus praematuritatis. Medici pro certo habentes modo natae prognosim infaustam esse, statuerunt nullum aliud auxilium efficere, quam incubatricis nec alia uti curatione. Sed, cum post duodecim horas ab ortu adhuc pupula viva esset, composita est ratio interventuum per therapiam efficaciorem, qui tamen cum accuratione perfici non potuerunt ob difficultates in natura positas, cum praematuritate pusae Valeriae coniunctas. Contagiones additae sunt, quae sunt inde a decimo die post ortum secutae et exstitit etiam gravis osteoporosis. Cum res sic se haberent, pupulae parentes auxilium divinum invocaverunt per intercessionem Servi Dei Nicolai a Gesturi, cuius imago posita est in incubatrice, ubi erat Valeria. Quamvis medicorum prognosis infausta esset, puellula non tantum supervixit, verum et crevit sine ullo postumo pathologico, sicut cognosci potuit secutis annis.

Felix eventus conclusio una voce intercessioni ascripta est Venerabilis Nicolai a Gesturi. Quapropter Archiepiscopus Calaritanus anno 1989 Inquisitionem instruxit dioecesanam, quae est a Congregatione de Causis Sanctorum probata per decretum die 24 mensis Martii promulgatum anno 1995. Dicasterii Collegium Medicorum, in sessione die 22 mensis Ianuarii anno 1998 habita, edixit sanationem completam fuisse, mansuram et sine postumis eandemque sanationem et clinicum processum eius casus ex scientia in sua universitate esse inexplicabiles. Die 5 mensis Maii eodem anno actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris atque die 10 subsequentis

mensis Novembris facta, est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Fiorino Tagliaferri, Episcopo emerito Viterbiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Nicolao a Gesturi (in saec.: Ioanne Medda), Laico professo Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, videlicet de completa, mansura et sine postumis sanatione Valeriae Atzori « neonata fortemente immatura, di sole 23 settimane di gravidanza, di peso corporeo estremamente basso, con atelettasia ed enfisema interstiziale; insufficienza respiratoria cronica con molteplici arresti respiratori, 12 dei quali prolungati e accompagnati da arresto cardiaco; grave osteoporosi con frattura spontanea del polso sinistro e grave sepsi streptococcica intercorrente ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

£8 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. **£8** S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

COLONIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Firmini Wickenhäuser (in saec.: Iosephi) laici professi Ordinis Fratrum Minorum (1876-1939)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Quaerite Dominum et potentiam eius, quaerite faciem eius semper » *(Ps* 105, 4).

Mente et corde fide illuminatus, Firminus Wickenhäuser Evangelii viam alacriter percucurrit et, Christum pauperem et humilem secutus,

vultus Dei contemplationem est consecutus, qui beatitudinis est fons et culmen.

Dignus hic Sancti Francisci Asisinatis discipulus in vitam venit die 19 mensis Ianuarii anno 1876 in viculo patrio sermone dicto *Massenbachhausen,* in dioecesi Rottenburgensi posito, a Ioanne Adamo Wickenhäuser, pastore ovium, et ab Elisabetha Merkle, qui ei ad baptismalem fontem nomen indiderunt Iosephum. Inde a pueritia est paupertatem expertus et, rigida familiae disciplina ductus, oboedientiam parentibus didicit, legis Dei observantiam atque caritatis usum. Piae matris exemplum, quae cotidie intererat Missae, studium aluit in animo eius liturgicarum celebrationum et precationis. Diligenter ac fructuose ludum frequentavit, inter condiscipulos eminens spiritu miti et pacificatorio. Coepit deinde manibus suis quae sunt ad vivendum necessaria parare ac, praesertim mortuo patre, utili auxilio matri factus est. Sedecim annos natus in scholam intravit noti magistri lapicidae in oppido vulgo denominato *Kirchhardt,* ubi percurrere perrexit vias Dei, eius artis cognitioni se dedens atque religionibus. Anno 1895 tirocinio peracto, opus obiit in officina monumentorum funebrium Stutgardiae ibique artem didicit statuariam, ad quam peculiariter aptus erat. Ex more illis quoque annis incorruptus fuit in moribus; immo, altiorem cum appeteret perfectionem, votum privatum suscepit castitatis atque nomen professus est in Tertium Ordinem Sancti Francisci. Nonnullis in Germanicis urbibus in opere fuit dum etiam matre orbatus et omni personarum ac rerum amore expeditus, omnia reliquit et calendis Maiis anno 1906 ingressus est tamquam frater laicus Ordinem Fratrum Minorum in domum loci *Harrefeld* sermone vernáculo appellati. Habitum religiosum sibi induit, nomen cepit Fratrem Firminum et anno 1912, peracto novitiatu, vota simplicia concepit, quae-aliquot post annos sollemnia secuta sunt. Priore totius orbis terrarum bello officia praestitit tamquam infirmorum minister voluntarius Ordinis Melitensis et ex voluntate superiorum militarium, qui eius ingenium ad artem proclive magni faciebant, aliquas sculpturas confecit, summo officio non neglecto in se ipso effingendi Domini Iesu imaginem. Bello confecto ad domum rediit Dusseldorpiensem, in qua usque ad mortem vixit muneribus saltuatim fungens ianitoris, aeditui, munditiarum curatoris atque stabiliter artis statuariae. Nonnullas fecit statuas ad res religiosas pertinentes et iussus est etiam ecclesiam restaurare Sancti Apollinaris Rigomagensis apud Bonnam. Statuariae se dedidit cum humilitate atque alacritate et eo consilio, ut gloriam Deo redderet, religioni serviret ac superioribus oboediret, quorum normas est semper fideliter secutus.

ma genuit subtercutaneum et pneumathoracem in dextero latere; quam ob rem arteriae asperae sectio facta est. Postea duae contigerunt cordis vasorumque intermissiones. Ob varias perturbationes quae evenerant, curantes affirmaverunt prognosim esse quam maxime suspensam quoad vitam. Hinc Sorores a Sancta Martha, quae puellulam noverant, quippe cum scholae earum in urbe Valle Paradisi esset alumna, die 10 mensis Novembris auxilium divinum coeperunt invocare per intercessionem Servi Dei Thomae Reggio, suae Congregationis conditorem. Singulae et communiter in invocationibus perseveraverant, donec post nonnullas hebdomadas, ratione secundum scientiam inexplicabili infirmae condiciones se reficere inceperunt usque ad perfectam sanationem.

De hoc casu anno 1995, apud Curiam Vallis Paradisi, celebrata est Inquisitio dioecesana, quae a Congregatione de Causis Sanctorum est probata decreto die 18 mensis Octobris anno 1996 promulgato. Dicasterii Collegium Medicorum in sessione habita die 29 mensis Ianuarii anno 1998 una voce affirmavit sanationem celerem fuisse, completam, stabilem et sine effectibus postumis atque definivit plenam recuperationem sine signis postumis post gravissimas implicationes quae contigerant, esse ex scientia inexplicabilem. Die 5 mensis Maii eodem anno Congressus Peculiaris actus est Consultorum Theologorum ac pridie subsequentes nonas Octobres Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Ioanne Canestri. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Thoma Reggio, Archiepiscopo Ianuensi, Fundatore Congregationis Sororum a Sancta Martha, videlicet de celeri, completa, stabili et sine effectibus postumis a « sindrome poliradicolonevritica di Guillain-Barré, con dissociazione albumino-citologica, paralisi ascendente con interessamento dei nervi cranici, tetraplegia, insufficienza respiratoria prolungata, due arresti cardiaci, enfisema sottocutaneo e altre complicazioni polmonari infettive ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

SB IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

SB Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MONTIS REGALIS

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Teresiae a Iesu (in saec.: Blasiae Cortimiglia) fundatricis instituti sororum Franciscanum a S. Clara (1867-1934)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« In iustificationibus tuis delectabor, non obliviscar sermonem tuum » *(Ps* 118, 16).

Dei Serva Maria Teresia a Iesu inde a pueritia intimam cum Domino coniunctionem coluit suumque collocavit gaudium in exsequenda prompte atque fideliter eius voluntate, ambulans in via Evangelii et se amanter tradens christianae educationi iuventutis, pro qua novam condidit congregationem religiosam.

Mulier haec simplex et generosa in lucem edita est in oppido lingua vernacula denominato *Corleone,* intra fines posito archidioecesis Montis Regalis, mensis Februarii die 7 anno 1867, ab Antonio Cortimiglia et Maria Giammanco, legitimis coniugibus sincera fide christiana praeditis et opulentis, qui ad fontem baptismalem nomem ei Blasiam indiderunt. Tres annos nata, est orbata patre; quocirca una cum iuveni matre ac fratre ad avos maternos se recepit. Domi est excellenti educatione religiosa instructa et munia domestica exsequi didicit. Pueriles fugiebat iocos ac diligenter in studium incumbebat, in precationem inque opera caritatis. Doctrinam christianam bene didicit et cum laetitia atque pietate coepit se assiduo alere Pane eucharistico. Ludo peracto, incepit Institutum frequentare, ubi nonnullae puellae receptae erant parentibus orbae, quas tutabantur moniales quondam Clarenses, quae astrictae erant domum suam religiosam relinquere propter Ordinum religiosorum abolitionem a Potestatibus Italicis effectam. Cum vitam appeteret consecratam, anno 1882, confessario consentiente privatim votum fecit castitatis perpetuae atque, caritate incensa, in deprecatione progressa est et in oboedientia Deo. Eius ardenti

ac firmo studio ingrediendi Institutum religiosum familiares restiterunt, qui tamen ei permiserunt habitum Clarensem induere, sed domi manenti. Res approbata est ab Archiepiscopo Montis Regalis et cum sollemnitate vestitio facta est anno 1891. Eiusmodi experientia non diu duravit, quandoquidem anno 1895 suam potuit appetitionem explere, ingressa inter Sorores a Misericordia et Cruce, quae ad oppidum *Corleone* venerant ut senibus egenis illius loci assiduitatem praeberent. Serva Dei in iuvenem Congregationem accepta est ab ipsa Conditrice Matre Maria Rosa Zangara (1846-1914); post tres menses vestem induit religiosam et non multo post vota sacra suscepit factaque est antistita Domus oppidi *Corleone*. Hoc iuncta est munere magna cum peritia, diligentia ac sacrificio spiritus aliis etiam locis, nempe Halicyis, Emporio Segestanorum, Sanctae Catharinae Villarmosa, Monte Leporis, oppido *S. Giovanni La Punta* et Hyccaris. Hoc prorsus in loco anno 1901 mori periclitata est ob veneficium a medicinis: pharmacopolae error hic fuisse videtur. Post hunc casum superiores eam ad familiam miserunt, ut se reficeret. Hoc sane tempore, a Patre Stanislao Maria Restivo, sodali Tertii Ordinis Regularis Sancti Francisci sollicitata, die mensis Martii 19, anno 1903, Institutum condidit Sororum Franciscanum a Sancta Clara, quae puellas curarent in orbitate degentes, humanam et christianam progressionem puellarum proveherent atque christianam docerent doctrinam. Primi huius Instituti gressus non faciles fuerunt propter inopiam, aerem nonnullorum ecclesiasticorum repugnantiam et primarum sociarum defectionem, quae paupertati et oboedientiae non restiterunt. Opus tamen, sacrificiis fecundatum et precationibus, a Deo adiutum crevit. Archiepiscopus Montis Regalis, Excellentissimus Dominus Dominicus Gaspar Lancia di Brolo, anno 1904, permisit ut fierent primae vestitiones religiosae, eiusque successor, Venerabilis Servus Dei Antonius Augustus Intrecciargli, anno 1922 Constitutiones approbavit ad experimentum; die 9 mensis Aprilis subsequentis Conditrix vota fecit religiosa et calendis Aprilibus anno 1923 est Institutum canonice fundatum.

Dei Serva, quae egregiis mentis et cordis facultatibus erat ornata, Congregationem suam intellegentia rexit, prudentia atque materno spiritu et fortitudine. Curam adhibuit de Sororum formatione, de educatione iuventutis, de assiduitate pauperibus praebenda, de vocationibus sacerdotalibus, instituto quodam praeseminario in quod admittebantur pueri, qui aliquam ad sacerdotium propensionem ostendere videbantur. Benigne nisa est pro filiabus suis spiritualibus proque iis, quotquot eam cognoverunt, continua praebens evangelio atque suae consecrationi specimina fidelitatis. Spiritus fidei et obsequii erga voluntatem Dei, in paupertate, praesertim initio Instituti, et in rebus adversis, quae interdum calumniis proximae fuerunt, effulsit in ea. Boni proximorum et salutis animarum ardore flagrans, Mater Maria Teresia dolorum omnium in-

commoda accipere voluit: parvarum orphanarum, pauperum, aegrotorum, in carceribus inclusorum ac omne genus miserorum. In casibus apertae violationis legis Dei, sicut cum de odiis agebatur quae familias dividebant, de coniugum separationibus, de iniustitiis, uti quaestibus immodicis contra operarios, de turpibus contuberniis, summa cum caritate, prudentia et firmitate se interponebat, precabatur atque paenitentias corporales statuebat sibi, et quasi semper par fuit condicionibus corrigendis molestis, quae fortasse multos iam annos durabant. Christi exemplum secuta, cor plenum habuit amoris Dei ac dolentium. Calumniatoribus suis ignovit, tuguria ingressa est ut aegros consolaretur et derelictos, quia morbis affectos contagiosis et insanabilibus, ut in carceribus inclusorum famem expleret; vestiarium praeparabat pro pueris recens natis perpauperum familiarum; ostiatim stipem emendicare non erubescebat ut pauperibus succurreret, improbationum et irrisionum neglegens. Caritas eam adduxit ad se devovendam sponte victimam pro conversione peccatorum. Fontes eius inexhaustae spiritalis contentionis pariterque apostolicae, deprecatio fuerant, pietas in Eucharistiam ac Matrem Redemptoris, meditatio, praesertim Passionis et Mortis Christi, constans ascetica diligentia, sollicitudo de Regno Dei, magna progrediendi in sanctitate cupiditas. Exemplari modo Constitutiones observavit Instituti sui; oboediens fuit auctoritatibus ecclesiasticis et civilibus; consilium petebat antequam consulta caperet alicuius momenti. Spei plena fuit in Providentia atque in misericordia Domini, fortis in difficultatibus, patiens in morbis, in terrestrium bonorum usu temperans, erga Deum et proximos iusta, in sensibus inque verbis et moribus casta. Vitae extremos menses vixit in doloris altari et sancte se ad mortem praeparavit. Ter sanctissimo nomine Iesu mussato, in aeternitatem intravit, die 1 mensis Iunii anno 1934, a sua Communitate dilecta atque clara solida fama sanctitatis, quae secutis annis perduravit.

Causa beatificationis et canonizationis instructa est apud Curiam Montis Regalis celebrato, annis 1961-1978, Processu ordinario informativo, qui a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 15 mensis Septembris anno 1989 promulgatum est rite probatus. Confecta *Positione,* disceptatum est ex norma an Serva Dei heroum in modum virtutes coluisset. Die 9 mensis Iunii anno 1998 actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, qui id affirmaverunt. Deinde Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria habita die 17 mensis Novembris secuti, Causae Ponente Excellentissimo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano, professi sunt Servam Dei Mariam Teresiam a Iesu Cortimiglia ut heroas addecet virtutes théologales, cardinales iisque adnexas explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congrega-

tionis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Teresiae a Iesu (in saec.: Blasiae Cortimiglia), Fundatricis Sororum Franciscanum a S. Clara, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

ffi **IOSEPHUS SARAIVA MARTINS**
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

LfflS.

£B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

NATALENSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servorum Dei Andreae De Soveral et Ambrosii Francisci Ferro sacerdotum dioecesanorum et XXVIII sociorum (f 1645)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Vobis hoc datum est, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini idem certamen habentes» *(Philp* 1, 29).

Una cum fidei dono, ex qua cotidie humiliter vixerunt, Andreas de Soveral, Ambrosius Franciscus Ferro eorumque Socii, a Deo gratiam etiam acceperunt et privilegium suam fidelitatem testificandi suumque amorem erga Iesum Christum sanguine effuso. Eorum sacrificium, quod semen christianorum fuit in terra Brasiliensi, factum est in regione Rivi Magni Australis a schismaticis Nederlandiensibus, ab aliquibus loci indigenis adiutis.

Horum Ecclesiae Catholicae intrepidorum filiorum globus prior martyrii coronam consecutus est postridie idus Iulias anno 1645 in loco denominato *Cunhaú,* in praesenti archidioecesi Natalensi, dum celebrationi Missae dominico die intererat, cui praesidebat parochus Andreas de Soveral. Post panis et vini con-

secrationem sicarii ex improviso, clausis ianuis omnique egressu ex ecclesia, occidere coeperunt quotquot erant ibi conclausi. Fideles, sicut agni ad internecionem ducti, minime restiterunt, immo, divina invocata misericordia, omnes animose mortem obierunt. Illarum victimarum sola nomina cognoscimus parochi, Andreae de Soveral, qui non solum vitam pro fide immolavit, sed est etiam fideles adhortatus ut idem facerent, atque laici Dominici Carvalho.

Alter martyrum globus fuit priore frequentior suumque dedit testimonium die 3 mensis Octobris eodem anno in loco appellato *Uruaçu,* qui a Natalia pauca milia passuum aberat. Acerbissimis cruciatibus toleratis mira cum fortitudine et misericordiae spiritu, omnique condicione reiecta a fide catholica discedendi, praemium aeternum sunt consecuti. Etiam quod ad hunc globum pertinet, constantem ex viris, mulieribus et pueris, saepe inter se consanguinitate coniunctis, aliqua tantummodo nomina tradita sunt et nonnullae notitiae, quae et eorum vitam testantur atque eorum sacrificium.

Hi fuerunt: Sacerdos Ambrosius Franciscus Ferro, Antonius Vilela iunior, Iosephus do Porto, Franciscus de Bastos, Didacus Pereira, Ioannes Lostau Navarro, Antonius Vilela Cid, Stephanus Machado de Miranda, Vincentius de Souza Pereira, Franciscus Mendes Pereira, Ioannes da Silveira, Simon Correia, Antonius Baracho, Matthaeus Moreira, Ioannes Martins, Emmanuel Rodrigues Moura et sua uxor, una ex filiabus Antonii Vilela iunioris, una ex filiabus Francisci Dias iunioris, septem iuvenes socii Ioannis Martins, duae filiae Stephani de Miranda.

Ex instrumentis historicis, apparet hos triginta Servos Dei esse ilico habitos veros martyres fidei hancque famam numquam traductione temporis defecisse. Quin, praesertim cura Excellentissimi Marcolini Esmeraldi de Souza Dantas, Episcopi Natalensis, martyrii fama et popularis in eos veneratio est singulariter hoc saeculo aucta et confirmata. Beatificationis Causa seu Declarationis martyrii inita est apud Curiam archiepiscopalem Natalensem per celebrationem, annis 1989-1994, Inquisitionis dioecesanae, cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 25 mensis Novembris anno 1994 promulgato. Die 28 mensis Octobris anno 1997 habita est sessio Consultorum Historicorum et die 23 mensis Iunii anno 1998 actus est, exitu cum prospero, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales porro et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 10 subsequentis mensis Novembris facta, Causae Ponente Excellentissimo Domino Mario Rizzi, Archiepiscopo titulari Balneoregiensi, confessi sunt mortem horum Servorum Dei, qui sunt supra memorati, verum fuisse martyrium.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Andreae de Soveral et Ambrosii Francisci Ferro, Sacerdotum dioecesanorum, et XXVIII Sociorum, anno 1645 interfectorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

OVETENSIS et TARRACONENSIS

Canonizationis beatorum Cyrilli Bertrandi et VIII sociorum ex instituto fratrum Scholarum Christianarum necnon Innocentii ab Immaculata Conceptione sacerdotis professi e congregatione Passionis Iesu Christi martyrum (f 1934, 1937)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Multis Christi Domini asseclis, qui pro fide sanguinem fuderunt bello civili Hispanico saeviente, annumerati sunt Beati Cyrillus Bertrandus (in saeculo: Iosephus Sanz Tejedor), Marcianus Iosephus (in saeculo: Philomenus López López), Iulianus Alfredus (in saeculo: Vilfridus Fernández Zapico), Victorianus Pius (in saeculo: Claudius Bernabé Cano), Beniaminus Iulianus (in saeculo: Vincentius Alonso Andrés), Augustus Andreas (in saeculo: Romanus Martín Fernández), Benedictus a Iesu (in saeculo: Hector Valdivielso Saez), Anicetus Adolfus (in saeculo: Emmanuel Seco Gutiérrez), Instituti Fratrum Scholarum Christianarum sodales, qui in loco *Turón,* intra fines posito dioecesis Ovetensis, die 9 mensis Octobris anno 1934 interfecti sunt; quorum socius in martyrio

fuit Beatus Innocentius ab Immaculata Conceptione (in saeculo: Emmanuel Canoura Arnau), sodalis Congregationis Passionis Iesu Christi. Novem hi Dei Servi in Beatorum caelitum album relati sunt a Summo Pontifice Ioanne Paulo II die 29 mensis Aprilis anno una cum Fratre Iacobo Hilario (in saeculo: Emmanuel Barbai Cosan), qui et ipse erat Instituti Fratrum Scholarum Christianarum et vitam immolaverat pro Christo apud oppidum vernáculo sermone *Tarracore* denominatum, in dioecesi positum Tarraconensi, die 18 mensis Ianuarii anno 1937.

Horum Christi athletarum canonizationis respectu, Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit coniectam miram sanationem Raphaelae Bravo Jirón, quae viginti quinque annos nata, mense Februario anno 1989, in valetudinario Leonensi in Nicaragua subiit hysteroctomiam extra fasciam. Aliquot post dies est denuo secta propter duas haemorrhagias febri coniunctas. Ex frustorum anatomicorum inspectione histológica adenocarcinoma squamosum exstitit uteri cum colli occupatione. Fluxibus haematicis perdurantibus, curantes alteram fecerunt inspectionem et praesentem esse metastasim tumoris reppererunt, qui existimatus est « cancer uterinus tertiae classis B» in gradu iam progresso. Therapiae deinceps adhibitae in valetudinario Managuensi non sunt plene ab aegrota toleratae, ideoque intermissae sunt. Iam necroticus erat tumor atque sanguinolentus et usque ad partem osseam penetrabat. Aegrota, sciens se affectam esse cancro uterino ex gravissimis, religioso Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, hortante, incepit intercessionem invocare Venerabilium Servorum Dei Cyrilli Bertrandi eiusque praefatorum Sociorum, quos Summus Pontifex in Beatorum caelitum numerum erat relaturus Romae die 29 mensis Aprilis anno 1990. Aegrotae precibus sociatae sunt precationes Fratrum Scholarum Christianarum, familiarium atque amicorum. Vespere ultimi diei alterius sacri novendialis, seu vespere diei 29 mensis Aprilis anno 1990 est acerbis correpta doloribus in imo ventre et, sanguinis magno eiecto globo, statim melius se habuit. Perfecte sanata erat, sicut etiam subsequentes inspectiones clinicae ostenderunt.

De casu, ilico miro putato, Episcopus Leonensis in Nicaragua, anno 1992 Inquisitionem dioecesanam instruxit, quae est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto die 21 mensis Octobris anno 1993 promulgato. Dicasterii Collegium Medicorum edixit sanationem rapidam, perfectam, stabilem et secundum scientiam inexplicabilem fuisse. Die 20 mensis Martii anno 1998 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris actus est et die 20 secuti mensis Octobris Patrum Cardinalium et Episcoporum Sessio Ordinaria, Causae Ponente Exc.mo Domino Andrea Maria Erba, Episcopo Veliterno-Signino, habita est. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posi-

to dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedentibus Beatis Cyrillo Bertrando et VIII Sociis, ex Instituto Fratrum Scholarum Christianarum, necnon Innocentio ab Immaculata Conceptione, Sacerdote professo e Congregatione Passionis Iesu Christi,* **videlicet** *de rapida, perfecta ac stabili sanatione Raphaelae Bravo Jirón a «carcinoma dell'utero adenosquamoso al III stadio B in paziente di 25 anni ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

£B IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectum*

L. © S.

6B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

PARISIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ioannis Leonis Le Prévost sacerdotis fundatoris instituti Religiosorum S. Vincentii a Paulo (1803-1874)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit seipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis» *(Eph* 5,2).

Haec verba compendium esse possunt propositi vitae atque apostolatus Servi Dei Ioannis Leonis Le Prévost, qui caritatem lumen fecit apostolatus sui, id explicando, quod scripsit: « Caritas nos trahit et actione implicat sua. Caritas non errat nec in via manet: cum accensa est, oportet diffundatur, splendeat suumque longe ferat calorem. Omnia ei pro alimento sunt; ne timeamus igitur, amici cari, nec de nostra indignitate nimis cogitemus, quae saepe

nos retinet atque timidos facit. Caritas, sicut flamma, consumit et purificat» (ex epistula diei 26 mensis Augusti anni 1847).

Generosus et ardens hic Christi discipulus ortus est in Normanniae oppido *Caudebec-en-Caux*, aliquot annis post Gallicam rerum mutationem, die mensis Augusti 10 anno 1803, a Ioanne Aloisio Le Prévost et Francisca Catharina Pitel, quae secuto anno est mortua. Deinde pater in matrimonium duxit Rosaliam Duchatard, quae optima fuit Ioanni Leoni mater, strenua et sedula educatrix vivumque fidelitatis Deo eiusque legibus exemplar. Cum patre quoque esset orbatus, studia fuerunt ei relinquenda ut familiam adiuvaret ac suam hereditatis partem renuntiavit, dicens: « Mea educatio satis mihi est ».

Nonnullos annos pluribus in locis praeceptor fuit atque Noviomagi Lexoviorum, ubi cum aliquibus sacerdotibus habitavit. Tunc et ipse statuit fieri sacerdos, sed familia ei restitit; quam ob rem appetitionem suam ad effectum non adduxit. Cum Lutetiam Parisiorum migrasset, religiones aliquot annos neglexit atque necessaria ad vitam comparavit tamquam minister administrationis Negotiorum Ecclesiasticorum et Publicae Institutionis. Magnis quibusdam Gallicis scriptoribus illis annis usus est familiariter atque litteris operam dedit. Ad actionem reversus vitae christianae, in opera incubuit misericordiae et sodalis factus est iuvenum coetus qui, cum Emmanuele Bailly congregati, Societatem condiderat a Sancto Vincentio de Paul. Cognovit inter eos Beatum Fridericum Ozanam atque sicut ille Servus Dei serviendo pauperibus se dedidit et consociationi diffundendae et confirmandae. Diu praefuit Coetui Sancti Sulpitii Lutetiae Parisiorum et sodalicium instituit a Sancta Familia denominatum, eo consilio, ut familiarum pauperum formationem curaret religiosam. Christi caritate inflammatus, non paucos provexit inceptus pro variis pauperum classibus, quales fuerunt, verbi gratia, orphani, operarii, in carceribus inclusi, advenae; bibliothecam quoque pro pauperibus aperuit, reddens illam humani et spiritalis incrementi instrumentum. « Caritas — scripsit — nos movet et sollicitat; ea impellimur, tam ardenti, tam potenti; ea, quae est vis, voluntas, amor, infinitus amor, Dei amor ». Ac amorem erga Deum et proximos sapienter alebat ferventi deprecatione pietateque eucharistica atque Mariali. Omnibus matutinis ex Missae sacrificio, gratiam, vigorem et animi inflammationem hauriebat, quae in sacello celebrabatur Patrum Congregationis Missionis, pariterque ex oratione, quam Deo adhibebat apud Sancti Vincentii de Paul sepulcrum, sui caelestis Patroni. Et hoc ipso in loco est inflatu impulsus constituendi coetum apostolorum, qui operibus caritatis per totum tempus, non solum saltuatim se traderent aut tantummodo opera cotidiana confecta. Ita, gratia suffultus divi-

na, anno 1845 Institutum condidit Religiosorum Sancti Vincentii a Paulo per unum sodalem, Clementem Myionnet, qui directionem suscepit iuvenes tirones auxiliandi. Parvum semen, a Dei Servo sapienter cultum, germinavit, altas egit radices, paulatim arbor robusta factum est et copiosos edidit fructus. Initio Ioannes Leo, cum esset matrimonio coniunctus, Opus suum observavit et rexit, etsi socius non esset; namque anno 1834, aliquibus ecclesiasticis in consilium adhibitis, in matrimonium duxerat Auram Stephaniam De Lafond (annis vixit 1785-1859). Peculiare eorum matrimonium fuit; duo enim coniuges consenserunt se esse victuros simul tamquam fratrem et sororem. Orto Instituto Religiosorum Sancti Vincentii a Paulo, Servus Dei, libero cum uxoris assensu, sine impedimento potuit suam sequi viam seseque tradere omnino operibus caritatis ac Domino se consecrare. Anno 1850 parvo coetui initiali se aggregavit sacerdos quidam, nempe Servus Dei Henricus Planchat, ideoque exinde Congregatio constitit ex laicis atque sacerdotibus; post quinque annos communitas decem et septem numerabat professos, quorum tres erant sacerdotes. Mox quaestio orta est iuridicialis de Instituto fratrum ac sacerdotum religiosum laicum habente tamquam Superiore. Idcirco Servus Dei, anno 1859 viduus factus, pristinam suam sacerdotii cupiditatem sequi potuit et die 22 mensis Decembris anno 1860 est presbyter ordinatus. Uti conditor et antistes generalis, prudentibus adiuvantibus consiliatoribus, Instituti Constitutiones gradatim scripsit, quae a Sancta Sede decretum laudis obtinuit anno 1869. Cum homo humilis esset et alienas facultates observaret, suis adiutoribus et filiis spiritualibus fidem habebat atque cupiebat unumquemque suas responsabilitates excipere; scripsit: « Rursus cogitate de re et, eadem coram Deo perpensa, id facite, quod vobis ad ultimum potius videbitur; me omnino vobis committo quod ad hanc pertinet quaestionem in utramque partem ». Cum prudentia et caritate difficultates superavit, quae in via novae Familiae occurrebant religiosae omnibusque in casibus sivit se a Spiritu Sancto duci. In priore Regula scripsit: « Expedit nos dociles esse, cordium nostrorum aures aperire ut vocem eius audiamus, attentos esse ut eius sapientiae motus intellegamus minimisque impulsibus eius gratiae cedamus ». Anno 1871 infirma valetudine obstrictus est onus Congregationis Vicario Generali committere, ipseque humiliter secessit in quandam domum formationis per reliquam vitam: « Paucas vires colligo — dixit quae mihi restant ut Deum precer parvam communitatem servare in spiritu Sancti Vincentii de Paul, in magno humilitatis, simplicitatis, caritatis spiritu». Usque ad finem, voluntati Dei obsequens, in via sanctitatis est progressus, summa cum cura, perseverantia et spiritali gaudio suum sacerdotium et reli-

giosam consecrationem colens. Omnibus exemplo continuo fuit fidei vivae, inconcussae Providentiae fiduciae, patientiae ac fortitudinis in difficultatibus atque suorum munerum erga Deum ergaque proximos exsecutionis. Caritas, humilitas, mansuetudo, amabilitas, rerum mundi contemptio, morum integritas, amor in Ecclesiam, cura de Regno Christi, earum eum reddiderunt Deo et hominibus. Ipsae reprehensiones, quibus interdum Fratres ei erant corrigendi, bonitatem indicabant et urbanitatem eius animi; nemo namque offendebatur aut dolebat; unus ex eius religiosis affirmavit: « Sciebat — quod non omnibus datum est — subditos suos excitare, non tamen eos offendens ». In societate temporis sui boni Samaritani et Sancti Vincentii de Paul imaginem restituit, evangelii lumen effundendo in orbibus, qui magis iniustitia exercebantur atque paupertatibus corporis et spiritus. Et cum non suis viribus confiderei sed Caeli auxilio, suam aluit industriam impensa vita interiore atque concorditer temperavit in se actionem et contemplationem, precationem et apostolatum. Immensa eius boni iuventutis cura, operariorum et egenorum eiusque in Christo sequendo fervor, mirabile sunt etiam nunc propriae vocationi proprioque muneri fidelitatis mirum exemplum.

Suum conclusit terrenum diem totum se permittens Sacro Cordi Iesu, mensis Octobris die 30 anno 1874 estque sepultus in sacello « Domus Chaville », in Versaliensi dioecesi sito. Fama sanctitatis, qua in vita claruit, post mortem duravit; quapropter apud Curiam Parisiensem inita est beatificationis et canonizationis Causa per celebrationem Processus ordinarii informativi (annis 1937-1943), qui est a Congregatione de Causis Sanctorum rite probatus decreto die 5 promulgato mensis Iulii anno 1991. Interea id temporis Officium Historicum Hagiographicum Dicasterii instrumenta historica collegerat ad Servum Dei spectantia. Die 25 mensis Octobris anno 1988 sessio habita est Consultorum Historicorum. Die 17 mensis Martii anno 1998 Consultores Theologi, in Congressum Peculiarem congregati, affirmaverunt Servum Dei virtutes heroum in modum explicavisse. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria die 10 mensis Novembris acta eodem anno, Causae Ponente Excellentissimo Domino Aloisio Barbarito, Archiepiscopo titulari Florentinensi, agnoverunt sacerdotem Ioannem Leonem Le Prévost virtutes théologales, cardinales ut heroas addecet coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Leonis Le Prévost, Sacerdotis, Fundatoris Instituti Religiosorum S. Vincentii a Paulo, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A.D. 1998.

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. œ **S.**

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

SIBERIAE LATINORUM

De dismembratione et erectione Administrationis Apostolicae Siberiae Orientalis Latinorum

DECRETUM

Quo aptius provideretur spiritualibus necessitatibus fidelium latini ritus versantium in parte orientalis Adininistrationis Apostolicae Siberiae Latinorum, opportunum visum est, ut nova pro ipsis circumscriptio ecclesiastica erigeretur.

Quapropter Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia PP. II, de plenitudine Apostolicae potestatis, praesenti Congregationis pro Episcopis Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ab Administratione Apostolica Siberiae Latinorum separat Res publicas Foederatas: Buriati, Hakassia, Jakuzia-Saha, Tuva; Regiones: Amur, Cita (cum Dicione autonoma vulgo « Buriato di Aginsloje), Irkutsk (cum Dicione autonoma vulgo «Buriato di Ust-Orda»), Kamchatka, Magadan, Sahalin; Territoria: Khabarovsk, Krasnojarsk (cum Dicionibus « Evemnki » et « Tajmur-Dolgana-Nenec », Primorje; Regionem autonomam « Ebrei »; Dicionem autonomam « Ciukci », atque ex ita distracto territorio novam Administrationem Apostolicam, *Siberiae Orientalis Latinorum* appellandam, erigit. Praelato Ordinario novae erectae Administrationis Apostolicae, cuius sedes in urbe vulgo nuncupata *Irkutsk* erit, Exc.mo P. D. Georgio Mazur, Episcopo titulari Tabuniensi et hactenus Auxiliari Administrationis Apostolicae Siberiae Latinorum, tribuit omnia iura, facultates et officia quae Episcopis dioecesanis, congrua congruis referendo, ad normam iuris, competunt. Ad haec perficienda Summus Pontifex Exc.mum P.D. Ioannem Bukovsky, Archiepiscopum titulo Tabaltensi, Sedis Apostolicae in Russia Legatum, deputat eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 18 mensis Maii anno 1999.

83 LUCAS card. **MOREIRA NEVES,** *Praef.*

83 Franciscus Monterisi, *a Secretis*

L. © S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 446/99

SIBERIAE LATINORUM

De Administrationis Apostolicae nominis mutatione

DECRETUM

Ut spirituali Populi Dei bono aptius consulatur atque pastorale suum munus efficacius adimplere valeat et politicam ac geographicam definitionem facilius reddendam, Exc.mus P. D. Iosephus Werth, Administrator Apostolicus Siberiae Latinorum, ab Apostolica Sede expostulavit, ut Administratio Apostolica Siberiae Latinorum aptius Siberiae Occidentalis Latinorum appellaretur. Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Ioannis Bukovsky Archiepiscopi titularis Tabaltensis et Sedis Apostolicae in Russia Legati, oblatas preces benigne accipiendas esse censuit. Quapropter, eadem Congregatio, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut memorata Administratio Apostolica Siberiae Latinorum posthac appelletur *Siberiae Occidentalis Latinorum.* Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis memoratum Exc.mum P.D. Ioannem Bukovsky deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum onere imposito ad eandem Congregationem, ubi primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis transmittendi, Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 18 mensis Maii anno 1999.

SB **LUCAS** card. **MOREIRA NEVES**, *Praef.*

ffi Franciscus Monterisi, *a Secretis*

L. ffi S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 447/99

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 2 Iunii 1999. — Metropolitanae Ecclesiae Goritiensi R.D. Dinum De' Antoni, hactenus Vicarium generalem dioecesis Clodiensis.

— Cathedrali Ecclesiae Novoraniensi Rev.dum P. Georgium Rubén Lugones, S.I., hactenus adiutorem in paroecia Sancti Petri in civitate vulgo Famatina dioecesis Rioiensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Vicensi Caesaris R.P. Marium Pasqualotto, Pontifìcii Instituti pro Missionibus Exteris sodalem, in dioecesi Parintinensi parochum, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Manaënsis.

die 4 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Sanctae Clarae Exc.mum P.D. Marcellum Arturum González Amador, hactenus Episcopum titularem Segiensem et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tamatensi R.D. Aemilium Bogovic, in Facultate Theologica Fluminensi Historiae Ecclesiae professorem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Fluminensis-Seniensis.

die 5 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Bracarensi Exc.mum P.D. Georgium Ferreira da Costa Ortiga, hactenus Episcopum titularem Novabarbarensem et Auxiliarem Bracarensem.

— Cathedrali Ecclesiae Tequinensi, servata dignitate archiepiscopali, Exc.mum P.D. Raimundum Ovidium Pérez Morales, hactenus Archiepiscopum Maracaibensem.

— Cathedrali Ecclesiae Aureatensi-Guaduensi Exc.mum P.D. Ansgarium Hannibalem Salazar hactenus Episcopum titularem Voncarianensem et Auxiliarem Barranquillensem.

die 9 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Marsorum R.P. Lucium Renna, O.C, hactenus Ordinis Fratrum B. Mariae V. de Monte Carmelo procuratorem generalem.

die 15 Iunii 1999. — Cathedrali Ecclesiae Camdensi, Exc.mum P.D. Nicolaum A. Di Marzio, hactenus Episcopum titularem Maurianensem et Auxiliarem archidioeceis Novarcensis.

die 16 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Urusitanae R.D. Iosephum Mariam Liborium Camino Saracho, e clero Sancti Michaelis Paulinensis, ibique Vicarium generalem et parochum templi Cathedralis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 17 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Aquensi in Gallia Exc.mum P.D. Claudium Feidt, hactenus Archiepiscopum Camberiensem ac Maurianensem et Tarantasiensem Episcopum.

die 19 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Taurinensi Exc.mum P.D. Severinum Poletto, hactenus Episcopum Astensem.

die 23 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Almenarensi R.P. Hugonem Mariam van Steekelenburg, O.F.M., hactenus Caenobii Sancti Francisci a Stigmatibus in archidioecesi Bellohorizontina moderatorem et provinciae Sanctae Crucis in Brasilia a secretis.

COLLATIO DIGNITATIS ARCHIEPISCOPALIS

Decreto Congregationis pro Episcopis archiepiscopalis dignitas « ad personam » Exc.mo P.D. Iosepho Carolo Melo, CM., Auxiliari Sancti Salvatoris in Brasilia, servato titulo Ceramensi die 2 m. Iunii 1999 collata est.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 18 Maii 1999. — Titulari episcopali Ecclesiae Acciensi R.D. Iacobum Liu Tan-Kuei, e clero dioecesis Taichungensis ibique paroeciae Sanctissimo Sacramento dicatae in oppido vulgo Yuan-lin curionem, quem, deputavit Auxiliarem archidioecesis Taipehensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Aulonitanae R.P. Michaelem Christianum Cartatéguy, S.M.A., Vicarium generalem Niameyensem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Severianensi R.D. Ambrosium Ouedraogo, e clero archidioecesis Uagaduguensis, Missionarium « Fidei donum » nominatum in Nigritana regione ibique templi cathedralis Niameyensis parochum, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis Niameyensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Suavensi R.D. Akio Johnson Mutek, Vicarium generalem Toritensem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 4 Giugno 1999, S.E. il Signor BONAVENTURA NDONG-EKOMIE, Ambasciatore del Gabon presso la Santa Sede.

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 3 Giugno 1999, il Signor KOFI A. ANNAN, Segretario Generale dell'Organizzazione delle Nazioni Unite.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

19 giugno 1999. S.E. mons. Fortunato Baldelli, Arcivescovo tit. di Bevagna, *Nunzio Apostolico in Francia.*

» » » S. E. mons. Lorenzo Baldisseri, Arcivescovo tit. di Diocleziana, *Nunzio Apostolico in India.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

22 aprile 1999. Gli Em.mi Signori Cardinali Michael Michai Kitbunchu; Miguel Obando Bravo; Alexandre José Maria dos Santos; John Baptist Wu Cheng-chung; Aloysius Matthew Ambrozic; le LL.EE. i mons. Franco Brambilla, Arcivescovo tit. di Viminacio; François Xavier Nguyên Van Thuân, Arcivescovo tit. di Vadesi; Ivan Dias, Arcivescovo di Bombay; Justin Francis Rigali, Arcivescovo di Saint Louis; José Saraiva Martins, Arcivescovo tit. di Tuburnica; Agustín García-Gaseo Vicente, Arcivescovo di Valencia; Ramón Ovidio Pérez Morales, Arcivescovo di Maracaibo; Juan Luis Cipriani Thorne,

Arcivescovo di Lima; Claudio Hümmes, Arcivescovo di Säo Paulo; Franc Rodé, Arcivescovo di Ljubljana; Jorge Mario Bergoglio, Arcivescovo di Buenos Aires; Josip Bozanic, Arcivescovo di Zagreb; Albert-Marie de Monléon, Vescovo di Pamiers; Terence John Brain, Vescovo di Salford Philip Boyce, Vescovo di Raphoe, *Membri della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti « ad quinquennium ».*

22 aprile 1999. Gli Em.mi Signori Cardinali, Joseph Ratzinger, Jaime L. Sin, Godfried Danneels, Joachim Meisner, Jozef Tomko, Andrzej Maria Deskur, Paul Poupard, Bernard Francis Law, Edward Idris Cassidy; e S.E. mons. Dieudonné M'Sanda Tsinda-Hata, *Membri della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti « in aliud quinquennium seu usque ad 80° ».*

29 » » Le LL.EE. i mons. Romeo Panciroli, Arcivescovo tit. di Noba; Fernard Franck, Arcivescovo di Luxembourg; Roland Aboujaoudé, Vescovo tit. di Arca di Fenicia dei Maroniti; George Yod Phimphisan, Vescovo di Udon Thani; José Sánchez González, Vescovo di Sigüenza-Guadalajara; Alfred Kipkoech Arap Rotich, Ordinario Militare per il Kenia, *Membri del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « ad quinquennium ».*

» » » L'Em.mo Signor Cardinale Henri Schwery; e le LL.EE. i mons. Bernard Agre; Ray mundo Damasceno Assis; Hermann Josef Spital; Roger Francis Crispian Hollis, *Membri del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « in aliud quinquennium ».*

12 maggio » Gli Em.mi Signori Cardinali, Franciszek Macharski, Giacomo Biffi, Francis Eugene George; gli Ecc.mi mons. Carlo Curis, Arcivescovo tit. di Medeli; François Xavier Nguyên Van Thuân, Arcivescovo tit. di Vadesi; Agostino Cacciavillan, Arcivescovo tit. di Amiterno; Peter Chung Hoan Ting, Arcivescovo di Kuching; Stephen Fumio Hamao, Arcivescovo-Vescovo em. di Yokohama; p. Edgard Hernando Tirado Mazo, *Membri della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « ad quinquennium ».*

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali, Bernardin Gantin, Joseph Ratzinger, Roger Etchegaray, Hyacinthe Thiandoum, William Wakefield Baum, Michael Michai Kitbunchu, Alfonso López Trujillo, Godfried Danneels,

Thomas Staff ord Williams, Ricardo J. Vidal, Eduardo Martínez Somalo, Achille Silvestrini, Christian Wiyghan Tumi, John Baptist Wu Cheng-chung, Frédéric Etsou-Nzabi-Bamungwabi; gli Ecc.mi mons. Javier Lozano Barragán, Nicholas Marcus Fernando, Henry Sebastian D'Souza, Francis Xavier Kaname Shimamoto; e il p. Peter-Hans Kolvenbach, S.I., ***Membri della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « in aliud quinquennium seu usque ad 80° ».***

2 giugno 1999. Gli Em.mi Signori Cardinali Bernardin Gantin ed Eduardo Martínez Somalo e S.E. Mons. Piergiorgio Nesti, ***Membri della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium seu usque ad 80° ».***

3 » » Gli Em.mi Signori Cardinali, Jorge Arturo Medina Esté vez, Darío Castrillón Hoyos; gli Ecc.mi mons. Paul Josef Cordes, Arcivescovo tit. di Naisso; Julián Herranz, Arcivescovo tit. di Vertara; Agostino Cacciavillan, Arcivescovo tit. di Amiterno; Vicente Joaquim Zico, Arcivescovo di Belém do Para; Francisco Javier Errazuriz Ossa, Arcivescovo di Santiago de Chile; Juan Luis Cipriani Thorne, Arcivescovo di Lima; Ignacio Antonio Velasco García, Arcivescovo di Caracas, Claudio Hümmes, Arcivescovo di Sâo Paulo; Edmundo Luis Flavio Abastoflor Montero, Arcivescovo di La Paz; Joseph Serge Miot, Arcivescovo Coadiutore e Amministratore Apostolico « sede piena » di Port-au-Prince; Héctor Rubén Aguer, Arcivescovo Coadiutore di La Plata; Nicolás Cotugno Fanizzi, Arcivescovo di Montevideo; Robert Rivas, Vescovo di Kingstown, ***Consiglieri della Pontificia Commissione per l'America Latina « ad quinquennium ».***

» » » Gli Em.mi Signori Cardinali Joseph Ratzinger, Alfonso López Trujillo, Miguel Obando Bravo, Eduardo Martínez Somalo, Edward Idris Cassidy; e gli Ecc.mi mons. Giovanni Battista Re, Antonio José González Zumarraga, ***Consiglieri della Pontificia Commissione per l'America Latina « in aliud quinquennium ».***

» » » Gli Ecc.mi mons. Giuseppe Pittau, Arcivescovo tit. di Castro di Sardegna; José Dimas Cedeño Delgado, Arcivescovo di Panamá; Stanislaw Rylko, Vescovo tit. di Novica; Michael Louis Fitzgerald, Vescovo tit. .di Nepte; Rodolfo Quezada Toruno, Vescovo di Zacapa y Santo Cristo de Esquipulas; Franz Grave, Vescovo tit. di Tingaría, ***Membri della Pontificia Commissione per l'America Latina « ad quinquennium ».***

3 giugno 1999. **Gli Ecc.mi mons. Osear Andrés Rodríguez Maradiaga e Diarmuid Martin,** *Membri della Pontificia Commissione per l'America Latina « in aliud quinquennium ».*

20 » » **Mons. Salvatore Nicolosi; Manuel Ruiz Jurado, SI.;** Tomas **Spidlík, S.I.; mons. Guido Mazzotta; mons. Lorenzo Dattrino; mons. Joaquín Alonso Pacheco; p. Francesco Costa, O.F.M. Conv.; p. Antolín González Fuente, O.P.; p. Benito Goya Echeberría, O.C.D.; p. Carlo Laudazi, O.C.D.; p. Ubaldo Terrinoni, O.F.M. Cap.; prof. Pietro Borzomati,** *Consultori della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

24 » » **Don Antonio Baruffa, S.D.B.; i professori Danilo Mazzoleni e Aldo Nestori; mons. Giancarlo Menis,** *Membri della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra « in aliud quinquennium ».*

NECROLOGIO

9 giugno 1999. **Mons. Michael Bosco Duraisamy, Vescovo di Salem** *(India).*

17 » » **Card. George Basil Hume, del titolo di San Silvestro in Capite, Arcivescovo di Westminster.**

19 » » **Mons. Jean-Baptiste Gahamanyi, Vescovo em. di Butare** *(Rwanda).*

25 » » **Mons.** Lazio **Dankó, Arcivescovo di Kalocsa-Kecskemét** *(Ungheria).*

30 » » **Mons. Hans Leo Drewes, Vescovo tit. di Vina.**

Recens nuntiatum est Gerardum Couturier, episc. em. Altaripen. die 2 m. Februarii a. 1999 de vita decessisse.

An. et vol. XCI 4 Septembris 1999

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

Nova statuta Academiarum theologicarum approbantur.

IOANNES PAULUS PP. II

1. Inter munera Academiarum a Romanis Pontificibus saeculorum decursu conditarum investigatio in disciplinis philosophicis et theologicis eminet.

In recentioribus Litteris Nostris Encyclicis *Fides et ratio* magnum momentum dialogo theologicas inter et philosophicas disciplinas tribuimus et de sententiis sancti Thomae Aquinatis mentem Nostram aperuimus agnoscentes perennem sententiarum eius novitatem.[1]

Merito ille appellari potest « apostolus veritatis ».[2] Enimvero, Doctoris Angelici contuitus positus est in certitudine esse praecipuam concordiam inter fidem et rationem:[3] « Necesse est ideo ut fidelis ratio naturalem habeat veram congruentemque cognitionem de rebus creatis, de mundo et de homine, quas res etiam revelatio divina tractat; magis etiam, ipsa facultatem habere debet moderandi hanc cognitionem per modum intellectionis et argumentationis ».[4]

2. Tertio Millennio illucescente, permulta adiuncta culturalia mutata sunt. Altiores anthropologicae perceptiones magni momenti animadvertuntur sed et mutationes graves in modo ipso intuendi condicionem hominis

[1] Cfr nn. 43-44,
[2] N. 44.
[3] Cfr n. 43.
[4] N. 66.

coram Deo, coram aliis hominibus et universo mundo. In primis, maior aetatis nostrae provocatio procedit ex ampla invalescente distantia inter fidem et rationem, inter Evangelium et animi culturam.

Studia huic immenso campo dicata cotidie multiplicantur in nova evangelizatione. Etenim, nuntium salutis impedimenta multa invenit ex erroneis rerum notionibus necnon ex gravi institutionis idoneae penuria.

3. Primo transacto saeculo a promulgatione Litterarum Encyclicarum *Aeterni Patris* Decessoris Nostri Papae Leonis XIII, quae initium novae progressionis in studiorum philosophicorum et theologicorum renovatione et in relationibus inter fidem et rationem signavit, novum impulsum Pontificiis Academiis hic operantibus, in concordia cum hodiernis rationibus et inclinationibus necnon necessitatibus pastoralibus Ecclesiae, dare volumus.

Ideoque opus agnoscentes per saecula a sodalibus Pontificiae Academiae Theologicae Romanae et Pontificiae Academiae sancti Thomae Aquinatis et de Religione Catholica, decrevimus renovationem horum adiunctorum Statutorum illarum Pontificiarum Academiarum, quo efficacius earum philosophicum et theologicum opus efficiatur, ad missionem pastoralem Successoris Petri et Ecclesiae universalis fovendam.

4. De Pontificia Academia Sancti Thomae Aquinatis

5. Parmi les personnes douloureusement touchées par le chômage, se trouve un nombre important de jeunes. Au moment où ils se présentent sur le marché du travail, ils ont parfois l'impression qu'il leur sera difficile de trouver une place dans la société et d'être reconnus à leur juste valeur. Dans ce domaine, tous les protagonistes de la vie politique, économique et sociale sont appelés à redoubler d'efforts en faveur de la jeunesse, qui doit être considérée comme un des biens les plus précieux d'une nation, et à se concerter pour offrir des formations professionnelles toujours plus adaptées à la situation économique du moment et une politique plus vigoureusement encore orientée vers l'emploi pour tous. Ainsi, une confiance et une espérance renouvelées seront données aux jeunes, qui peuvent parfois avoir l'impression que la société n'a pas véritablement besoin d'eux; cela réduira sensiblement les disparités entre les classes sociales, ainsi que les phénomènes de violence, de prostitution, de drogue et de délinquance, qui ne cessent de se multiplier actuellement. J'encourage tous ceux qui ont un rôle dans la formation intellectuelle et professionnelle des jeunes à les accompagner, à les soutenir et à les encourager pour qu'ils puissent s'insérer dans le monde du travail. Un emploi sera pour eux la reconnaissance de leurs capacités et de leurs efforts, et leur ouvrira un avenir personnel, familial et social. De même, par une éducation appropriée et par les aides sociales nécessaires, il convient d'aider les familles en difficulté pour des raisons pro-

[2] ***Tb* 4, 13**
[3] **Cf. *Si* 33, 29.**

fessionnelles et d'apprendre aux personnes et aux familles à faibles revenus à savoir gérer leurs budgets et à ne pas se laisser attirer par des biens illusoires que propose la société de consommation. Le surendettement est une situation dont il est souvent difficile de sortir.

6. L'emploi ne pouvant pas augmenter indéfiniment, il importe d'envisager, en vertu de la solidarité humaine, une réorganisation et une meilleure répartition du travail, sans oublier le partage nécessaire des ressources avec ceux qui sont au chômage. La solidarité effective entre tous est plus que jamais requise, en particulier pour les chômeurs de longue durée et pour leur famille, qui ne peuvent rester dans la pauvreté et le dénuement sans que la communauté nationale ne se mobilise activement; personne ne doit se résigner à ce que certains restent sans emploi.

7. Au sein d'une entreprise, la richesse n'est pas constituée uniquement par les moyens de production, le capital et les bénéfices, mais elle provient avant tout des hommes qui, par leur travail, produisent ce qui devient ensuite des biens de consommation ou des services. De ce fait, tous les salariés, chacun à son échelon, doivent avoir leur part de responsabilité, concourant au bien commun de l'entreprise et, en définitive, de la société entière.[4] Il est essentiel de faire confiance aux personnes, de développer un système qui privilégie le sens de l'innovation de la part des individus et des groupes, la participation et la solidarité,[5] et qui favorise de manière primordiale l'emploi et la croissance. La mise en valeur des compétences des personnes est un élément moteur de l'économie. Percevoir une entreprise uniquement en termes économiques ou de compétitivité comporte des risques; cela met en danger l'équilibre humain.

8. Les chefs d'entreprise et les décideurs doivent avoir conscience qu'il est essentiel de fonder leur démarche sur le capital humain et sur les valeurs morales,[6] en particulier sur le respect des personnes et leur besoin inaliénable d'avoir un travail et de vivre des fruits de leur activité professionnelle. Il ne faut pas oublier non plus la qualité de l'organisation des entreprises, la participation de tous à leur bonne marche, ainsi qu'une attention renouvelée à des relations sereines entre tous les travailleurs. J'appelle de mes vœux une mobilisation toujours plus profonde des différents acteurs

[4] **Cf. Encyclique *Sollicitudo rei socialis,* n. 38.**
[5] **Cf. *ibid.,* n. 45.**
[6] **Cf. Encyclique *Veritatis splendor,* nn. 99-101.**

de la vie sociale et de tous les partenaires sociaux, pour qu'ils s'engagent, à la place qui est la leur, à être des serviteurs de l'homme et de l'humanité, par des décisions dans lesquelles la personne humaine, en particulier la plus faible et la plus démunie, occupe la place centrale et soit véritablement reconnue dans sa responsabilité spécifique. La mondialisation de l'économie et du travail demande de la même manière une mondialisation des responsabilités.

9. Les déséquilibres entre les pays pauvres et les pays riches ne cessent de s'accroître. Les pays industrialisés ont un devoir de justice et une grave responsabilité envers les pays en voie de développement. Les disparités sont de plus en plus criantes. Paradoxalement, un certain nombre de pays ayant des richesses naturelles sur leur sol ou dans leur sous-sol sont l'objet d'une exploitation inacceptable par d'autres pays. De ce fait, des populations entières ne peuvent bénéficier des richesses de la terre qui leur appartient, ni de leur travail. Il convient d'offrir à ces nations la possibilité de se développer grâce à leurs propres ressources naturelles, en les associant plus étroitement aux mouvements de l'économie mondiale.

10. Au point de départ d'un renouveau de l'emploi, il y a un devoir éthique et la nécessité de changements fondamentaux des consciences. Tout développement économique qui ne prend pas en compte l'aspect humain et moral aura tendance à écraser l'homme. L'économie, le travail, l'entreprise sont avant tout au service des personnes. Les choix stratégiques ne peuvent se faire au détriment de ceux qui travaillent au sein de l'entreprise. Il importe d'offrir à tous nos contemporains un emploi, grâce à une répartition juste et responsable du travail. Sans doute est-il aussi envisageable de revoir le lien entre salaire et travail, pour revaloriser des emplois manuels qui sont souvent pénibles et considérés comme subalternes. En effet, la politique salariale suppose de prendre en compte non seulement le rendement de l'entreprise, mais aussi les personnes. Un écart trop important entre les salaires est injuste, car il déprécie un certain nombre d'emplois indispensables, et il creuse des disparités sociales dommageables pour tous.

11. Pour faire face aux défis que la société doit relever au seuil du troisième millénaire, j'appelle la communauté chrétienne à s'engager toujours

davantage aux côtés des personnes qui luttent en faveur de l'emploi et à cheminer avec les hommes sur la voie d'une économie toujours plus humaine.[7]

Dans cet esprit, je vous remercie pour le service appréciable que vous rendez à l'Église en étant particulièrement attentifs aux phénomènes de société, qui sont importants pour l'homme et pour l'ensemble de l'humanité. En vous confiant à l'intercession de saint Joseph, patron des travailleurs, et de la Vierge Marie, je vous accorde volontiers la Bénédiction apostolique, ainsi qu'à vos familles et à toutes les personnes qui vous sont chères.

NUNTIUS

Universis presbyteris missus.

« *Abba,* Padre! ».

Carissimi fratelli nel sacerdozio, il mio appuntamento con voi per il Giovedì santo, in quest'anno che precede e prepara immediatamente il Grande Giubileo del Duemila, avviene nel segno di questa invocazione nella quale risuona, a giudizio degli esegeti, la *ipsissima vox Iesu.* E un'invocazione in cui è racchiuso l'insondabile mistero del Verbo incarnato, inviato dal Padre nel mondo per la salvezza dell'umanità.

La missione del Figlio di Dio raggiunge il suo compimento quando Egli, offrendo se stesso, realizza la nostra adozione filiale e, col dono dello Spirito Santo, rende possibile ad ogni essere umano la partecipazione alla stessa comunione trinitaria. Nel mistero pasquale Dio Padre, per mezzo del Figlio nello Spirito Paraclito, s'è chinato su ogni uomo, offrendogli la possibilità della redenzione dal peccato e della liberazione dalla morte.

1. Durante la Celebrazione eucaristica, concludiamo la colletta con le parole: « Per il nostro Signore Gesù Cristo, tuo Figlio, che è Dio e vive e regna con te, nell'unità dello Spirito Santo, per tutti i secoli dei secoli ». Vive e regna con te, Padre! Si può dire che questa conclusione abbia un carattere ascendente: attraverso Cristo, nello Spirito Santo, verso il Padre. Tale è anche lo schema teologico sotteso all'impostazione del triennio 1997-1999: dapprima l'anno del Figlio, poi l'anno dello Spirito Santo ed ora l'anno del Padre.

Questo movimento *ascendente* si radica, per così dire, in quello *discendente,* descritto dall'apostolo Paolo nella Lettera ai Galati. È un brano che

[7] Cf. Encyclique *Centesimus annus,* n. 62.

abbiamo meditato con particolare intensità nella liturgia del periodo di Natale: « Quando venne la pienezza del tempo, Dio mandò il suo Figlio, nato da donna, nato sotto la legge, per riscattare coloro che erano sotto la legge, perché ricevessimo l'adozione a figli » *(Gal* 4, 4-5).

Troviamo qui espresso il movimento discendente: Dio Padre manda il Figlio per renderci, in Lui, figli suoi adottivi. Nel mistero pasquale Gesù realizza il disegno del Padre donando la vita per noi. Il Padre manda allora lo Spirito del Figlio per illuminarci sullo straordinario privilegio: « E che voi siete figli ne è prova il fatto che Dio ha mandato nei nostri cuori lo Spirito del suo Figlio che grida: Abbà, Padre! Quindi non sei più schiavo, ma figlio; e se figlio, sei anche erede per volontà di Dio » *(Gal* 4, 6-7).

Come non rilevare la singolarità di quanto scrive l'Apostolo? Egli afferma che è proprio lo Spirito a gridare: *Abbà,* Padre! In realtà, il testimone storico della paternità di Dio è stato il Figlio di Dio nel mistero dell'incarnazione e della redenzione: è stato Lui che ci ha insegnato a rivolgerci a Dio chiamandolo « Padre ». Egli stesso lo invocava « Padre mio », e a noi ha insegnato a pregarlo col nome dolcissimo di « Padre nostro ». San Paolo tuttavia ci dice che l'insegnamento del Figlio deve in un certo senso essere reso vivo *nell'anima,* di chi lo ascolta dall'interiore ammaestramento dello Spirito Santo. Soltanto per opera sua, infatti, siamo capaci di adorare Dio in verità invocandolo « *Abbà,* Padre ».

2. Vi scrivo queste parole, cari fratelli nel sacerdozio, nella prospettiva del Giovedì santo, pensandovi raccolti intorno ai vostri Vescovi per la Messa crismale. Mi sta molto a cuore che, nella comunione dei vostri presbitèri, vi sentiate uniti a tutta la Chiesa, che sta vivendo l'anno del Padre, un anno che preannuncia la fine del ventesimo secolo e, insieme, del secondo millennio cristiano.

Come non rendere grazie a Dio, in questa prospettiva, al pensiero delle schiere di sacerdoti che, in questo ampio arco di tempo, hanno speso la loro esistenza al servizio del Vangelo, giungendo talvolta fino al supremo sacrificio della vita? Mentre, nello spirito del prossimo Giubileo, confessiamo i limiti e le mancanze delle passate generazioni cristiane, e quindi anche dei sacerdoti in esse presenti, riconosciamo con gioia che, nell'inestimabile servizio reso dalla Chiesa al cammino dell'umanità, una parte assai rilevante è dovuta al lavoro umile e fedele di tanti ministri di Cristo che, nel corso del millennio, hanno operato quali generosi artefici della civiltà dell'amore.

Le grandi dimensioni del tempo! Se è sempre un allontanarsi dall'inizio, a ben pensarci il tempo è simultaneamente un ritorno all'inizio. E questo è

di fondamentale importanza: se, infatti, il tempo fosse soltanto un allontanarsi dall'inizio e non fosse chiaro il suo orientamento finale — il recupero appunto dell'inizio — tutta la nostra esistenza nel tempo sarebbe priva di una definitiva direzione. Risulterebbe priva di senso.

Cristo, « l'Alfa e l'Omega [...] Colui che è, che era e che viene » *(Ap* 1, 8), ha conferito direzione e senso all'umano passaggio nel tempo. Egli ha detto di se stesso: «Sono uscito dal Padre e sono venuto nel mondo; ora lascio il mondo, e vado al Padre » *(Gv* 16, 28). E così il nostro *passare* è pervaso dall'evento di Cristo. E con Lui che *passiamo,* andando nella stessa direzione che ha preso Lui: verso il Padre.

Ciò diventa ancor più evidente durante il *Triduum Sacrum,* i giorni santi per eccellenza durante i quali partecipiamo, nel mistero, al ritorno di Cristo al Padre attraverso la sua passione, morte e risurrezione. La fede ci assicura, infatti, che questo passaggio di Cristo verso il Padre, cioè la sua Pasqua, non è un evento che riguarda solo Lui. Anche noi siamo chiamati a prendervi parte. La sua Pasqua è la nostra Pasqua.

Così dunque, insieme con Cristo, camminiamo verso il Padre. Lo facciamo attraverso il mistero pasquale, rivivendo quelle ore cruciali durante le quali, morente sulla croce, Egli esclamò: « Dio mio, Dio mio, perché mi hai abbandonato?» *(Me* 15,34), ed aggiunse poi: «Tutto è compiuto!» *(Gv* 19, 30), « Padre, nelle tue mani consegno il mio spirito » *(Le* 23, 46). Queste espressioni evangeliche sono familiari ad ogni cristiano e, in modo particolare, ad ogni sacerdote. Esse rendono testimonianza al nostro vivere e al nostro morire. Al termine di ogni giornata, ripetiamo nella Liturgia delle Ore: « *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* », per prepararci al grande mistero del passaggio, della pasqua esistenziale, quando Cristo, in virtù della sua morte e della sua risurrezione, ci accoglierà con sé per consegnarci al Padre celeste.

3. « Ti benedico, o Padre, Signore del cielo e della terra, perché hai tenuto nascoste queste cose ai sapienti e agli intelligenti e le hai rivelate ai piccoli. Sì, o Padre, perché così è piaciuto a te. Tutto mi è stato dato dal Padre mio. Nessuno conosce il Figlio se non il Padre, e nessuno conosce il Padre se non il Figlio e colui al quale il Figlio lo voglia rivelare» *(Mt* 11,25-27). Sì, solo il Figlio conosce il Padre. Lui, che «è nel seno del Padre» — come scrive san Giovanni nel suo Vangelo (1, 18) — ha avvicinato a noi questo Padre, ci ha parlato di Lui, ci ha rivelato il suo volto, il suo cuore. Durante l'Ultima Cena, alla richiesta dell'apostolo Filippo: « Mostraci il Padre» *(Gv* 14,8), Cristo risponde: «Da tanto tempo sono con voi e tu

non mi hai conosciuto, Filippo? [...] Non credi che io sono nel Padre e il Padre è in me? » *(Gv* 14, 9-10). Con queste parole Gesù rende testimonianza al mistero trinitario della sua eterna generazione come Figlio dal Padre, al mistero che costituisce il segreto più profondo della sua Personalità divina.

Il Vangelo è una continua rivelazione del Padre. Quando, all'età di dodici anni, Gesù viene ritrovato da Giuseppe e Maria tra i dottori nel Tempio, alle parole della Madre: « Figlio, perché ci hai fatto così? » *(Le* 2, 48), risponde richiamandosi al Padre: « Non sapevate che io devo occuparmi delle cose del Padre mio? » *(Le* 2, 49). Appena dodicenne, Egli ha già la lucida consapevolezza del significato della propria vita, del senso della sua missione, tutta dedicata dalla prima fino all'ultima ora « alle cose del Padre ». Essa raggiunge il suo culmine sul Calvario, col sacrificio della Croce, accettato da Cristo in spirito di obbedienza e di filiale dedizione: « Padre mio, se è possibile, passi da me questo calice! Però non come voglio io, ma come vuoi tu! [...] Sia fatta la tua volontà » *(Mt* 26, 39.42). E il Padre, a sua volta, accoglie il sacrificio del Figlio, poiché ha tanto amato il mondo da dare il suo Unigenito, affinché l'uomo non muoia, ma abbia la vita eterna (cfr *Gv* 3,16). Sì, soltanto il Figlio conosce il Padre e perciò solo Lui ce lo può rivelare.

4. *«Per ipsum, et cum ipso, et in ipso...».* «Per Cristo, con Cristo e in Cristo, a Te, Dio Padre onnipotente, nell'unità dello Spirito Santo ogni onore e gloria per tutti i secoli dei secoli ».

Spiritualmente uniti e visibilmente raccolti nelle chiese cattedrali in questo giorno singolare, rendiamo grazie a Dio per il dono del sacerdozio. Rendiamo grazie per il dono dell'Eucaristia, che come presbiteri celebriamo. La dossologia con cui si conclude il Canone riveste un'importanza fondamentale in ogni celebrazione eucaristica. Essa esprime in un certo senso il coronamento del *Mysterium fidei,* del nucleo centrale del sacrificio eucaristico, che si attua nel momento in cui, con la potenza dello Spirito Santo, operiamo la conversione del pane e del vino nel Corpo e Sangue di Cristo, così come fece Lui stesso per la prima volta nel Cenacolo. Quando la grande preghiera eucaristica raggiunge il suo culmine, la Chiesa, proprio allora, nella persona del ministro ordinato, rivolge al Padre queste parole: « Per Cristo, con Cristo e in Cristo, a te, Dio Padre onnipotente nell'unità dello Spirito Santo ogni onore e gloria ». *Sacrificium laudisi*

5. Dopo che l'assemblea con solenne acclamazione ha risposto « Amen », il celebrante intona il « Padre nostro », la preghiera del Signore. Il succedersi di questi momenti è molto significativo. Il Vangelo racconta degli Apostoli che, colpiti dal raccoglimento del Maestro nel suo colloquio col Pa-

dre, gli chiesero: «Signore, insegnaci a pregare» *(Le* 11, 1). Egli, allora, per la prima volta pronunciò le parole che sarebbero poi divenute la principale e più frequente preghiera della Chiesa e di tutti i cristiani: il « Padre nostro ». Quando nel corso della Celebrazione eucaristica facciamo nostre, come assemblea liturgica, tali parole, esse acquistano una particolare eloquenza. È come se in quel momento noi confessassimo che Cristo ci ha insegnato definitivamente e pienamente la sua preghiera al Padre quando l'ha commentata con il sacrificio della Croce.

È nell'ambito del sacrificio eucaristico che il « Padre nostro », recitato dalla Chiesa, esprime tutto il suo significato. Ciascuna delle invocazioni, che in esso sono contenute, acquista una speciale luce di verità. Sulla croce il nome del Padre è « santificato » in massimo grado e il suo Regno è irrevocabilmente realizzato; nel « *consummatum est* » la sua volontà ottiene definitivo compimento. E non è forse vero che la domanda « Rimetti a noi i nostri debiti, come noi li rimettiamo... », trova la sua piena conferma nelle parole del Crocifisso: « Padre, perdonali, perché non sanno quello che fanno » *(Le* 23, 34)? La richiesta, poi, del pane quotidiano diventa più che mai eloquente nella Comunione eucaristica quando, sotto le specie del «pane spezzato», riceviamo il Corpo di Cristo. E la supplica « Non ci indurre in tentazione, ma liberaci dal male», non raggiunge forse la sua massima efficacia nel momento in cui la Chiesa offre al Padre il prezzo supremo della redenzione e della liberazione dal male?

6. Nell'Eucaristia il sacerdote s'accosta personalmente all'inesauribile mistero di Cristo e della sua preghiera al Padre. Egli può immergersi quotidianamente in questo mistero di redenzione e di grazia celebrando la santa Messa, che conserva senso e valore anche quando, per giusto motivo, è offerta senza la partecipazione del popolo, ma sempre, comunque, per il popolo e per il mondo intero. Proprio per questo suo indissolubile legame con il sacerdozio di Cristo, il presbitero è il maestro della preghiera e i fedeli possono legittimamente rivolgere a lui la stessa domanda fatta un giorno dai discepoli a Gesù: « Insegnaci a pregare ».

La liturgia eucaristica è per eccellenza scuola di preghiera cristiana per la comunità. Dalla Messa si dipartono, quasi a raggiera, molteplici vie di una sana pedagogia dello spirito. Fra queste vie emerge l'adorazione del Santissimo Sacramento, che è naturale prolungamento della celebrazione. I fedeli, grazie ad essa, possono fare una peculiare esperienza del « rimanere » nell'amore di Cristo (cfr *Gv* 15, 9), entrando sempre più profondamente nella sua relazione filiale col Padre.

È proprio in questa prospettiva che esorto ogni sacerdote ad adempiere con fiducia e coraggio il suo compito di guida della comunità all'autentica preghiera cristiana. È un compito al quale non gli è lecito abdicare, anche se le difficoltà derivanti dalla mentalità secolarizzata glielo possono rendere talvolta assai faticoso.

Il forte impulso missionario che la Provvidenza, soprattutto mediante il Concilio Vaticano II, ha impresso alla Chiesa nei nostri tempi, interpella in modo particolare i ministri ordinati, chiamandoli anzitutto a conversione: convertirsi per convertire, o, detto altrimenti, vivere intensamente l'esperienza di figli di Dio, perché ogni battezzato riscopra la dignità e la gioia di appartenere al Padre celeste.

7. Nel giorno del Giovedì santo, rinnoveremo, carissimi fratelli, le promesse sacerdotali. Con ciò desideriamo che Cristo, in un certo senso, ci abbracci nuovamente con il suo santo sacerdozio, con il suo sacrificio, con la sua agonia nel Getsemani e la morte sul Golgota, e con la sua gloriosa risurrezione. Ricalcando, per così dire, le orme di Cristo in tutti questi eventi di salvezza, noi scopriamo il suo profondissimo aprirsi al Padre. Ed è per questo che, in ogni Eucaristia, si rinnova in qualche modo la richiesta dell'apostolo Filippo nel cenacolo: « Signore, mostraci il Padre », ed ogni volta Cristo, nel *Mysterium fidei,* sembra rispondere così: « Da tanto tempo sono con voi e tu non mi hai conosciuto? [...] Non credi che io sono nel Padre e il Padre è in me? » *(Gv* 14, 9-10).

In questo Giovedì santo, cari sacerdoti del mondo intero, memori dell'unzione crismale ricevuta nel giorno dell'Ordinazione, proclameremo concordi con sentimento di rinnovata riconoscenza:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipotenti,
in unitate Spiritus Sancti,
omnis honor et gloria
per omnia saecula saeculorum. Amen!

Dal Vaticano, il 14 marzo, quarta Domenica di Quaresima, dell'anno 1999, ventunesimo di Pontificato.

IOANNES PAULUS PP. II

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

POSNANIENSI

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Edmundi Bojanowski, christifidelis laici, fundatoris Congregationis Ancillarum B.M.V. Immaculatae (1814-1871)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Edmundus Bojanowski natus est postridie Idus Novembres anno 1814 in pago *Grabonóg*, in magno ducatu Posnaniensi. In familia imbutus est religiosa et culturali educatione. Deinde discipulus fuit ordinis studiorum philosophicorum apud Universitatem Vratislaviensem et Berolinensem. Phthisi impulsus est ad studia relinquenda et domum redeundum. Impensae se tradidit actioni sociali et beneficae, diffusionem provehendo culturae in agris et in pagis atque praebendo pueris, pauperibus et aegrotis assiduitatem, pro quibus condidit Congregationem Ancillarum Beatae Mariae Virginis Immaculatae. Vitae sanctitate fulsit et studio aedificationis Regni Dei. Meritis ornatus obdormivit in Domino die 7 mensis Augusti anno 1871.

Beatificationis et canonizationis Causa inita est apud Curiam Posnaniensem anno 1957. Rebus iure statutis peractis, coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II, die 3 mensis Iulii anno 1998 de virtutibus eius heroum in modum cultis decretum promulgatum est.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio nuper iudicio Congregationis de Causis Sanctorum miram permisit sanationem Mariae Szmyd, quae, puella quindecim annorum, mense Octobri anno 1973 coepit doloribus laborare dextrum genu afficientibus, qui initio habiti sunt dolores arthritici. Prior radiographia responsum dedit negativum, sed doloribus crescentibus atque tumore, ineunte mense Februario anno 1974 altera facta est radiographia, quae manifestam reddidit gravem pathologiam osseam, quam sequens

inspectio histológica, effecta in valetudinario Premisliensi in Polonia, confirmavit esse osteosarcoma. Proposita est cruris amputatio, cum therapia radians putaretur non esse illi neoplasmatis generi suffectura; sed aegrota et familiares amputationem renuerunt. Translata ad valetudinarium oncologicum Rzeszoviense, inde a primis mensis Martii diebus subiecta est therapiae radianti usque ad sex milia *rads* in viginti quinque sessionibus, idque prospectu amputationis, quam medici necessariam ducebant ut formatio metástasis vitaretur et idcirco mors. Interim aegrotae familia et nonnullae communitates Ancillarum Beatae Mariae Virginis Immaculatae inceperant Servi Dei Edmundi Bojanowski intercessionem invocare pro Mariae sanatione. Mensibus qui sunt dimissionem e valetudinario secuti, quae evenit pridie Nonas Apriles anno 1974, inexplicabiliter tumor et dolores extenuati sunt et artus inferior dexter suam agendi facultatem recuperavit. Sanatio confirmata est subsequentibus inspectionibus clinicis.

Cum felix conclusio casus tributa esset intercessioni huius Servi Dei, apud Curiam Premisliensem Latinorum anno 1985 instructa est Inquisitio dioecesana, quae est probata a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum Idibus Octobribus anno 1993 promulgatum. Collegium Medicorum Dicasterii uno ore, in sessione pridie Nonas Iunias anno 1998 habita, agnovit sanationem celerem fuisse, completam, stabilem et secundum scientiam inexplicabilem. Die 9 mensis Octobris eodem anno actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris et die 15 subsequentis mensis Decembris facta est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Edmundo Casimiro Szoka. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua Congregationis de Causis Sanctorum vota excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Edmundo Bojanowski, Christifideli laico, Fundatore Congregationis Ancillarum B. M V. Immaculatae, videlicet de celeri, completa et stabili sanatione puellae Mariae Szmyd ab « osteosarcoma condroblastico altamente indifferenziato ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

£8 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. & S.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Annae Rosae Gattorno, fundatricis Congregationis Filiarum S. Annae (1831-1900)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« O aeterne Pater mi, a te omnia habeo et pro te omnia facio, tu solum mihi es Id quod est... Quomodo faciam, ut te perferam in notitiam totius mundi? Eheu, quot te non cognoscunt!... Quam sitio, o Bonum meum, meam pro eis tradere vitam... Vellem ubique currere et fortiter clamare... Omnes linguae nomini tuo benedicant, Deus mi!... ».

Haec verba Servae Dei Annae Rosae Gattorno sonitum reddunt verborum Christi: « Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti » *(Io* 17, 3), et haberi possunt eius appetitionum compendium, eius apostolatus, totius vitae eius, pro animarum salute donatae.

Dei Serva Genuae in lucem edita est, pridie Idus Octobres anno 1831 in familia fortunata, bona ornata auctoritate sociali et altis sensibus christianis. Eodem die baptizata, nomina cepit Rosam Mariam Benedictam. Ex sex filiis secunda, parentes habuit, Franciscum Gattorno et Adelaidem Campanella primos et efficaciores vitae suae moralis et christianae formatores.

Decem circiter annos nata, ab ipsa matre praeparata, est ad primam Communionem admissa et, anno 1843, ad Confirmationem.

Domi est institutione erudita mulierum alti dignitatis gradus propria et didicit, praesertim a matre, precari, conscia esse, sensum colere continentiae et spiritum caritatis erga omnes, praecipue in pauperiores, humiliores et agricolarum filios, quos cum fervore rudimenta docebat doctrinae christianae.

Iuvenis 21 annorum, suadente Confessario, consobrino nupsit Hieronymo Custo. Matrimonium versum est in seriem acerbarum calamitatum, quae fuerunt: ruina nummaria, primogenita surda mutaque, mariti mors (vix sex annos post nuptias) et statim post, amissio etiam ultimi filii paucos menses nati.

Dolore exercita et a moderatore spiritali adiuta, Serva Dei non se recepit in se, sed in fide et in amplexu sui « cari Boni Crucifixi » sensum perspexit suorum angorum atque propositum maturavit quoad novam suam vocationem.

Iam sui specimen dederat tamquam uxoris fidelis et matris exemplaris et, nulla re filiis subducta, operibus beneficis se dederat, tempus consumens in valetudinariis. Spiritualiter fortior facta et aptior ad comprehendendum atque communicandum dolorem cum ceteris, didicit se offerre ut adiuvaret et consolaretur eos omnes, qui plures in dies pars fiebant vitae eius: nempe pauperes, infelices, aegrotos, «puellas in periculis versantes», in carceribus inclusos. Sodalis fuit multarum Consociationum beneficarum, maxime Piarum Unionum, quas Venerabilis Iosephus Frassinetti condiderat et foverat, atque brevissimo tempore facta est fautrix, centrum propellendo idoneum atque exemplum laicorum catholicorum Genuensium.

Marito mortuo, privatim vota suscepit castitatis, oboedientiae, paupertatis nomenque professa est in Tertio Ordine Franciscano. Dum in fidelitate Evangelio progrediebatur et in imitatione Christi, commissum est ei praesidis munus « Novarum Ursulinarum Filiarum Sanctae Mariae Immaculatae » Genuae atque recognitio Regulae pro ipsa Pia Unione. Recognitione perfecta, aucta precatione, subitanea impulsione instinctum percepit Regulae suae pro diverso Opere. Hac cogitatione mota, consilium ipsius Summi Pontificis Pii IX petivit qui, et eam est adhortatus et opus condendum ei imperavit, atque vaticinatus est: « Institutum celeriter se extendet sicut columbae volatus per omnes mundi partes — Deo cordi erunt filii tui — tibi curae sit Deus in Opere suo ».

Ita Dei voluntatem faciendam suscepit. Superatis proximorum repugnantiis et Operibus Genuensibus relictis, cum quinque sodalibus Placentiae novam Familiam Religiosam instituit (anno 1866), quam appellavit «Filias Sanctae Annae ».

Habitum religiosum induit die 26 mensis Iulii anno 1867, et die 8 mensis Aprilis anno 1870 professionem religiosam fecit una cum duodecim Sororibus.

Institutum rapide se extendit, in sua forma spiritali se corroborava et plures apertae sunt domus in variis Italiae partibus.

Nullum necessitatis et miseriae materialis ac moralis genus Conditricem frigidam reliquit, et Institutum, caritate impulsum, quamlibet accepit auxilii petitionem, eo solo consilio, ut Christo serviret in suis membris doléntibus et sauciatis. Serva Dei dux fuit fortis et sapiens Operis sui, pro quo continuas obtulit preces et paenitentias atque cum patientia et fortitudine, discrimina obiit, aegrimonias, difficultates, calumnias et interdum vel ferro et insidiis appetita est. Quamvis eventibus et rebus adversis omne genus temptatum esset plus triginta annis, Institutum Decretum Laudis obtinuit anno 1876, approbationem decretoriam anno 1879 et Regulae approbationem anno 1892, perrexitque se extendere non solum in Italia, verum etiam in exteris nationibus et gentibus, peculiari modo in America Latina et in Africa, semper ardenti cupiditate missionali sustentum Servae Dei « serviendi et evangelizandi ». Tricesimo quarto anno postquam est conditum, Institutum numerabat 368 Domus, 318 in Europa (Italia, Gallia, Hispania), 43 in America (Bolivia, Brasilia, Peruvia et Chilia) et 7 in Africa (Erythraea), et plus 3.500 Sorores. Tam uberis incrementi anima haud dubie Serva Dei fuit; quae, singulariter ornata humanis spiritalibusque facultatibus, speciem gerit exempli biblici «mulieris fortis» *(Prv* 31, 10), promptae, animosae, notabili aequabilitate praeditae intellectus et voluntatis, sicut et mira prudentia, ingenio celeritate et audacia adversus impedimenta; mulieris magnae pietatis, artae cum Deo coniunctionis, fidei intrepidae, caritatis plenae, sacrificii, bonitatis, maximae paenitentiae atque donis charismatibus exornatae.

Deo collocato in medio vitae suae « Summo Bono », Serva Dei mirabiliter crevit ratione spiritali et morali culminaque est consecuta christianae perfectionis. Iam tamquam uxor et mater speculum fuit egregiarum virtutum. Vidua facta, vitam suam movit continua ascensione spiritali iuxta impavidum impetum caritatis. Origo unde impellebatur erat pauperibus et ultimis dare se ipsam, ac si Iesu Christo, «Bono suo Crucifixo» se dedisset, quem sequens cotidie magis magisque se educabat et perfectior fiebat in eo audiendo, in adhaerendo amanter eius voluntati, per iter in quo plene coalescebat cum Eo.

Humilis et devota Ecclesiae filia, et in primis Summi Pontificis, oboediens fuit Hierarchiae ecclesiasticae et in fide fundamenta iecit verae spiritualitatis ecclesialis veneratione nutritae et amore. Ad fidem, quam ipsa « ancoram » suam appellabat suumque « cervical » semper annitebatur, pro-

vidam Dei vim in sua fragilitate experiens, « mei cari aeterni Patris », uti eum filiae pietate vocabat. Iesum Crucifixum potissimum dilexit, cupiens martyr mori ut animas salvaret ab eo redemptas, certa de sua peculiari vocatione ad munus amandi atque patiendi pro Regno Dei.

Suam in Corpus Mysticum Christi insertionem coluit, quam cotidie confirmavit Eucharistiae participatione, vitae suae et muneris cardinis, atque peculiari religione erga Sanctissimam Trinitatem, Sacrum Cor Iesu, Sanctissimam Virginem Mariam et Sanctam Annam, matrem eius, Sanctum Franciscum Asisinatem, Sanctum Michaelem Archangelum aliosque Sanctos.

Eius dies simul temperabatur precatione contemplativa et arta coniunctione cum Caelesti Sponso cum singulari caritatis industria. Affectu et re a rebus terrestribus aliena fuit, Deum toto corde dilexit totisque viribus; omnia pro Eo fecit laboribus non parcens semperque oculos convertit ultra terrae fines, potentiis humanis fisa, sed spem suam potissimum collocans in amanti Patris actione.

Non solum apertas postulationes accepit auxilii et amoris necessitatum ultimorum, sed ipsa eorum perspexit necessitates, saepe etiam occultas, ut impigrae et maternae caritati se dederet, interdum vitam quoque in periculum committens, reddens se pro omnibus nuntiam vitae et spei, signum et testimonium misericordis Dei amoris.

Sapiens et prudens, semper aequabilitatem ostendit, moderationem, iudicii et consilii maturitatem, in suis sermonibus, in electionibus ad vitam suam pertinentibus, in regimine Instituti et in necessitudine cum ceteris.

Fidelis normae non capiendi consilia nisi post petitum consilium a personis fiducia dignis, semper et per omnia quaesivit quae gloriae erant Deo et bono proximis, unicum exemplar habens Iesum Christum.

Omnia ad Deum referebat et ab Eo omnia excipiebat, etiam res adversissimas. In sua longa Antistitae Generalis experientia animum coniunxit cum prospicientia, exigentiam perfectionis et attentionem ad formationem; curam salutis Sororum, praesertim infirmarum, quae « gemmae Instituti » habebantur, et benignitatem maternam erga omnes: quae eius exsistentiae eiusque muneris proprietas fuit.

Fuit et mansit semper mater, dupliciter mater: filiorum secundum sanguinem, quos nec est oblita nec corde submovit, et Sororum.

Amor Dei id erat, quod magis eam inflammabat cum Sorores alloquebatur; et « caritas fraterna », «amor mutuus», « spiritus familiae » caput fuerunt eius paedagogiae. Facultatem regiminis Antistitarum existimabat ex ardore materno quem ostendebant.

Paupertatem exercuit, paenitentiis iunctam et castigationibus tamquam amoris signis. Modesta et verecunda in tractatione inque sermonibus cum omnibus — sed non nimiae observantiae serva — in suo exteriore habitu aestum amoris sui sponsalis erga Dominum referebat. Oboedientissima semper et per omnia, quamquam vivax indole erat et amplae eius cogitationes, strenua fuit in hac virtute explicanda, quam ducebat «verae sanctitatis fundamentum ». Strenua in ceterarum virtutum cultu, altius etiam humilitatem est exsecuta. De sua parvitate et miseria certa, Serva Dei se « ultimam omnium » habebat, definiens se « mulierem indignissimam », « ad nihilum aptam », « peccatricem maximam », adeo ut semper se occultaret seque subtraheret ab omnium admiratione.

Romae sua terrena peregrinatione confecta, Dei Serva ad Domum Patris rediit pridie Nonas Maias anno 1900, sanctitate clara, multis filiabus suis spiritalibus eminentium virtutum singulari exemplo relicto.

Eius testimonium eiusque charisma fecunditatem suam declarare perrexerunt; namque arbor, ab ea sata in Ecclesia, aucta est ramo Sororum vitae contemplativae, ramo masculino « Filiorum Sanctae Annae », Instituto saeculari et Motu fidelium laicorum, iam toto orbe terrarum diffuso.

Sanctitatis fama, qua Anna Rosa Gattorno claruit in vita, sine intermissione crescens post mortem, adduxit Filias Sanctae Annae ad postulandum ab Auctoritate ecclesiastica ut sine mora Causam introduceret eius beatificationis.

Tredecim post pium transitum annis initus est Processus Informativus Romanus (annis 1913-1927), cui additi sunt Processus Rogatoriales Neapolitanus, Placentinus, Panormitanus, Genuensis, quorum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 19 mensis Septembris anno 1991 promulgatum. Perfecta *Positione,* inquisitae sunt virtutes ut cognosceretur utrum Serva Dei eas heroum in modum exercuisset an non. Die 22 mensis Maii anno 1998 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris actus est, exitu cum prospero. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria Calendis Decembribus habita eodem anno, Causae Ponente Excellentissimo Domino Remigio Ragonesi, Archiepiscopo titulari Ferentiensi, professi sunt Servam Dei Annam Rosam Gattorno quemadmodum héroes, eodem modo virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exsecutam esse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congre-

gationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Annae Rosae Gattorno, Fundatricis Congregationis Filiarum S. Annae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

£B IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

TARVISINA

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Andreae Hyacinthi Longhin ordinis fratrum minorum capuccinorum episcopi Tarvisini (1863-1936)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei» *(1 Cor* 4, 1).

Horum Apostoli verborum conscius, episcopus Andreas Hyacinthus Longhin, tantummodo Deum quaerens et animas, in sua vita perfecit quae Concilium Oecumenicum Vaticanum II erat postea pastoribus gregis Christi propositurum: « ...humiliter et fortiter exsequantur ministerium suum, quod ita adimpletum, etiam pro eis erit praecelsum sanctificationis medium» *(LG* 41).

Servus Dei in vitam venit die 22 mensis Novembris anno 1863 in pago vulgo vocato *Fiumicello di Campodarsego,* intra fines posito dioecesis et provinciae Patavinae. Baptizatus est die sequenti, nomine capto Hyacintho. Filius

unicus, omnibus est a parentibus curis cultus, qui vere ex fide christiana vivebant quique animo eius altum sensum iniecerunt officii et seriam pietatem.

Sedecim annos natus, cupiens vitam suam Domino consecrare in paenitentia et in apostolatu sacerdotali, ingressus est Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum, in religiosa provincia Veneta, non paucis superatis difficultatibus. Habitum Franciscanum induit Bassani die 27 mensis Augusti anno 1879, nomine sibi imposito Fratre Andrea, ibique professionem simplicem emisit die 28 mensis Augusti anno 1880. Patavii sollemniter professus est die 4 mensis Octobris anno 1883 atque Venetiis die 19 mensis Iunii anno 1886 ordinatus est presbyter.

Religiosus et fervidus sacerdos, scientiis theologicis bene instructus, quarum studium continuaverat etiam post ordinationem presbyteralem, mox Superiorum fiducia est iussus institutionem curare et moderationem spiritualem clericorum Capuccinorum. Duplici hoc munere obstrictus operatus est Utini, Patavii et Venetiis, ubi professor fuit Theologiae et Sacrae Eloquentiae ab anno 1891 ad annum 1902.

Ardenti sanctificationis proximorum studio extra domum religiosam impellebatur, in ecclesias regionis Venetae, ubi fervidae se dedebat verbi Dei praedicationi atque formationi spirituali per confessionum peccatorum ministerium.

Sanctus Pius X, id temporis Venetiarum patriarcha, saepe, in difficilibus condicionibus, ab eo consilia petebat, eumque clericis suis et personis consecratis indicabat insignem spiritus magistrum.

Die 18 mensis Aprilis anno 1902 electus est suae provinciae religiosae Minister. Onus animadvertit suos fratres servandi in spiritu Seraphici Asisinatis, opportunas admonitiones praecedens austera precationis, paenitentiae et laboris vita.

Pridie Idus Apriles anno 1904, in salutatione Sancti Pii X, ab ipso Papa audivit se episcopum nominatum Tarvisinum. Quamvis iterum atque iterum confirmasset se esse episcopatu indignum, die 17 mensis Aprilis anno 1904, Romae, in ecclesia Trinitatis ad Montes, collata est ei ordinatio episcopalis a Cardinali Secretario Status Raphaële Merry del Val. Illius celebrationis memoria vivissima mansit in Summo Pontifice Ioanne XXIII, qui caeremoniae interfuit tamquam « seminarii alumnus inserviens ».

Ab anno 1904 ad annum 1936, per triginta duos annos, cum diligentia et firmitudine dioecesim Tarvisinam rexit. Cum fortiter suas sentiret responsabilitates pastorales, cotidie eas explevit cum sedulitate quae nec tempori nec viribus parcebat, quandoquidem in munere cotidiano recte ad effectum adducto singulari cum immolatione viam collocabat suae sanctificationis.

De veritate catholica sollicitus, fovit curavitque catechismum docendum pueros atque adultos; cum populo suo verbum Dei communicavit per praedicationem accurate praeparatam perque scripta et epistulas pastorales. Cum necessitates intellegeret sanctitatis sacerdotalis, indefessus laboravit pro clericorum et sacerdotum sanctificatione, volens eos esse homines ad doctrinam praeparatos et Spiritus Sancti plenos, ut Populi Dei magistri essent et exemplaria.

Certus de necessitate mundum christiane fermentandi, religiosis et laicis aderat, eorum consulens formationi spiritali ac sedulitati apostolicae per crebrum commercium epistulare, iteratos occursus personales, recessus et exercitationes spiritales, explanationem et studium doctrinae catholicae, maximam alacritatem ad confessiones audiendas.

Industrius circa bonum spiritale populi sui, instituit in dioecesi Collegium Sacerdotum Oblatorum et anno 1920 Collegium condidit pro christiana iuventutis educatione.

Etiam de pauperibus deque operariis, praesertim de agricolis, Servus Dei bene meritus est insigniter. Animose, omni adhibito instrumento, quod ei suggerebat recta ratio christiana-socialis, populo industrio, praecipue agresti, condicionem vindicavit humane et christiane altiorem, adeo ut diceretur « defensor et pater agricolarum ».

Omnem paternitatem suam et pastoralem animum ostendit priore bello pancosmio, annis 1915-1918, cum suam dioecesim bello vidit invasam ipseque voluit in loco manere, non communem significans christianam fortitudinem, ut cum filiis suis pateretur. Pastor bonus qui non fugit, sauciatos consolatus est, hospitio accepit prófugos, milites confortavit, indigentes servavit, episcopium et seminarium aperuit quo urgentioribus subveniret necessitatibus et, post fugam administrationis civicae et Operum Piorum, apparavit in urbe, cum suis sacerdotibus, servitia magis necessaria, re factus illis diebus, post cladem ad locum *Caporetto,* « syndicus urbis Tarvisinae ».

Bello confecto, prospexit reparationi materiali et, in primis, morali, plus quadraginta paroeciarum deletarum, suos filios revocans ad principia Evangelii et ad praecepta Ecclesiae, fortiter et sine compromissis, voce et scriptis, doctrinas sociales religioni Christianae infestas, arguens.

Fautor coeptorum dioecesanorum, iniit et ad effectum adduxit tres visitationes pastorales, annis 1905, 1921, 1925. Celebravit anno 1911 Synodum dioecesanam, anno 1921 Congressum Eucharisticum dioecesanum et anno 1922 Congressum catechisticum dioecesanum.

A Curia Romana permagni habitus ob indefatigatam industriam pastoralem non communi vitae probitati coniunctam, Servus Dei nominatus est a Pio XI Administrator Apostolicus dioecesis Patavinae prius (anno 1923) et Visitator atque Administrator Apostolicus archidioecesis Utinensis postea (annis 1927-1928). In his duabus dioecesibus, perdifficilibus in condicionibus, prudentiam ostendit, sapientiam, indulgentiam, humanitatem, necessariae pastorali firmitudini non cedens.

Tota haec opera impensa vita interiore sustentabatur, ex qua cotidie erat in meditationem intentus, in precationem privatam et publicam, in divinorum mysteriorum celebrationem, in actionem liturgicam, in lectionem verbi Dei et magistrorum spiritus, in studium et pervestigationem veritatis quae, eius facta lux interior, in oratoriam accensam transfundebatur, quae gregem ei commissum alebat.

Servus Dei vere erat «vir iustus», et de eo dici etiam poterat igitur «ex fide vivit» *(Rom* 1, 17, ***Gal*** 3, 11; *Heb* 10, 38). Is fidem non declamabat, non recitabat, non ad adiuncta accommodabat nec ad temporum condiciones: ex ea vivebat. Quae fides omnem diem eius replebat et propriam indolem ei tribuebat, omnem electionem notabat, omne verbum; idque privatim et palam. Eius fidei multum profuit, et praesertim eius spiritui fidei, non communis scientia theologica qua praeditus erat. Haud dubie haec scientia eius nutrivit rationes cum Superioribus cumque Fratribus in episcopatu; quae simul vehementem eius filii amorem in Ecclesiam incitavit. Non aliam normam volebat, nisi Papae, pro cuius defensione et filii affectu vehementes, publicas, animosas sustulit declarationes. In dioecesibus semper pietatem aluit, praecipue eucharisticam et Marialem.

Propter talem tantamque fidem Servus Dei homo fuit spei, totus semperque attentus ad « ea quae sunt Patris », in eius brachiis iacens, divina eius Providentia fisus.

Ipsa eius caritas significatio fidei fuit, tum si Deum cardinem habebat, tum si ad fratres se vertebat cum « visceribus misericordiae ». Sui oblitus, totam vitam in aliorum servitium impendit. De suis sacerdotibus curam adhibuit; eos semper defendit, multa fecit pro eorum sanctificatione utque eos multimodis adiuvaret. Sodales fratres diligebat, religiosis mulieribus opitulabatur, paternum se ostendebat erga suos adiutores. Peccatores amavit, infirmos visitavit, pauperum factus est pater.

Ex more Franciscano pauper fuit, castitatis custos, exemplar oboedientiae.

Laudatus et admiratione adfectus, nominatus ad Solium Pontificium Adstator (anno 1923) et titulo exornatus Archiepiscopi (1928), magni due-

tus a Summis Pontificibus, a Congregationibus Romanis et a multis Episcopis, in dioecesi et extra indicatus episcopus « doctus et sanctus », Servus Dei semper de se modeste sensit, submisse se gerens coram magnis et parvis.

Multo labore extenuatus et conscius non posse se sicut antea gregi sibi concredito servire propter disturbationes valetudinis quibus afficiebatur, anno 1932 muneris abdicationem exhibuit, quam bis adhuc iteravit, sed Pius XI numquam eam accepit, volens Servum Dei dierum suorum finem facere tamquam Episcopum Tarvisinum.

Crucis magister cum iis qui maerebant, precatus est ut posset se morbo purificare, et ipse quoque de sua vixit calvaria, a Deo accipiens quod erat in eius voluntate: «Quidquid vult Deus facere de nobis deque nostra vita, faciat. Is Dominus est et nos sicut servi boni debemus ei oboedire, inconsulte et .sine quaerimoniis... Pulchrum est Deo servire, sed pulchrius est Illi servire in dolore usque ad mortem» (1935).

Sacramentis recreatus, post vitam ex toto in Deum impensam et in fratres, animam Domino reddidit die 26 mensis Iunii anno 1936, septuaginta tres annos natus. Frequentissimae personae concurrerunt ut corpus venerarentur Episcopi qui, in vita et in morte, appellatus est « Episcopus sanctus ». Sanctus Pius X, pridie Idus Augustas, anno 1907, de eo scripsit: «Unus est ex filiis meis primogenitis... vere sanctus, doctus; episcopus priscorum temporum, qui in sua dioecesi vestigium indelebile relinquet sui apostolici ardoris ».

Fama sanctitatis qua per totam vitam enituit, perduravit, quin crevit apud omnem personarum ordinem. Processus Informativus super fama sanctitatis instructus est in dioecesi Tarvisina ab anno 1964 ad annum 1967, et est completus duobus Processibus Rogatorialibus, Patavii (anno 1964) et Utini (anno 1965) celebratis.

Processus Apostolicus celebratus est a die 18 mensis Iunii anni 1982 ad diem 26 mensis Iunii anni 1985. Idibus Iuniis anno 1986 promulgatum est Decretum de validitate Processuum.

Confecta *Positione,* disceptatum est ex norma an Servus Dei virtutes exercuisset heroum in modum. Die 19 mensis Decembris anno 1997 actus est, eventu cum felici, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria pridie Nonas Octobres habita anno 1998, Causae Ponente Excellentissimo Domino Fiorino Tagliaferri, Episcopo emerito Viterbiensi, agnoverunt Episcopum Andream Hyacinthum Longhin coluisse sicut heroas addecet virtutes théologales, cardinales et iis adnexas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more con vocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Andreae Hyacinthi Longhin, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, Episcopi Tarvisini, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

© **IOSEPHUS SARAIVA MARTINS**
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VALENTINA

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Iosephae Campos Talamantes fundatricis Congregationis Religiosarum Operariarum Catechistarum Nostrae Dominae a Doloribus (1872-1950)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Accipe puerum istum et nutri mihi » *(Ex* 2, 9).

Verba haec ratio fuerunt apostolatus Servae Dei Iosephae Campos Talamantes, quae, tempore Ecclesiae Hispanicae difficili, animadvertit a se Dominum postulare ut christianae puerorum et iuvenum educationi operam daret, praesertim per doctrinae christianae institutionem. Suae vocationi fidelis, sedulo interfuit ipsius Ecclesiae officio, quae « in munere suo educationis explendo de omnibus aptis subsidiis sollicita, praecipue de eis curat quae ipsi sunt propria, quorum primum est institutio catechetica quae ii-

dem illuminat et roborat, vitam secundum spiritum Christi nutrit, ad mysterii liturgici consciam et actuosam participationem conducit atque ad actionem apostolicam excitat » (CONC. OECUM. VAT. II, Declaratio de educatione christiana *Gravissimum educationis,* 4).

Orta est Serva Dei in Hispanico viculo vulgari sermone denominato *Alacuás,* apud Valentiam sito, mensis Ianuarii die 21, anno 1872, a legitimis coniugibus Francisco Campos Barbera et Mariana Talamantes Serra, humilibus operariis et sinceris christianis. Ad baptismalem fontem nomina cepit Iosepham Agnetem et pars facta est populi Novi Foederis, cui postea magna erat servitia praestatura suo apostolatu suoque vitae sanctitatis testimonio. A pueritia propensione eminuit in pietatem inque studium proximis serviendi.

Ex natura bonam indolem accepit, expolitam insuper diligentibus curis et optimae matris exemplis ac deinde moderatione piae doctaeque praeceptricis. Adhuc puella, Serva Dei augeri sensit appetitionem artius cum Domino se coniungendi et septem et decem annos nata ingressa est Institutum Sororum Adoratricum SS. Sacramenti et a Caritate, sed quinque annis post vivo affecta dolore debuit ad familiam propter valetudinis causam redire. Cum sensisset se consanuisse, inter Oblatas a Sanctissimo Sacramento ingredi est conata, sed huius Congregationis Conditrix ei dixit eam a Domino ad alia destinatum iri. Nihilominus propositum perrexit fovere consecrandi se Domino et exercitatione virtutum christianarum se confirmare, potissimum ferventi eucharistica pietate. Tandem eius perseverantia est praemio donata.

Anno 1907 in paroecia pagi *Alacuás* Consociatio Filiarum Mariae exorta est cuius Serva Dei Praeses est facta. Ardoris plena, cum sociis se dedidit caritatis et apostolatus operibus ac peculiari cum alacritate et animi inflammatione institutionem provexit catechismi. A suo spiritus magistro firmata, nempe P. Bernardino Maria ab *Alacuás,* Tertiario Capuccino, suam extendit industriam catecheticam etiam ad alias paroecias seque iuvenibus adiutricibus circumsaepivit, quas ipsa ad munus suum quam optime explendum praeparabat. Ita ferventium hic christianae doctrinae praeceptricum coetus ad effectum adduxit id, quod Summus Pontifex Pius X erat per Litteras Encyclicas « Acerbo Nimis » suasurus. Inceptum consolidatum est et anno 1909 nata est Consociatio Catechistarum Virginis a Doloribus, quarum finis praecipuus erat infantes catechismum docere. Iuvenes mulieres Consociationis sodales in duas classes di videbantur: earum scilicet quae in communitate vivebant et earum quae, in propriis familiis manentes, Operis consilia communicabant.

In paupertate, in sacrifìcio inque difficultatibus et repugnantiis Consociatio, sapienter recta a Serva Dei, ab Archiepiscopo Valentino sustenta et a Nuntio Apostolico, atque valenter adiuta a Servo Dei Iosepho Bau Burguet, sacerdote dioecesano, crevit, actionem suam extendit ad curam adque educationem puellularum parentibus orbatarum et pauperum, ac die 25 mensis Ianuarii anno 1925 ab Archiepiscopo Prudentio Melo y Alcalde erectionem canonicam obtinuit. Nova Familia vitae consecratae, hodie denominata Congregatio Religiosarum Operariarum Catechistarum Nostrae Dominae a Doloribus, inde ab initio gubernata est ab ipsa Conditrice quae, postridie Idus Apriles eodem anno vota temporanea suscepit una cum triginta gregalibus, nomen cepit Iosepham Virginis a Doloribus et electa est Antistita generalis. Triennio post professionem fecit perpetuam una cum suis consiliatricibus.

Novi Instituti fructus apostolatus abundantes fuerunt donec belli civilis Hispanici tempestas supervenit, quae dispersionem suscitavit graviaque communitati Servae Dei detrimenta, quae comprehensionem effugit, cum duae Sorores essent interfectae utpote quae Religiosae essent. Pace reddita, Serva Dei statim ex suo exiit latibulo et, indomita, consuluit vitae communi restituendae et Regulae observantiae, domibus laesis reficiendis atque operibus apostolatus excitandis atque augendis.

Hoc modo ad bonum se contulit Ecclesiae, Congregationis suae et animarum. Pro sua consecratione vixit et cum fervore munere est iuncta sibi a Providentia concredito. Cum sedulitate, perseverantia gaudioque spiritali virtutes coluit christianas atque Deo adiuvante constanter in via est progressa sanctitatis. Fides lumen fuit vitae eius inde a iuventute; namque firmiter in Deum credidit et in eius verbum, ex toto ei se commisit nihilque aliud appetivit, nisi illum nuntiare atque efficere ut a Sororibus sodalibus, a pueris, a iuvenibus et ab iis, qui illam adibant, amaretur. Fidei diffundendae causa novam Congregationem instituit et, indefatigabilis vineae Domini operaría, labores obiit et incommoda pro Dei Regni incremento, nisa est lineamenta Christi in se referre atque coniunctionem cum eo alere per oboedientiam divinae voluntati, fugam peccati, liturgiam, meditationem, precationem, peculiarem pietatem erga Sacrum Iesu Cor, erga Eucharistiam, Virginem Perdolentem perque ipsa apostolatus opera. Ex tota mente et ex toto corde Deum dilexit et propter Dei amorem opera misericordiae spiritalis et corporalis explicavit atque peculiariter diligens fuit pro sua communitate, pro pauperibus, orphanis, maerentibus et aegrotis. Quotquot

cum ea contumeliose egerant ignovit et quotquot eam offenderant. Cum amabilitate et firmitudine filias suas spiritales rexit in Dei servitio atque animarum inque earum animis continenter ignem aluit caritatis. Prudens fuit in usu instrumentorum ad perfectionem christianam consequendam, in apostolatu et in regimine sui Instituti, in rationibus cum auctoritatibus ecclesiasticis atque civilibus et libenter superiorum Sororumque consilia petebat. Iustitiam explicavit erga Deum et proximos, fortitudinem in Christo sequendo inque difficultatibus, in usu terrestrium bonorum temperantiam. Regulam observavit votaque religiosa, continuo praebens exempla amoris paupertatis, oboedientiae, castitatis. Humilitatis virtute effulsit, honores vita vit, aequo animo indignationes et res adversas excepit et Divina fisa est Providentia. Constans eius moderatio non dos tantummodo eius indolis erat, verum et signum eius animi effusionis in manibus Dei, in quo totam suam collocaverat spem. Infirmitates, quibus extremis vitae annis est affecta patienter tulit, diligenter praeparans se ad aeternitatem ingrediendam lampade cum accensa.

A sua Congregatione et a populo dilecta et venerata, in Domino obdormivit die 30 mensis Iunii anno sancto Iubilaei 1950.

Fama sanctitatis qua in vita claruit etiam post mortem perduravit; quapropter Archiepiscopus Valentinus anno 1963 initium fecit beatificationis et canonizationis Causae per celebrationem Processus Ordinarii Informativi, quem secutus est Processus Additicius, apud eandem Curiam instructus annis 1983-1985. Harum canonicarum inquisitionum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto pridie Idus Martias promulgato anno 1986. Perfecta *Positione,* secundum normas disceptatum est utrum Dei Serva virtutes heroum in modum coluisset an non. Nonis Marths anno 1997 Consultores Theologi, in Congressum Peculiarem congregati affirmationem significaverunt. Patres Cardinales deinde atque Episcopi in Sessione Ordinaria die 15 mensis Decembris acta anno 1998, Causae Ponente Eminentissimo Domino Cardinali Alfonso López Trujillo, professi sunt Servam Dei Iosepham Campos Talamantes sicut héroes decet virtutes théologales, cardinales iisque adnexas explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Con-

gregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Iosephae Campos Talamantes, Fundatricis Congregationis Religiosarum Operariarum Catechistarum Nostrae Dominae a Doloribus, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1998.

© IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

©Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

VICENTINA

Canonizationis beatae Iosephae Bakhita sororis professae instituti Filiarum a Caritate (1869-1947)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Iosepha Bakhita in lucem edita est in pago regionis *Darfur* in Sudania australi anno 1869. Octo annos nata, a venaliciis nigritarum rapta est et tamquam serva vendita. Cum ex ordine diversis dominis traderetur, violentias atque molestias omne genus passa est, sed indolis mansuetudinem servavit, innocentiam, perspicuam religiositatem naturalem. Cum in Italiam pervenisset est ei libertas concessa, religionem christianam cognovit atque gaudii plena sivit se baptizari. Christi amore capta, ingressa est Congregationem Sororum a Caritate et anno 1896 Veronae religiosam professionem emisit. Humilibus muneribus est iuncta, Deum laudavit vitae sanctitate splendidumque semper testimonium dedit fidelitatis suae consecrationi, oboedientiae, alti deprecationis spiritus et studii salutis animarum. Fama sanctitatis clara, obdormivit in Domino die 8 mensis Februarii anno 1947 in oppido *Schio.*

Beatificationis et canonizationis Causa inita est anno 1955 apud Curiam Vicentinam. Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 17 mensis Maii anno 1992, ei honores contulit Beatorum.

Canonizationis respectu, Postulatio Causae Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit coniectam miram sanationem, in Brasilia patratam, E vae Da Costa Onishi quae, cum esset diabeta affecta modo incerto curato, quadraginta duos annos nata cornate diabetico est correpta. Ab anno 1980, quoniam propter laborem in contagione erat cum elementis irritantibus, coepit ostendere plagas impetiginosas in cruribus, fortiter pruritivas, cum subsequenti liquore mucopurulento et formationibus ulcerationum ex sanguinis restinctione venosa. Universum hoc morbosum, abhorrens a modestis et inconstantibus therapiis adhibitis, idem permansit plures annos. Medicus qui Evam visitavit die sanationem antegresso, diagnosim fecit de lichene simplici chronico, dermatite ex sanguinis restinctione artuum inferiorum, ulcere diabetico, ulcere neurótico alto in artu inferiore dextro, tali ut os nudaret, oedemate artuum inferiorum. Hac in condicione cogitatum est etiam de crure dextro amputando et, cognita inefficacia experimentorum therapeuticorum quae iam adhibita erant, prognosis dicta est infausta quoad valetudinem. Interea facta erat beatificatio Servae Dei Iosephae Bakhita et coetus piarum mulierum se in cathedralem Santosensem congregabat ut Domino gratias ageret, utque precaretur pro iis, quae inter eas aegrotabant. His occursibus, cum poterat, intererat etiam domina Eva; quae die 27 mensis Maii anno 1992, dum erat in cathedrali una cum ceteris, tacita invocavit Beatam, rogans ut sibi a Domino crurum sanationem obtineret. Magno cum stupore sensit post invocationem suos decessisse dolores atque consuetam pruriginem. Praeter exspectationem evanuerunt ulcerationes, quae celeriter in crustas mutatae sunt et tempore brevissimo pellis sana apparuit cum yperpigmentatione.

Super sanatione mira habita, apud Santosensem Curiam anno 1995 acta est Inquisitio dioecesana, quae est rite probata a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 29 mensis Septembris anno 1995 promulgato. Medicorum Collegium Dicasterii, in sessione diei 30 mensis Aprilis anno 1998, una voce edixit sanationem fuisse rapidissimam, completam, mansuram et ex scientia inexplicabilem quoad modum. Die 25 mensis Septembris eodem anno actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum et die 15 mensis Decembris sequentis habita est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Bernardino Gantin. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beata Iosepha Bakhita, Sorore professa Instituti Filiarum a Caritate, videlicet de rapidissima, completa et mansura sanatione Evae Da Costa Onishi ab « ulcerazioni infette degli arti inferiori in paziente con insufficienza cronica del circolo venoso, diabete mellito, obesità e ipertensione arteriosa ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 21 Decembris A. D. 1998.

© **IOSEPHUS SARAIVA MARTINS**
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Ioannes Paulus PP. II per Apostolicas sub plumbo litteras iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 24 Iunii 1999. — Cathedrali Ecclesiae Timisoarensi R.D. Martinum Roos, ad praesens in eadem dioecesi Cancellarium Curiae.

die 28 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Radomensi Exc.mum P.D. Ioannem Chrapek, hactenus Episcopum titularem Cataquensem et Auxiliarem Thoruniensem.

die 2 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Davidensi Exc.mum P.D. Iosephum Aloisium Lacunza Maestrojuan, O.A.R., hactenus Episcopum Citrensem.

— Cathedrali Ecclesiae Citrensi Exc.mum P.D. Ferdinandum Torres Duran, hactenus Episcopum titularem Abaradirensem et Auxiliarem Panamensem.

die 3 Iulii 1999. — Metropolitanae Ecclesiae Barensi-Bituntinae Exc.mum P.D. Franciscum Cacucci, hactenus Archiepiscopum Hydruntinum.

— Cathedrali Ecclesiae Ecclesiensi Exc.mum P.D. Tharsicium Pillolla, hactenus Episcopum titularem Cartennitanum atque Auxiliarem archidioecesis Calaritanae.

die 6 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Helenensi, R.D. Robertum Carolum Morlino, e clero dioecesis Kalamazuensis, ibique moderatorem Curiae atque rectorem templi cathedralis.

die 8 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Tucumanensi Exc.mum P.D. Aloisium Hectorem Villalba, hactenus Episcopum Foromartiniensem.

die 9 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Voncarianensi, R.D. Leonardum P. Blair, e clero archidioecesis Detroitensis, ibique curionem paroeciae Sancti Pauli in oppido vulgo Grosse Pointe, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Frusinatensi-Verulanae-Ferentinae Exc.mum P.D. Salvatorem Boccaccio, hactenus Episcopum Sabinensem-Mandelensem.

ACTA PONTIF. CONSILIORUM

PONTIFICIUM CONSILIUM DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Responsio ad propositum dubium.

Patres Pontificii Consilii de Legum Textibus Interpretandis, in plenario coetu diei 4 Iunii 1999, dubio, quod sequitur, respondendum esse censuerunt ut infra:

D. Utrum in can. 1367 CIC et 1442 CCEO verbum « abicere » intellegatur tantum ut actus proiciendi necne.

R. *Negative et ad mentem.*

Mens est quamlibet actionem Sacras Species voluntarie et graviter despicientem censendam esse inclusam in verbo « abicere ».

Summus Pontifex Ioannes Paulus II in Audientia diei 3 Iulii 1999 infrascripto Praesidi impertita, de supradicta decisione certior factus, eam confirmavit et promulgari iussit.

© **IULIANUS HERRANZ**
archiep. tit. Vertarensis, *Praeses*

L. © S.

© Bruno Bertagna
archiep. tit. Drivastensis, *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 28 Giugno 1999, S.E. il Signor MARTIN STROPNICKY, Ambasciatore della Repubblica Ceca presso la Santa Sede.

Ha altresì ricevuto in Udienza:

Giovedì, 24 Giugno 1999, Sua Maestà il Re MICHELE e la Regina ANNA DI ROMANIA.

Venerdì, 25 Giugno 1999, S.E. il Signor GUNTIS ULMANIS, Presidente della Repubblica di Lettonia.

Sabato, 26 Giugno 1999, S.A. EM.MA FRA ANDREW W.N. BERTIE, Principe e Gran Maestro del Sovrano Militare Ordine di Malta.

Lunedì 28 giugno 1999 si è riunita « coram SS.mo » la Congregazione delle Cause dei Santi.

Venerdì 3 luglio 1999 il Santo Padre ha tenuto Concistoro ordinario pubblico.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo lì ha nominato:

19 giugno 1999. Mons. Luigi Bonazzi, Arcivescovo tit. eletto di Atella, *Nunzio Apostolico in Haiti.*

23 » » S.E. mons. Lorenzo Baldisseri, Arcivescovo tit. di Diocleziana, Nunzio Apostolico in India, *Nunzio Apostolico in Nepal.*

24 agosto » Ill.mi e Rev.mi monsignori Leonardo Erriquenz e Francesco Bruno, *Protonotari Apostolici « de numero participantium ».*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

17 maggio 1999. **S.E. mons. Carlo Curis, Arcivescovo tit. di Medeli,** *Consultore della Congregazione per le Chiese Orientali « ad quinquennium ».*

2 giugno » **S.E. mons. Mario Oliveri, Vescovo di Albenga-Imperia,** *Membro della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti « ad quinquennium ».*

5 **luglio »** **S.E. mons. Francesco Marchisano, Arcivescovo tit. di Populonia,** *Presidente della Pontificia Commissione per i Beni Culturali della Chiesa « in aliud quinquennium ».*

8 » » **S.E. mons. Agostino Marchetto, Arcivescovo tit. di Astigi,** *Osservatore Permanente della Santa Sede presso le Organizzazioni e gli Organismi delle Nazioni Unite per l'Alimentazione e VAgricoltura (F.A.O., I.F.A.D., PAM. e CM.A.).*

12 » » **Mons. Mario Zenari, Arcivescovo tit. eletto di Zuglio,** *Nunzio Apostolico in Costa d'Avorio, Burkina Faso e Niger.*

NECROLOGIO

9 luglio 1999. **Mons. Jean François M. Streift, Vescovo em. di Ne vers** *(Francia).*

11 » » **Mons. Vittorio Fusco, Vescovo di** Nardo**-Gallipoli** *(Italia).*

19 » » **Mons. Ignace Raad, Arcivescovo em. di Saida dei Greco-Melkiti** *(Libano).*

23 » » **Mons. Juan Bockwinkel, Vescovo Prelato em. di Encarnación** *(Paraguay).*

An. et vol. XCI 7 Octobris 1999 N. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSISTORIUM ORDINARIUM PUBLICUM

Feria VI, die n Iulii MCMXCIX, in Palatio Apostolico Vaticano vocatis praesentibusque patribus cardinalibus, sacris praesulibus et Romanae Curiae praelatis quibus intimari solet, fuit *Consistorium ordinarium publicum* ad sex Canonizationis causas perpendendas, scilicet Beatorum Cyrilli Bertrandi et octo Sociorum, Innocentii ab Immaculata, Benedicti Menni, Thomae a Cori, Mariae a Iesu Sacramentato, Iosephinae Bakhita.

Dicta hora sexta archiep. Iosephus Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum praefectus, brevem excursum habuit de vita et miraculis Beatorum et singulas causas apud Summum Pontificem peroravit.

Hisce auditis, Sanctissimus, nemine ex patribus iure suffragii praeditis contradicente, ex cathedra sententiam Suam sic protulit:

Auctoritate Dei Omnipotentis, Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, decernimus ut Beati Cyrillus Bertrandus et octo Socii, Beatus Innocentius ab Immaculata, Beatus Benedictus Menni et Beatus Thomas a Cori die vicesima prima Novembris anno millesimo nongentesimo nonagésimo nono; Beata Maria a Iesu Sacramentato, die statuendo; Beata Iosephina Bakhita die prima Octobis anno bismillesimo, in Sanctorum album referantur.

Post Domini Papae benedictionem, protonotarii apostolici participantes, de more rogati, instrumentum publicum se confecturos esse promiserunt et sic Consistorium absolutum est.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Antonio Mariae Schwartz Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam super misericordia tua et veritate tua. Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc et usque in saeculum» *(Ps* 115, 1. 18).

Dioecesis Vindobonensis sacerdos, Antonius Maria Schwartz, « Congregationis pro Operariis Christianis a S. Iosepho Calasanctio » fundator, undevicesimo exeunte saeculo, verus in Austria exstitit propheta ad Ecclesiam augendam fidemque roborandam. Vocem Domini attente et fideliter exaudiens, Sanctique Spiritus afflatus sensibilis ac vigil interpres, postulata et implicatas suae aetatis quaestiones auscultavit, potissimum vero operariorum, praecipue iuvenum, discessum a fide seu ab Ecclesia propter conflictus oeconomicos-sociales dolenter percipiens, opportuna remedia eis omni conatu praebere statuit. Die vigesima octava mensis Februarii anno MDCCCLII Badenae, in Austria, natus est, quartus ex tredecim fratribus. Pater eius opus in servitium Municipii agebat et artem musicam in theatro exercebat, mater autem rem domesticam ministrabat. Primariam instructionem apud scholam paroecialem Badenianam, cantus scholam apud Sanctam Crucem, gymnasium vero apud sic dictos « Scotos » frequentavit. Post aliquod difficultatis tempus, quo pater eius mortuus est (anno MDCCCLXI), scholam Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum ingressus est, ubi usque ad curriculi studiorum absolutionem mansit. Eo tempore in Sanctum Iosephum Calasanctium, praefati Ordinis fundatorem, profunda veneratio in corde suo orta est, quae deinceps per totam eius vitam amorem erga iuvenes egenosque inspiravit. Mense Martio anno MDCCCLXXI Vindobonense Seminarium Dioecesanum ingressus est. Viginti et unum annos natus haec scripsit: « Probe scis, Iesu, me omnia facere ardenti animo desiderare, quae me ad sanctitatem perducant. Noli me derelinquere, sed parce peccatis meis et in corde tuo divino me serva ». Dum in Seminario esset sodalium quoddam, « Amoris vinculum » vocatum, cum aliquibus Seminarii alumnis instituit, qui omnes sese ad disciplinam absolute observandam astrinxerunt. Bis

morbo correptus, eoque liberatus Beatae Mariae Virgini se devote addixit atque die octava mensis Decembris anno MDCCCLXXIII nomen Mariam proprio suo nomini adiunxit. Die vigesima quinta mensis Iulii anno MDCCCLXXV a Cardinale Iosepho Otmaro Rauscher sacerdotalem ordinationem laeto pioque animo suscepit. Post quattuor annos in parvo oppido uti Cappellanus transactos, Antonius Maria Vindobonam vocatus est ut in valetudinariis Sororum Misericordiae curam spiritualem aegrotorum gereret. Hoc sacerdotale ministerium exercens, iuvenum operariorum necessitates clare perspexit et in eorum beneficio sodalicium operariorum catholicorum sub Sancti Iosephi Calasanctii patrocinio fundavit, iisque assiduam curam pastoralem dicavit, quae mox magis magisque increvit. Anno MDCCCLXXXVIII diarium pro operariis opificibusque condidit, quod quidem diu ipse fere solus scripsit. Anno post, intra sex menses, eo moderante, templum « Sancta Maria Auxilium Christianorum » vocatum, erectum est, primum quidem Vindobonae in servitium operariorum institutum, in quo tandem die vicesima quarta mensis Novembris eiusdem anni « Congregationem pro Operariis Christianis a Sancto Iosepho Calasanctio » fundavit. « Vastissimam » esse, aiebat P. Schwartz, huius Congregationis messem. Ii profecto, quos ipse ad amorem Dei et ad vitam Deo dignam ferendam trahere cupiebat, vere pauperes seu indigentes erant. Operarii enim tunc temporis nullo syndicatus vel legum auxilio fruebantur ad tempora laboribus dedicanda iuste et humaniore modo moderanda. Sed et pueri quidem duodecim horis cotidie, die quoque dominica, laborare debebant. Non solum autem adversus hos abusus ipse Antonius Maria omni ope contendit, sed et iuvenum operariorum christiana institutio, quae humanam etiam formationem secum ferret, prorsus cordi eius erat, ut opificum labor et vita digniores evaderent et iniqua socialis condicio in melius mutaretur. Primam sedem seu officinam ad laborem inveniendum ipse pro iuvenibus condidit, cuius subsidio complures profecto reppererunt ac digniorem condicionem laboralem dominicamque quietem in tuto consequi potuerunt. « Animam meam tolle; ipsa enim tua iam est! » Verba haec magis magisque vera in eius vita fiebant. Eius anima, vivida ac ardenti fide Domino consecrata eique in sacrificium pro bono potissimum dilectissimae Austriae dicata erat. Prophetam vero eiusque rationes non multi audire voluerunt. Pauci revera ipsius incepta sunt secuti quae monita litterarum Encyclicarum *Rerum novarum* Leonis Papae XIII praecedebant simulque adimplebant. Ideo, quamvis indifferentia multorum vel malevolenza et ignoratione dolenter affectus, firmus tamen in suo proposito man-

sit, fidelisque semper vocationi suae usque ad mortem. Tandem, nimia operositate defatigatus, itemque quotidiana et ardua sollicitudine affectus in moderanda vel gubernanda Congregatione quam fundaverat, veneratione et fama sanctitatis saeptus, die decima quinta mensis Septembris anno MCMXxix ex hac vita migravit. Multitudo ingens, etsi urceatim plueret eius funeri devotissime interfuit.

Beatificationis et canonizationis causa anno MCMXLIX apud Vindobonensem Curiam episcopalem est introducta. His quae a iure praescribuntur peractis, Nos die vigesima prima mensis Martii anno MCMXCV declaravimus Dei Servum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas in gradu heroico exercuisse. Item, coram Nobis die quinta mensis Maii anno MCMXCVIII decretum probatorium super miraculum prodiit, quod anno MCMLXXII Vindobonae accidit. Statuimus ergo ut Beatificationis ritus ibidem, cum Austriam inviseremus, die vigesima mensis Iunii anno MCMXCVIII sollemniter celebraretur.

Hodie igitur Vindobonae, inter Missarum sollemnia, hanc ediximus formulam: « Nach Beratung mit der Kongregation für die Selig- und Heiligsprechungen erfülle ich gern die Bitte meines Bruders Christoph Kardinal Schönborn, Erzbischof von Wien, und vieler anderer Brüder im Bischofsamt sowie zahlreicher Christgläubiger. Ich gestatte kraft meiner Apostolischen Autorität, daß die ehrwürdige Dienerin Gottes Maria Restituta Kafka und die ehrwürdigen Diener Gottes Jakob Kern und Anton Maria Schwartz künftig Selige genannt werden. Das Gedächtnis der seligen Maria Restituta soll alljährlich am 29. Oktober, das Gedächtnis des seligen Jakob Kern alljährlich am 20. Oktober und das Gedächtnis des seligen Anton Maria Schwartz alljährlich am 17. September an den Orten und in der Weise gefeiert werden, wie es die Vorschriften bestimmen. Im Namen des Vaters und des Sohnes und des Heiligen Geistes ».

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus quibuslibet.

Datum Vindobonae, sub anulo Piscatoris, die xxi mensis Iunii anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
83 ANGELUS card. **SODANO**

Loco 83 Sigilli
In Secret Status tab., n. 442.396

II

Venerabili Dei Servo Aloisio Victorio Stepinac Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert » *(Io* 12, 24).

Insigniter verba haec id complectuntur quod Venerabili Dei Servo Aloisio Victorio Stepinac, Archiepiscopo Zagrebiensi ipsique Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, evenit, qui tristissimos saeculi xx casus expertus est, quique Ecclesiae Croatae persecutionum in tenebris claritate, fidei soliditate, Ecclesiae Christi Romamque Pontificis applicatione effulsit. Ex eucharistico convivio ac precatione virtute deprompta, divini Pastoris caritatem usque ad martyrium imitatus est, prorsus sibi conscius, « dum quis cum Iesu patitur — ut aiebat — omnia tum facilia evadere ». Firmus ille Archiepiscopus in oppido *Brezaric* Croatiae die VIII mensis Maii anno MDCCCXCVIII ortus est. Iuventutem intra familiam transegit, quae affectu christianoque sensu locupletabatur. Re mature perpensa, sacerdotium affectavit, quod anno MCMXxx Romae suscepit. Patria repetita, animose pastorali muneri operam dedit. Anno MCMXXXIV Archiepiscopus Coadiutor factus est senis Archiepiscopi Zagrebiensis, cuius locum anno MCMXXXVII occupavit. Fidelis usque fuit sententiae illi quae est: «In te, Domine, speravi» *(Ps* 31, 1) atque in difficillimis acerbissimisque quoque casibus permagnam vim interiorem divinaeque Providentiae fiduciam ostendit. Historiae provocationibus occurrit atque, Evangelio inserviens, prophetice perniciosam vim denotavit illarum ideologiarum, quae Dei adorationi personaeque humanae dignitati adversabantur. Omnes immerito vexatos atque Ecclesiae iura tuitus est, cui usque fidelis mansit, qui eam communistarum regi ideologia eamque a Christi Vicario dissociari, ecclesia sic dicta constituta nationali, haud est passus. Sui gregis bonus pastor, largiter verbi panem per praedicationem et catechesim dispensavit. Eucharisticam pietatem curavit, saepe dictitans: « Omnia sunt facilia ei qui cum Christo est ». Filialem in Redemptoris Matris devotionem ostendit atque studiosam caritatis operam pro pauperibus, aegrotis, profugis sustinuit, populum patientem sic solando. Nova paroecialia instituta condidit, catholica scripta promovit, consociationes laicorum catholicas composuit, religiosos religiosasque in pastoralem archidioecesis operam et caritatis immisit. Assidue cum Deo coniunctionem fovit, pie di-

vina mysteria celebrando atque Missa eiusdem dierum apostolatusque fuit cardo. Aequo animo aerumnas et contumelias toleravit, certitudine illa roboratus Ecclesiae universalis pro se precatione coniungi se cum Episcopo Romano. In illa permagna adversus Ecclesiae persecutores concertatione, se ipsum aliosque incitavit ad fidelitatem dicens: « Ubi est Petrus, ibi est Ecclesia ». Et suam spem his verbis confirmabat: « Temperies transibit, sed Deus manet in aeternum ». Has propter causas communistarum potestatibus captus est et iniquo iudicio xvi annos ad vincula condemnatus. Iudicibus obiurgantibus respondit: « Scitote Iesum Christum esse Deum! Pro eo ad monendum sumus usque parati ». Plus quam quinque annos in carcere Legoplavae detentus est, deindeque anno MCMLI translatus est ad oppidum *Kraéic,* ubi in paroeciali domo vixit, a publicis custodibus inspectus. Magna cum animi fortitudine suam crucem baiulavit, universo mundo claram reddens amoris in Evangelium Ecclesiaeque unitatis testificationem. Pius XII anno MCMLIII in Cardinalium numerum eum rettulit. Eo quod in carcere ante detentus est deindeque in certo domicilio est coactus, id irreparabiliter eius valetudini detrimentum intulit. Orans, patiens suamque vitam Deo dicans, in Domino pie obdormivit die x mensis Februarii anno MCMLX. Martyris claritas quam vivus habuit, annorum decursu increbruit, ideo Archiepiscopus Zagrebiensis beatificationis canonizationisque causam anno MCMLXXXI incohavit. His perfectis rebus a iure statutis, Nobis coram die v mensis Iulii anno MCMXCVIII decretum super martyrio prodiit. Statuimus ideo ut beatificationis ritus die **III** subsequentis mensis Octobris, Nobis commorantibus pastoralem ob rationem in oppido *M arija Bistrica* Croatiae, celebraretur.

Hodie idcirco, inter Missarum sollemnia formulam hanc protulimus:

Mi, udovoljavajuci zelji Nasega brata zagrebackoga nadbiskupa Josipa Bozanica te brojne druge brace u biskupstvu i mnogih vjernika, posto smo razmotrili misljenje Zbora za proglasenje svetih, Nasom apostolskom vlascu dopustamo da se sluga Bozji Alojzije Stepinac od sada naziva blazenim i da se svake godine, na dan njegova rodenja za nebo, desetoga veljace, moze slaviti n j ego v spomendan na m j estima i na nacin kako je to odredeno kanonskim propisima U ime Oca i Sina i Duha Svetoga.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma volumus esse, contrariis rebus minime obstantibus quibuslibet.

Datum Marijae Bistricae, sub anulo Piscatoris, die in mensis Octobris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
£8 ANGELUS card. **SODANO**

Loco 93 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 449.955

III

Venerabili Dei Servae Theodorae Guérin Beatorum honores decernuntur.

IOANNESPAULUSPP.il

Ad perpetuam rei memoriam. — « Dominus autem mihi astitit et confortavit me, ut per me praedicatio impleatur *(2 Tim* 4, 17) ».

Vita Theodorae Guérin eiusque apostolicus ardor tamquam imago his in beati Pauli verbis referuntur. Numquam illa, inter plurimas angustias difficultatesque, fiduciam in Domino amisit, Divinam Providentiam semper veluti firmam regulam consideravit. Venerabilis Serva Dei die **II** mensis Octobris anno MDCCXCVIII Galliae in loco v.d. *Etable-sur-Mer* orta est, in dioecesi Briocensi, e parentibus firmae fidei rectaeque vitae, a quibus validam accepit humanam christianamque institutionem. Mater quidem Theodoram edocuit artem precandi et meditandi. Inde ab adulescentis desideravit se Deo dicare, varia tamen ob familiaria incommoda et praesertim ob violentam patris mortem, aliquamdiu exspectare debuit antequam suum propositum compleret. Maxima deditione res familiares curavit atque artem sartoriam exercuit. Viginti et quinque annos nata Congregationem Sororum a Providentia ingressa est, cuius est parvulos pauperesque instituere et adiuvare. Anno MDCCCXXV vota temporaria nuncupavit, sex post annos vero perpetua. Rhedonensis urbis in suburbio officium exsequebatur quod deditione nec non apostolico suo studio in meliorem condicionem vertit. Praefuit deinde parvulae communitati loco v.d. *Soulaines.* Anno MDCCCXL, Episcopo Vincennapolitano postulante, eius in dioecesim quinque cum sororibus est missa, ut apostolatum impleret in regione deserta et invia Saint Mary of Woods vulgo appellata. Animosa illa mulier, fide caritateque plena, suum munus explevit inter multas difficultates acerbitatesque, quas una cum sororibus, sereno fortique animo tulit se dedens animarum saluti et Congregationis suae progressioni. Cum Galliam petiit ut moderatricibus difficultates explanaret missionis, illae decreverunt separationem a communitate in America exstante. Hoc modo anno MDCCCXLIII Congregatio Sororum a Providentia S. Mariae ad Nemus condita est, cuius Venerabilis Dei Serva fuit legifera mater et suprema antistita. Institutum, plurimis non obstantibus difficultatibus, incrementum habuit matre Theodora moderante, quae aequo animo magnoque spiritus ardore missionem suam exercuit, Sororum institutionem curans et in sanctitatis itinere progrediens. Meritorum dives coram Deo et

populo, in Domino obdormivit die **xiv** mensis Maii anno MDCCCLVI. Sanctitatis fama qua vivens fruebatur, post eius mortem crevit; qua de causa Indianapolitanus praesul anno MCMIX beatificationis canonizationisque causam incohavit. Nos Ipsi, die **xi** mensis Iulii anno MCMXCII, declaravimus Dei Servam heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exercuisse. Nobis coram, die vn mensis Iulii anno MCMXCVII, decretum super mirum prodiit, Venerabilis Servae Dei intercessioni adscriptum. Statuimus ergo ut ritus beatificationis Romae celebraretur die xxv mensis Octobris anni MCMXCVIII.

Hodie igitur, in foro ante Vaticanam Basilicam Sancti Petri, inter Missarum sollemnia hanc ediximus formulam: « Nos, vota Fratrum Nostrorum Flavii Roberti Carraro, Episcopi Veronensis, Claudii Hümmes, Archiepiscopi Sancti Pauli in Brasilia, Francisci Iosephi Pérez y Fernández-Golfín, Episcopi Xetafensis, et Danielis Marci Buechlein, Archiepiscopi Indianapolitani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Zephyrinus Agostini, Antonius a Sancta Anna Galväo, Faustinus Míguez et Theodora Guérin Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Zephyrini Agostini die vicesima quarta Septembris; Antonii a Sancta Anna Galväo die vicesima quinta Octobris; Faustini Míguez die octava Martii; et Theodorae Guérin die tertia Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Ea vero omnia et singula quae his Litteris decrevimus, eadem tam nunc quam in posterum tempus rata solidaque esse volumus atque praecipimus ut diligentissime animadvertantur, contrariis quibusvis rebus haudquaquam abstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Octobris anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

De mandato Summi Pontificis
& ANGELUS card. **SODANO**

Loco & Sigilli
In Secret. Status tab., n.. 445.572

HOMILIA

In beatificatione trium servorum Dei.*

1. « Prese il pane, disse la benedizione, lo spezzò e lo diede loro. Ed ecco si aprirono loro gli occhi e lo riconobbero ».[1]

Abbiamo poc'anzi riascoltato queste parole del Vangelo di Luca: esse raccontano l'incontro di Gesù con due discepoli in cammino verso il villaggio di Emmaus, il giorno stesso della risurrezione. Quest'inatteso incontro fa scaturire la gioia nel cuore dei due viandanti sconsolati e riaccende in essi la speranza. Il Vangelo riferisce che, quando lo riconobbero, partirono « senz'indugio e fecero ritorno a Gerusalemme ».[2] Sentivano il bisogno di informare gli Apostoli di « ciò che era accaduto lungo la via e come l'avevano riconosciuto nello spezzare il pane ».[3]

Il desiderio di rendere testimonianza a Gesù sgorga nel cuore dei credenti dall'incontro personale con Lui. E quanto è avvenuto per i tre nuovi Santi, che oggi ho la gioia di elevare alla gloria degli altari: Marcellino Benedetto Champagnat, Giovanni Calabria ed Agostina Livia Pietrantoni. Essi hanno aperto i loro occhi dinanzi ai segni della presenza di Cristo: lo hanno adorato ed accolto nell'Eucaristia, lo hanno amato nei fratelli più bisognosi, hanno riconosciuto le tracce del suo disegno di salvezza negli eventi dell'esistenza quotidiana.

Hanno ascoltato le parole di Gesù ed hanno coltivato la sua compagnia sentendosi ardere il cuore in petto. Quale fascino indescrivibile esercita la misteriosa presenza del Signore in quanti lo accolgono! E l'esperienza dei santi. E la stessa esperienza spirituale che possiamo fare noi, incamminati sulle strade del mondo verso la patria celeste. Pure a noi il Risorto viene incontro con la sua Parola, rivelandoci il suo amore infinito nel Sacramento del Pane eucaristico, spezzato per la salvezza dell'intera umanità. Possano gli occhi del nostro spirito aprirsi alla sua verità ed al suo amore, come è avvenuto per Marcellino Benedetto Champagnat, per don Giovanni Calabria e per suor Agostina Livia Pietrantoni.

!

*** Die 18 Aprilis 1999.**

[1] ***Lc* 24, 30-31**

[2] ***Lc* 24, 33.**

[3] ***Lc* 24, 35**

2. « Notre cœur n'était-il pas tout brûlant au-dedans de nous, quand il nous expliquait les Ecritures? ».[4] Ce désir brûlant de Dieu qui habitait les disciples d'Emmaus se manifesta vivement chez Marcellin Champagnat, qui fut un prêtre saisi par l'amour de Jésus et de Marie. Grâce à sa foi inébranlable, il est resté fidèle au Christ, même dans les difficultés, au milieu d'un monde parfois dénué du sens de Dieu. Nous sommes appelés, nous aussi, à puiser notre force dans la contemplation du Christ ressuscité, en nous mettant à l'école de la Vierge Marie.

Saint Marcellin annonça l'Evangile avec un cœur tout brûlant. Il fut sensible aux besoins spirituels et éducatifs de son époque, spécialement à l'ignorance religieuse et aux situations d'abandon que connaissait particulièrement la jeunesse. Son sens pastoral est exemplaire pour les prêtres: appelés à proclamer la Bonne Nouvelle, ils doivent être également pour les jeunes, qui cherchent un sens à leur existence, de véritables éducateurs, accompagnant chacun d'entre eux sur la route et leur expliquant les Ecritures. Le Père Champagnat est aussi un modèle pour les parents et les éducateurs, les aidant à porter un regard plein d'espérance sur les jeunes, à les aimer d'un amour total, qui favorise une véritable formation humaine, morale et spirituelle.

Marcellin Champagnat nous invite aussi à être des missionnaires, pour faire connaître et aimer Jésus Christ, comme le firent les frères maristes jusqu'en Asie et en Oceanie. Avec Marie pour guide et pour Mère, le chrétien est missionnaire et serviteur des hommes. Demandons au Seigneur d'avoir un cœur aussi brûlant que Marcellin Champagnat, pour le reconnaître et pour être ses témoins.

3. « Questo Gesù Dio l'ha risuscitato e noi tutti ne siamo testimoni ».[5]

« Noi tutti ne siamo testimoni »: chi parla è Pietro, a nome degli Apostoli. Nella sua voce riconosciamo quelle di innumerevoli altri discepoli, che nel corso dei secoli hanno fatto della loro vita una testimonianza del Signore morto e risorto. A questo coro si uniscono i santi oggi canonizzati. Si unisce don Giovanni Calabria, testimone esemplare della Risurrezione. In lui risplendono fede ardente, carità genuina, spirito di sacrificio, amore alla povertà, zelo per le anime, fedeltà alla Chiesa.

Nell'anno del Padre, che ci introduce nel Grande Giubileo del Duemila, siamo invitati a dare massimo risalto alla virtù della carità. L'esistenza di

[4] *Le* 24, 32.
[5] *At 2,* 32.

Giovanni Calabria è stata tutta un vangelo vivente, traboccante di carità: carità verso Dio e carità verso i fratelli, specialmente verso i più poveri. Sorgente del suo amore per il prossimo erano la fiducia illimitata ed il filiale abbandono che nutriva per il Padre celeste. Ai suoi collaboratori amava ripetere le parole evangeliche: « Cercate prima il regno di Dio e la sua giustizia, e tutte queste cose vi saranno date in aggiunta ».[6]

4. L'ideale evangelico della carità verso il prossimo, specialmente verso i piccoli, i malati, gli abbandonati, ha condotto anche Agostina Livia Pietrantoni alle vette della santità. Formata alla scuola di santa Giovanna Antida Thouret, Suor Agostina comprese che l'amore per Gesù domanda il generoso servizio verso i fratelli. E infatti nel loro volto, specialmente in quello dei più bisognosi, che brilla il volto di Cristo. « Dio solo » fu la « bussola » che orientò tutte le sue scelte di vita. « Tu amerai », il primo e fondamentale comandamento posto all'inizio della « Regola di vita delle Suore della Carità », fu la fonte ispiratrice dei gesti di solidarietà della nuova Santa, la spinta interiore che la sostenne nel dono di sé agli altri.

Nella prima Lettera di Pietro, poc'anzi ascoltata, leggiamo che la redenzione è avvenuta non « a prezzo di cose corruttibili, come l'argento e l'oro », ma per « il sangue prezioso di Cristo, come di agnello senza difetti e senza macchia ».[7] La consapevolezza dell'infinito valore del Sangue di Cristo, sparso per noi, indusse santa Agostina Livia Pietrantoni a rispondere all'amore di Dio con un amore altrettanto generoso e incondizionato, manifestato nell'umile e fedele servizio ai « cari poveri », come essa soleva ripetere.

Disposta a qualunque sacrificio, testimone eroica della carità, pagò con il sangue il prezzo della fedeltà all'Amore. Possano il suo esempio e la sua intercessione ottenere per l'Istituto delle Suore della Carità, che celebra quest'anno il secondo centenario di fondazione, un rinnovato slancio apostolico.

5. « Resta con noi perché si fa sera e il giorno già volge al declino ».[8] I due stanchi viandanti supplicarono Gesù di sostare nella loro casa per condividere la loro stessa mensa.

Resta con noi, Signore risorto! E questa anche la nostra quotidiana aspirazione. Se tu rimani con noi, il nostro cuore è in pace.

[6] ***Mt* 6, 33.**
[7] ***1 Pt* 1, 19.**
[8] ***Le 24,* 29.**

Accompagnaci, come hai fatto con i discepoli di Emmaus, nel nostro cammino personale ed ecclesiale.

Aprici gli occhi, affinché sappiamo riconoscere i segni della tua ineffabile presenza.

Rendici docili all'ascolto del tuo Spirito. Nutriti ogni giorno del tuo Corpo e del tuo Sangue, sapremo riconoscerti e ti serviremo nei nostri fratelli.

Maria, Regina dei Santi, aiutaci a tenere la nostra fede e la nostra speranza fisse in Dio.[9]

San Marcellino Benedetto Champagnat, san Giovanni Calabria e santa Agostina Livia Pietrantoni pregate per noi!

ALLOCUTIONES

I

Ad quosdam episcopos Civitatum Americae Septemtrionalis.*

Dear Brother Bishops,

1. With great joy I greet you, the Pastors of the Church in the States of Colorado, Wyoming, Utah, Arizona and New Mexico. Your *ad Limina* visit, by bringing you to "see Peter" (cf. *Gal* 1:18) is meant to be, in the life of the particular Churches over which you preside, an opportunity "to strengthen unity in the same faith, hope and charity, and more and more recognize and treasure that immense héritage of spiritual and moral wealth that the whole Church, joined with the Bishop of Rome by the bond of communion, has spread throughout the world".[1]

In this series of meetings with the Bishops of the United States, I have emphasized that the faithful and committed implementation of the teachings of the Second Vatican Council is the path indicated by the Holy Spirit for the whole Church to prepare for the Great Jubilee of the Year 2000 and the beginning of the new Millennium. The renewal of Christian life which was at the forefront of the Council's work is the same goal which

[9] Cfr *1 Pt* 1, 21.

* Die 17 Octobris 1998.

[1] *Pastor bonus,* Appendix I, No. 3.

guided Pope John XXIII to advócate revision of the Code of Canon Law,[2] a desirè reaffirmed by the Council Fathers.[3] After much labor this revision bore fruit in the new *Code of Canon Law* promulgated in 1983 and the *Code of Canons of the Eastern Churches* promulgated in 1990. Today I wish to reflect on some aspects of your ministry in relation to the place of law in the Church.

1. *«In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum»,* «Padre, nelle tue mani affido il mio spirito ». Queste sono le parole, questo è l'ultimo grido di Cristo sulla Croce. E la parola che chiude il mistero della Passione e apre il mistero della liberazione attraverso la morte, che si realizzerà nella Risurrezione. E un'importante parola. La Chiesa, consapevole della sua importanza, l'ha assunta nella Liturgia delle Ore e ogni giorno la conclude con queste parole: « *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* ».

Oggi vorremmo mettere queste parole sulle labbra dell'umanità alla fine del secondo millennio, alla fine del ventesimo secolo. I millenni non parlano, i secoli non parlano, ma parla l'uomo, parlano migliaia, miliardi di uomini che hanno riempito questo spazio che si chiama ventesimo secolo, questo spazio che si chiama secondo millennio. Vogliamo oggi mettere queste parole di Cristo sulle labbra di tutti questi uomini che sono stati cittadini del nostro ventesimo secolo, del nostro secondo millennio, perché queste parole, questo grido di Cristo sofferente, la sua ultima parola non solamente chiude: questa parola apre. Significa un'apertura sul futuro.

« Padre, nelle tue mani affido il mio spirito ». Questa parola apre. Ci auguriamo, alla fine di questo Venerdì Santo, alla vigilia della Pasqua 1999, che questa parola — « *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* »,

*** Die 2 Aprilis 1999.**

« Padre, nelle tue mani affido il mio spirito » — sia anche l'ultima parola per ciascuno di noi, quella che ci aprirà all'eterno.

2. « *Christus factus est pro nobis oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis* »: « Cristo per noi si è fatto obbediente fino alla morte, e alla morte di croce ».[1] Con queste parole, la liturgia del Venerdì Santo riassume quanto si compì sul Golgota, duemila anni or sono. L'evangelista Giovanni, testimone oculare, racconta gli eventi dolorosi della Passione di Cristo. Narra la sua dura agonia, le sue ultime parole: « Tutto è compiuto! »,[2] e la trafittura del suo costato con una lancia da parte di un soldato romano. Dal petto squarciato del Redentore uscì sangue ed acqua, prova non equivoca della sua morte,[3] e dono estremo del suo amore misericordioso.

3. Tenendo conto della testimonianza di Giovanni, stupisce ancor più ciò che dice il profeta Isaia nel canto sul Servo del Signore. Egli scrive alcuni secoli prima di Cristo e le sue parole sembrano in perfetta sintonia con quelle del quarto Evangelista. Esse costituiscono un autentico « Vangelo della Croce»: «Disprezzato e reietto dagli uomini, uomo dei dolori, (...) / Trafitto per i nostri delitti, schiacciato per le nostre iniquità. (...) / Noi tutti eravamo sperduti come un gregge, ognuno di noi seguiva la sua strada; il Signore fece ricadere su di lui l'iniquità di tutti noi. (...) / Sì, fu eliminato dalla terra dei viventi, per l'iniquità del mio popolo fu percosso a morte. / Gli si diede la sepoltura con gli empi (...). / Dopo il suo intimo tormento vedrà la luce e si sazierà della sua conoscenza; / il giusto mio servo giustificherà molti, egli si addosserà la loro iniquità ».[4]

Queste considerazioni, così ricche di dettagli, stupiscono perché sono parole di chi non ha potuto assistere con i propri occhi al dramma del Calvario, essendo vissuto molto tempo prima. In esse è adombrata in anticipo la teologia del sacrificio della croce di Cristo. Vi è in esse, in una mirabile sintesi, tutto il *mysterium passionis et resurrectionis,* che confluiscono nel grande *mysterium paschale.*

4. Le parole profetiche del Libro di Isaia risuonano nel nostro cuore questa sera, al termine della Via Crucis, qui al Colosseo, memoria eloquente della passione e del martirio di molti credenti che hanno pagato con il san-

[1] *Antifona del Breviario;* cfr *FU* 2, 8.
[2] *Gv* 19, 30
[3] Cfr *ibid.,* 19, 34.
[4] 53, 3.5 6 8-9 11

gue la loro fedeltà al Vangelo. Esse fanno eco alla passione di Gesù « in agonia fino alla fine del mondo ».[5]

« Disprezzato e reietto » è Cristo nell'uomo vilipeso ed ucciso nella guerra del Kosovo ed ovunque trionfa la cultura della morte; « schiacciato per le nostre iniquità » è il Messia nelle vittime dell'odio e del male di ogni tempo e di ogni luogo. « Sperduti come un gregge » sembrano talora i popoli divisi e segnati dall'incomprensione e dall'indifferenza.

All'orizzonte di questo scenario di sofferenza e di morte, brilla però per l'umanità la speranza: «dopo il suo intimo tormento vedrà la luce... il giusto mio servo giustificherà molti ». La Croce, nella notte del dolore e dello smarrimento, è fiaccola che tiene viva l'attesa del giorno nuovo della risurrezione. Alla Croce di Cristo guardiamo con fede, questa sera, mentre per mezzo di essa vogliamo gridare al mondo l'amore misericordioso del Padre per ogni uomo.

5. Sì, oggi è il giorno della misericordia e dell'amore; il giorno in cui s'è compiuta la redenzione del mondo, perché il peccato e la morte sono stati sconfitti dalla morte salvifica del Redentore.

Divin Re Crocifisso, il mistero della tua morte gloriosa trionfi nel mondo.

Fa' che non perdiamo il coraggio e l'audacia della speranza dinanzi ai drammi dell'umanità e ad ogni ingiusta situazione che mortifica l'umana creatura, redenta dal tuo sangue prezioso.

Anzi, con vigore più saldo, fa' che questa sera proclamiamo: La tua Croce è vittoria e salvezza, « *quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum* », perché con il tuo sangue e la tua passione hai redento il mondo!

II

Die Paschatis missus.*

1. « *Haec est dies quam fecit Dominus* ». « Questo è il giorno che ha fatto il Signore ». Leggiamo nel libro della Genesi che all'inizio ci furono i giorni della creazione, durante i quali Dio portò a compimento « il cielo e la terra e tutte le loro schiere »;[1] modellò l'uomo a sua immagine e somiglianza, e

[5] **Pascal, *Pensées, Le mystère de Jésus,* 553.**

*** Die 4 Aprilis 1999**

[1] **2, 1.**

nel settimo giorno cessò da ogni suo lavoro.[2] Nel corso della Veglia pasquale, abbiamo ascoltato questa suggestiva narrazione, che ci riporta alle origini dell'universo, quando Jahvé pose l'uomo come responsabile del creato, e **10** rese partecipe della sua stessa vita. Lo creò perché vivesse della pienezza della vita. Sopravvenne però il peccato e con esso la morte entrò nella storia dell'uomo. Col peccato l'uomo fu come separato dai giorni della creazione.

2. Chi poteva ricongiungere la terra al cielo e l'uomo al suo Creatore? La risposta all'inquietante domanda ci viene da Cristo, che, spezzando i vincoli della morte, ha fatto splendere sugli uomini la sua luce superna. Ecco perché stamane possiamo gridare al mondo: « Questo è il giorno che ha fatto il Signore ». E un giorno nuovo: Cristo è entrato nella storia umana cambiandone il corso. E il mistero della nuova creazione, di cui la liturgia ci ha reso in questi giorni attoniti testimoni. Con il suo sacrificio sulla croce Cristo ha cancellato la condanna della colpa antica, ed ha riavvicinato i credenti all'amore del Padre. « *Felix culpa quae tantum ac talem meruit habere Redemptorem* ». « Felice colpa che meritò di avere un così grande Redentore! », canta il Preconio pasquale. Accettando la morte, Cristo ha vinto la morte; con la sua morte ha distrutto il peccato di Adamo. La sua vittoria è 11 giorno della nostra redenzione.

3. « *Haec est dies quam fecit Dominus* ». Il giorno che ha fatto il Signore è il giorno dello stupore. All'alba del primo giorno dopo il sabato, «Maria di Magdala e l'altra Maria andarono a visitare il sepolcro »,[3] e per prime trovarono la tomba vuota. Testimoni privilegiate della risurrezione del Signore, ne portarono la notizia agli Apostoli. Accorsero al sepolcro Pietro e Giovanni e videro e credettero. Cristo li ha voluti suoi discepoli, ora diventano suoi testimoni. Così si compie la loro vocazione: testimoni del fatto più straordinario della storia, la tomba vuota e poi l'incontro con il Risorto.

4. « *Haec est dies quam fecit Dominus* ». Ecco il giorno in cui, come i discepoli, ogni credente è invitato a proclamare la sorprendente novità del Vangelo. Ma come far risuonare questo messaggio di gioia e di speranza, quando tristezza e lacrime inondano non poche regioni del mondo? Come parlare di pace, quando si costringono le popolazioni a fuggire, si dà la caccia agli uomini e se ne incendiano le abitazioni? Quando il cielo è squassato dal boato della guerra, quando sulle case echeggia il sibilo dei proiettili e il fuoco distruttore delle bombe divora città e villaggi? Basta con il sangue

[2] **Cfr 2, 2.**
[3] ***Mt* 28, 1.**

dell'uomo crudelmente versato! Quando si spezzerà la diabolica spirale delle vendette e degli assurdi conflitti fratricidi?

5. Dal Signore risorto invoco il dono prezioso della pace anzitutto per la terra martoriata del Kosovo, dove lacrime e sangue continuano a mescolarsi in un drammatico scenario di odio e di violenza. Penso a chi è ucciso, a chi resta senza casa, a chi è strappato ai suoi familiari, a chi è costretto a fuggire lontano. Si mobiliti la solidarietà di tutti, perché tornino finalmente a parlare la fratellanza e la pace! E come rimanere insensibili di fronte alla fiumana dolente di uomini e donne del Kosovo, che bussano alle nostre porte implorando aiuto? In questo giorno santo, io avverto il dovere di rivolgere un accorato appello alle Autorità della Repubblica Federale di Iugoslavia, affinché permettano l'apertura di un corridoio umanitario, che renda possibile portare aiuto alle popolazioni, ammassate sulla frontiera del Kosovo. Per l'opera di solidarietà non possono esistere confini; sono sempre doverosi i corridoi della speranza.

6. Il mio pensiero va, poi, alle regioni dell'Africa, dove tardano a spegnersi preoccupanti focolai di guerra; alle Nazioni dell'Asia, dove non si allentano le pericolose tensioni sociali; ai Paesi dell'America Latina, impegnati a progredire nel loro faticoso ed accidentato cammino verso traguardi di maggiore giustizia e democrazia. Davanti ai segni perduranti della guerra, alle tante e dolorose sconfìtte della vita, Cristo, vincitore del peccato e della morte, esorta a non arrendersi. La pace è possibile, la pace è doverosa, la pace è primaria responsabilità di tutti! Possa l'alba del terzo millennio vedere il sorgere d'una nuova era in cui il rispetto per ogni uomo e la fraterna solidarietà tra i popoli sconfìggano, con l'aiuto di Dio, la cultura dell'odio, della violenza e della morte.

7. In questo giorno la Chiesa, in tutto l'orbe terrestre, esorta alla gioia: « E giunto oggi il lieto giorno, atteso da ciascuno di noi. In questo giorno il Cristo è risorto, Alleluia, Alleluia! ».[4] « *Haec est dies quam fecit Dominus: exultemus et laetemur in ea* ». « Ecco il giorno che ha fatto il Signore: rallegriamoci ed esultiamo in esso ». Sì, oggi è giorno di grande esultanza. Si rallegra Maria, dopo essere stata associata sul Calvario alla croce redentrice del Figlio: *«Regina caeli, laetare»*. Insieme a Te, Madre del Risorto, tutta la Chiesa rende grazie a Dio per la meraviglia di una vita nuova che la Pasqua ogni anno propone, a Roma ed al mondo intero, Urbi et Orbi! Cristo è la nuova vita: Lui, il Risorto!

[4] **Canto polacco del XVII sec.**

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

BARCINONENSIS

Beatificationis seu declarationis Martyrii Servorum Dei Alfonsi López López et Y sociorum ex ordine Fratrum Minorum Conventualium (f 1936)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Afflictus est et ipse subiecit se et non aperuit os suum; sicut agnus, qui ad occisionem ducitur, et quasi ovis, quae coram tondentibus se obmutuit et non aperuit os suum » *(Is* 53, 7).

Haec verba, quae Iesu passionem praefigurant, ad finem adducta sunt etiam in martyrum sacrificio, qui libere vitam pro fide devoverunt. Huius magni testium Evangelii agminis participes sunt Servi Dei Alfonsus López López et quinque fratres sodales Ordinis Fratrum Minorum Conventualium.

Bellum civile Hispanicum (annis 1936-1939) eorum coenobio non pepercit in urbe patrio sermone appellata *Granollers* (in territorio Barcinonensi posita), ubi hi id temporis habitabant. Statim post seditionem militarem, die 19 mensis Iulii anno 1936, rerum novarum molitores in domum illam religiosam irruperunt arma quaerentes et, armis non inventis, gravibus cum minis religiosos domo expulerunt, qui tum refugium quaesiverunt apud propinquos et amicos. Eorum occultatio aliquanto hebdomada amplius duravit. In condicione clericis infesta et irreligiosa tunc in Hispania instaurata, quae terrorem serebat et mortem contra Ecclesiam eiusque filios, hi Sancti Francisci Asisinatis asseclae comprehensi sunt et, quippe cum Christi discipuli essent, morte damnati. Aequo animo et placide suum fuderunt sanguinem, Dominum glorificantes per fidei professionem atque inimicis suis ignoscentes.

Hi fuerunt:

1. Pater Modestus Vegas Vegas. Natus is est die 24 mensis Februarii anno 1912 Sernae, in dioecesi Legionensi. Novitiatum est ingressus in coenobio urbis *Granollers,* votaque simplicia suscepit anno 1929. Studia philosophica atque theologica Auximi in Italia peregit, ubi anno 1934 professionem sollemnem emisit et est sacerdos ordinatus. Ad urbem *Granollers* re versus (anno 1934), ministerium explicavit praedicationis et confessionum audiendarum, etsi non commoda utebatur valetudine. Virtutes christianas coluit, praesertim eminens in facienda Dei voluntate, in castitate, in patientia, in humilitate, vitam agens piam et apostolicam. Bello civili exorto, ad amicorum domum perfugit. Non timebat ne interficeretur, immo vero propter Christi amorem martyrium exoptabat. Die 27 mensis Iulii anno 1936 apprehensus est et, postquam confirmavit aperte se franciscanum esse et sacerdotem, est iniuria laesus atque mulcatus et, ad viam deductus quae in urbem *Llisam* denominatam immittit, est plumbea glande transfossus.

2. Pater Dionysius Vicente Ramos, qui ortus est in oppido *Caudé* appellato, intra fines posito dioecesis Terulensis, die 9 mensis Octobris anno 1871. Quindecim annos natus exceptus est in domo religiosa urbis *Granollers.* In Italiam missus, est formatione imbutus in variis coenobiis Provinciae Seraphicae. Anno 1888 vota emisit simplicia et deinde in seminario Ordinis Balneoregiensi professionem sollemnem. Anno 1894 Romae est sacerdos ordinatus, ubi studia superiora peregit adque doctoris dignitatem pervenit in Theologia. Pluribus est in Ordine muneribus functus: fuit namque Laureti parochus et paenitentiarius Basilicae Lauretanae, sed praesertim professor in seminariis dioecesanis et Ordinis. Ad urbem *Granollers* re versus, ob gravem oculorum morbum, peculiari modo ministerio se dedidit confessionum peccatorum audiendarum. Fervens fuit apostolus et homo fidei, caritatis atque humilitatis. Bello civili exorto, cum aetate iam adultus esset et caecus, die 18 mensis Iulii anno 1936 ad valetudinarium confugit. Die 31 mensis Iulii comprehensus, eodem die est ignivoma manuballista necatus una cum Fratre Francisco Remón Játiva in loco "Tres Pinos" appellato apud *Granollers,* tantam ostendens fidem, ut ipsorum occisorum admirationem moverit.

3. Frater Franciscus Remón Játiva. Is natus est die 22 mensis Septembris anno 1890 in oppido *Candé,* intra fines sito dioecesis Terulensis. Domum postulantium ingressus est urbis *Granollers.* Anno 1906 est in Italiam missus et Asisium destinatus. Ibi anno 1912 professionem simplicem emisit et anno 1916 sollemnem aedituique munus explevit Basilicae usque ad an-

num 1935, cum in Hispaniam rediit, ad urbem *Granollers,* ubi munus aeditui perrexit ecclesiae atque coenobii ianitoris. Haec est officia exsecutus diligenter exemploque fuit iis, quotquot illum adibant. Propter persecutionem ad amicorum domum perfugit, sed, dum se ad aliud latibulum conferebat, est a subversoribus agnitus, comprehensus et in carcerem ductus. Duriter vexatus, ob haemorrhagiam quae supervenerat, est in valetudinarium deductus ubi obviam factus est P. Dionysio Vicente Ramos, cui est peccata sua confessus. Die 31 mensis Iulii anno 1936, cum eodem Patre Dionysio est glande metallica perfossus in loco "Tres Pinos" vocato.

4. Pater Alfonsus López López. Natus est in oppido Secorum, in dioecesi Iacensi posito, die 16 mensis Novembris anno 1878. Nonnulla explevit munera civilia, sed vocatione religiosa animadversa, anno 1906 ingressus in coenobium urbis *Granollers.* In Italiam missus, est in Ordinem receptus in Provincia Seraphica Umbra. Auximi novitiatum egit. Professionem simplicem fecit anno 1908, sollemnem anno 1911 atque eodem anno est ordinatus sacerdos. Paenitentiarius fuit in Basilica Lauretana. Ad urbem *Granollers* reversus functus est, usque ad annum 1935, muneribus magistri postulantium et magistri novitiorum. Semper virtutum exercitio eminuit, imprimis caritatis erga Deum et proximum atque pietate in Virginem Mariam. Optimus fuit candidatorum vitae consecratae educator, quos potissimum virtutum suarum exemplo regebat. Cum bellum civile exarsit, ad amicorum domos confugit. Una cum Fratre Michaele Remón Salvador die 3 mensis Augusti anno 1936 est comprehensus. Ambo intrépidos se ostenderunt adversus optionem apostatandi, sicque statim ad urbem *Samalús* translati sunt et nocte ignivoma manuballista interfecti, Patre Alfonso repetente cum fidei et caritatis spiritu: « Domine, ignosce illis ».

5. Frater Michael Remón Salvador. Natus is est in oppido *Candé,* in finibus dioecesis Terulensis, die 17 mensis Septembris anno 1907. Vocatione religiosa animadversa, anno 1927 introivit in coenobium urbis *Granollers,* ubi novitiatum peregit, Patre Alfonso López López moderante. Vota simplicia suscepit anno 1928 et anno 1933 sollemnia. Religiosus fuit indole affabilis atque pacificus et cum servitii spiritu munia explevit sibi concredita. In Italiam est missus ut biennium ibi maneret in ministerio Paenitentiariae Lauretanae. Anno 1935 ad domum rediit urbis *Granollers.* Ob persecutionem apud amicos confugit ibique est prehensus die 3 mensis Augusti anno 1936 et simul cum sodali P. Alfonso López López subsequenti nocte metal-

lica glande interfeetus, postquam dixit: « Numquam, quae professi sumus, infitiabimur ».

6. Pater Petrus Rivera Rivera. Natus is est die 3 mensis Septembris anno 1912 in oppido *Villacreces* sermone patrio denominato, intra fines sito dioecesis Legionensis. In novitiatum ingressus est urbis *Granollers,* ubi anno 1928 vota simplicia suscepit. In Italiam translatus ut in studia theologica incumberet, anno 1933 Romae professionem sollemnem emisit docendique theologiam facultatem est consecutus, atque anno 1935 ordinatus est sacerdos. In Hispaniam reversus, quamvis iuvenis esset, est superior nominatus Communitatis urbis *Granollers* propter suas dotes morales, spirituales et culturales. Verus fuit Sancti Francisci discipulus, vitae consecratae amore inflammatus, optimus superior, humilis atque benevolus erga sodales fratres, pacificus, pius et Sanctissimo Sacramento peculiariter devotus atque Virgini Mariae. A rerum novarum molitoribus expulsus e coenobio sicut et ceteri sodales fratres, confugit ad aliquas familias amicorum. Die 25 mensis Iulii comprehensus anno 1936, se praeparavit ad martyrium subeundum, sacramento paenitentiae accepto a parocho oppidi vulgo appellati *Llinás,* cui dixit: « Si gratiam habuero, ut interficiar, moriar canens "vivat Christus Rex" ». Die 27 eiusdem mensis est dimissus et Barcinonem se contulit, sed die 22 mensis Augusti eodem anno iterum est prehensus. Probabiliter plumbea glande transfossus mense Augusto exeunte et mense ineunte Septembri anno 1936, est ab omnibus martyr habitus.

Servi Dei qui sunt supra commemorati veri Iesu Christi martyres sunt semper putati et haec fama progrediente tempore est confirmata. Quocirca Archiepiscopus Barcinonensis Causam iniit beatificationis seu declarationis martyrii per Processum ordinarium informativum annis 1953-1961 celebratum, cuius auctoritas et vis est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto postridie calendas Iunias anno 1989 promulgato. Confecta Positione, disceptatum est, iuxta normas, an hi Dei Servi veri fuissent martyres fidei. Die 10 mensis Februarii anno 1998 actus est, felici cum exitu, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Deinceps Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria postridie calendas Februarias habita anno 1999, Causae Ponente Excellentissimo Domino Iosepho Sebastiano Laboa, Archiepiscopo titulari Zaraitensi, agnoverunt Servos Dei Alfonsum López López et quinque Socios in odium fidei occisos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sancto-

rum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Alfonsi López López et V Sociorum Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, anno 1936 interfectorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 26 mensis Martii A. D. 1999.

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. 83 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

GUADALAIARENSIS

Canonizationis Beatae Mariae a Iesu Sacramentato (in saec.: Mariae Venegas de la Torre) fundatricis congregationis sororum Filiarum a S. Corde Iesu (1868-1959)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Maria a Iesu Sacramentato (in saec.: Maria Venegas de la Torre) in Mexico nata est intra fines viculi paroeciae vernáculo sermone denominatae *Zapotlanejo* (in territorio loci Jalisco) die 8 mensis Septembris anno 1868. Parentibus orbata, puerorum indigentium institutioni se dedidit. Vocatione religiosa maturata, Guadalaiarae in Piam Unionem Filiarum a Sacro Corde Iesu ingressa est, quarum erat in valetudinario eodem nomine vocato ministrare. Piam Unionem mutavit in Institutum vitae consecratae, cuius Constitutiones conscripsit. Tamquam Antistita generalis suum rexit Institutum generosa cum alacritate usque ad annum 1954, cum propter provectam aetatem munus deposuit. Caritate eminuit erga proximos, praesertim aegrotos. Sanctitate insignis, obiit die 30 mensis Iulii anno 1959.

Beatificationis et canonizationis Causa inchoata est ab Archiepiscopo Guadalaiarensi postridie calendas Iunias anno 1978. Summus Pontifex

Ioannes Paulus II eam in Beatorum numerum rettulit die 22 mensis Novembris anno 1992.

Canonizationis respectu, Postulatio iudicio Congregationis de Causis Sanctorum coniectam permisit miram sanationem, intercessioni tributam eiusdem Beatae. Casus pertinet ad Anastasium Ledezma Mora, qui die 24 mensis Novembris anni 1993 in valetudinarium a Sacro Corde Guadalaiarense deductus est ut chirurgi eam sectionem subiret. Post anaesthesiam patefacta est bradycardia quae gradatim est aucta, donec pervenit ad cordis vasorumque pulsuum cessationem. Statim therapiae redanimationis sunt adhibitae, sed frustra; quapropter aegrotus in altum coma cecidit sine involuntaria nervorum agitatione. Condicionis gravitate animadversa ipsi medici et aegrorum ministri qui in conclavi chirurgico erant, necnon aegroti uxor ac Sorores Filiae a Sacro Corde Iesu intercessionem invocaverunt Beatae Mariae a Iesu Sacramentato. Post decem duodecim ve minuta cordis pulsus instaurati sunt et, praeter medicorum exspectationem, aegrotus nullo est cerebri detrimento correptus, atque paucos post dies hemicolectomiae subiectus est cum colestomia definitiva, quae dicitur, sine ulla implicatione.

Gravis cordis pulsuum cessationis solutio est mira habita, quam ob rem Guadalaiarensis Archiepiscopus inquisitionem dioecesanam instituit, cuius auctoritas et vis a Congregatione de Causis Sanctorum probata est per decretum die 9 mensis Iunii anno 1995 promulgatum.

Dicasterii Collegium Medicorum, in sessione nonis Februariis anno 1998 habita, agnovit sanationem celerrimam fuisse, completam et stabilem atque plenam aegroti restitutionem sine reliquiis inexplicabilem. Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris die 29 mensis Maii anno 1998 actus est, et postridie idus Martias anno 1999 facta est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Pio Laghi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissi-

mus Pater sollemniter declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beata Maria a Iesu Sacramentato (in saec.: Maria Venegas de la Torre), Fundatrice Congregationis Sororum Filiarum a Corde Iesu, videlicet de celérrima, completa ac stabili sanatione Anastasii Ledezma Mora a « coma profondo ariflessico persistente, dopo arresto cardiaco prolungato ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 26 mensis Martii A. D. 1999.

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. ® S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Canonizationis Beati Benedicti Menni (in saec.: Angeli) sacerdotis professi ordinis hospitalarii S. Ioannis De Deo fundatoris congregationis sororum Hospitalariarum a S. Corde Iesu (1841-1914)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Benedictus Menni (in saec.: Angelus) die 11 mensis Martii anno 1841 Mediolani ortus est eodemque die est baptizatus. Ordinem Hospitalarium Sancti Ioannis de Deo ingressus nomineque capto Fratre Benedicto, professionem religiosam emisit et est sacerdos ordinatus anno 1866. Tamquam Delegatus Generalis in Hispaniam missus, ibi Ordinem suum redintegravit legibus anni 1835 exstinctum. Multa instituit valetudinaria in Hispania, in Lusitania et in Mexico atque, anno 1880, Congregationem Sororum Hospitalariarum a Sacro Corde Iesu condidit, quae infirmis mulieribus assiderei Muneribus functus est Prioris provincialis in Hispania, Visitatoris Apostolici Ordinis sui atque Prioris Generalis. Aerumnis purificatus non paucis, in Domino obdormivit die 24 mensis Aprilis anno 1914 in Gallica parva urbe vulgo *Dinan* denominata.

Beatificationis et canonizationis Causa apud Curiam Matritensem inita est anno 1945. Summus Pontifex Ioannes Paulus II eum in beatorum numerum rettulit die 23 mensis Iunii anno 1985.

Canonizationis respectu Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit coniectam miram sanationem Sororis Mariae Nicolasae Vélaz Alsúa, Congregationis Sororum Hospitalariarum a Sacro Corde Iesu sodalis, a carcinomate vesicae in trigono sito, cellulis consimilibus praedito, in parietem musculorum vesicae permanante. Morbi prima symptomata mense Iunio anno 1989 apparuerunt. Subsequentes clinicae inspectiones in lucem protulerunt, inter cetera, defectum repletionis trigoni vesicae, qui ascribendus erat manationi neoplasmatis, uropathiae obstruenti bilaterali atque difficultatibus repletionis ureteris sinistri. Soror, in valetudinarium deducta die 21 Novembris eodem anno subiecta est exsectioni probativae ad explorationem histologicam faciendam, quae morbi gravitatem et extensionem confirmavit. Suasa est igitur cystectomia universa, quam aegrota reiecit. Tum alia temptata est therapia alterna, statim tamen intermissa, utpote quae assumi non posset. Animadversa condicionis gravitate necnon prognosi quoad vitam infausta, aegrota auxilium divinum postulavit per Beati Benedicti Menni intercessionem, Instituti sui Conditoris. Mox salutaris mutatio apparuit quae, tempore brevissimo, infirmam ad plenam adduxit sanationem.

Haec sanatio, statim mira habita et intercessioni tributa Beati Benedicti Menni, inspecta est ab Episcopo Palentino anno 1997 in Inquisitione dioecesana, cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum die 30 mensis Ianuarii anno 1998 promulgatum.

Medicorum Collegium, in sessione die 18 mensis Iunii anno 1998 habita, agnovit sanationem celerrimam fuisse, completam, stabilem atque ex scientia inexplicabilem. Die 29 mensis Novembris subsequentis Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est actus et postridie calendas Martias anno 1999 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Henrico Schwery. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater decla-

ravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beato Benedicto Menni (in saec.: Angelo), Sacerdote professo Ordinis Hospitalarii S. Ioannis de Deo, Fundatore Congregationis Sororum Hospitalariarum a S. Corde Iesu, videlicet de celérrima, completa ac stabili sanatione Sororis Mariae Nicolasae Vélaz Alsúa, a « carcinoma vescicole localizzato al trigono, a cellule indifferenziate (OS), infiltrante la parete muscolare della vescica».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 26 mensis Martii A. D. 1999.

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. © S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

MATRITENSIS

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Elisabeth a S. Corde Iesu (in saec.: Elisabeth Larrañaga Ramírez) fundatricis congregationis sororum a Caritate Sacri Cordis Iesu (1836-1899)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Non diligamus verbo nec lingua sed in opere et veritate» *(1 Io* 3, 18): haec magna fuit et constans appetitio Servae Dei Elisabeth a Sacro Corde Iesu, quae omnia reliquit ut se Domino consecraret, quem vitae sanctitate laudavit et cui in pauperum persona servivit, quae Christus docuit ad effectum adducendo: « Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis» *{Mt* 25, 40).

Serva Dei in vitam venit Manilae, ex Hispano Ioanne Andrea de Larrañaga Lasarte, tribuno militum vicario Philippinis praeposito, et ex Isabella Ramírez Patino, ab insigni Peruviana familia prognata, die 19 mensis Novembris anno 1836, baptismumque recepit die 30 eiusdem mensis. Cum aetate puerili patre esset orbata, mater eam anno 1839 in Hispaniam duxit, ubi optima est religiosa et culturali educatione instructa, ad eius ordinem apta. Vocationem animadvertit ad vitam consecratam, sed matpr ei tenaciter obstitit, quae omnia temptavit ut itineribus et impensa in societate vita

eam distraheret. At haec, optata non sunt consecuta. Matriti domicilio collocato, extremam cognovit multorum indigentiam et ignorantiam in qua inops iuventus versabatur sicque potuit se operibus caritatis dedere, gradatim matris obstinatione superata. Anno 1875, moderatore spiritus monente, curationem infirmorum incepit et domum aperuit spiritualibus exercitationibus meditationibusque peragendis. Cum nonnullis amicis puellis anno 1877, approbante etiam Venerabili Servo Dei Pio IX, initium fecit Congregationis Dominarum Servarum Sacri Cordis Iesu puellulis pauperibus educandis et exercitationibus meditationibusque spiritualibus disponendis. Die 8 mensis Septembris anno 1883 professionem religiosam emisit perpetuam et est novitiatum auspicata. Paulo post Archiepiscopus Matritensis Regulam et Constitutiones probavit novi Instituti, quod nomen cepit Congregationem Sororum a Caritate Sacri Cordis Iesu. Gaudiis ob Instituti incrementum difficultates et aegritudines non defuerunt, quibus Servae Dei animus et fortitudo subacta sunt.

Anno 1894, invitante Episcopo Sancti Christophori de Habana, aliquas misit religiosas Pinetum Fluminale, quae domum aperuerunt pro pusis, non sine difficultatibus et rebus adversis omne genus, exortis etiam ex pestilentia febris gil vae. Serva Dei, ratione non habita incommodae suae valetudinis et contagionis pestiferae periculi, anno 1895 ad suas Sorores, quae in Cuba erant, se contulit. In curam praesertim aegrotorum incubuit, omnibus exemplum praebens caritatis et sollertiae, humilitatis atque spiritus sacrificii.

Subsequenti anno in Hispaniam rediit ut difficultates expediret inter Sorores suas ortas et, cum prudentia atque iudicio, pacem in eis et tranquillitatem instauravit. Quamvis eius valetudo aggravesceret, mense Octobri anno 1897 Cubam revisit, bello obturbatam ad libertatem consequendam. Sauciatis astitit et anno secuto domum condidit in urbe Habana.

Sedulitas in operibus caritatis et in virtutum christianarum exercitio fuit via quam percucurrit alacri cum ardore, ut Dei voluntatem faceret et in Christi imitatione progrederetur. Mulier impensae fidei artam coluit cum Domino coniunctionem. Vitam suam spiritualem et industriam aluit pietate eucharistica, ferventi religione erga Sacrum Cor Iesu, Virginem Mariam, precatione. Eius laetitiae interioris fundamentum spes fuit, eius tranquillitatis, optimismi et divinae Providentiae fiduciae. In media vita sua Deum collocavit atque pro eius sola gloria laboravit et eius Regni amplificatione. Peccati odium habuit, sed peccatores excusavit atque pro eorum conversione precabatur. Curam adhibuit de filiarum suarum spiritualium formatione deque puellularum educatione christiana, praesertim pauperum.

In difficultatibus quoque cum prudentia egit et Domini tempora exspectavit. In Congregatione gubernanda semper operata est post maturam considerationem et longam precationem, atque unicuique suum dedit constanter, prompte, generose et re vera; etenim iusta fuit erga Deum et proximos, in indigentes benigna inque aegrotos et quotquot ei doloris causa fuerunt, in operarios, in benefactores. Fortiter vitae discrimina est perpessa, vocationi suae repugnantiam, difficultates in Instituto condendo, suas infirmitates. Aequo et sereno animo omnia toleravit constanterque plenae animi sui moderationi prospexit adipiscendae. Fortem ostendit continentiae sensum, modestiae, austeritatis, ea omnia fugiens, quae commoditatem saperent et vanitatem. Iesu doctrinam appropriavit, qui « egenus factus est, cum esset dives » *(2 Cor* 8, 9). Oboedientiam duxit plenam voluntatis Dei acceptionem, repetebatque saepe: « Meum gaudium est facere voluntatem Dei ». Nulla omnino reprehensione digna fuit in castitate colenda atque Regulam et Constitutiones sui religiosi Instituti servavit; obsequens fuit praeceptis atque consiliis magistrorum spiritus, in auctoritates religiosas et civiles officiosa. Eminuit peculiari modo humilitate, quam explicavit natura et simplicitate. Usque ad dierum suorum exitum diligens fuit Iesu Christi discipula, qui «non venit ministrari, sed ministrare» *(Mt* 20, 28).

Per Cubae visitationem alteram, Serva Dei, in servitio caritatis erga aegrotos et egenos occupata, in gravem incidit morbum. Solaciis religiosis munita et a Sororibus dilecta, in Domino obdormivit Habanae die 17 mensis Ianuarii anno 1899.

Fama sanctitatis qua in vita claruit, post eius mortem aucta est; quapropter Archiepiscopus Matritensis Causam iniit beatificationis et canonizationis per Processum Ordinarium, annis 1957-1962 instructum, cui additi sunt Processus Rogatoriales Habanensis et Osornensis. Ad normam M. P. "Sanctitas clarior" celebratus est Processus Cognitionalis Matritensis annis 1983-1985. Processus probati sunt rite a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 20 mensis Decembris anno 1985 promulgato. Perfecta Positione, inquisitum est, ex normis, an Serva Dei heroum more virtutes coluisset. Pridie nonas Martias anno 1998 actus est, exitu cum prospero, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde atque Episcopi, in Sessione Ordinaria die 19 habita mensis Ianuarii anno 1999, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Francisco Arinze, professi sunt Servam Dei Elisabeth a Sacro Corde Iesu virtutes théologales, cardinales et his adnexas sicut heroas decet observavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Elisabeth a S. Corde Iesu (in saec.: Elisabeth Larrañaga Ramírez), Fundatricis Congregationis Sororum a Caritate Sacri Cordis Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die **26** mensis Martii A. D. **1999.**

£8 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. 6B S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

PARMENSIS

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Lini a Parma (in saec.: Alpinoli Maupas) sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum (1866-1924)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

Christus Dominus, in synagoga Nazarethana, affirmavit se a Spiritu consecratum esse, ut laetum nuntium libertatis atque salutis pauperibus evangelizaret (cf. *Lc* 4, 16-19).

Sui divini Capitis munus tamquam proprium assumens, Ecclesia non desinit Evangelium nuntiare omni homini, iis praesertim, qui in imbecillioribus condicionibus versantur et indigentioribus, ita Evangelium praesens reddens per caritatem, quae Ecclesiae est gloria ac exemplo Domini fidelitatis signum (cf. IOANNES PAULUS II, Adhort. Apost. Postsyn. *Vita consecrata*, 25).

Optio pro pauperibus, in quibus Christi dolentis vultus apparet, qui, sicut Sanctus Augustinus dicit « hic est egens in pauperibus suis » *(Sermo* 123, 3-4: *PL* 38, 685-686), potissima electio fuit totius vitae Servi Dei Lini Maupas a Parma, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum, qui verum, indefatigatum atque assiduum praebuit auxilium difficilis aetatis suae multis necessitatibus, christiana cum misericordia descendens in definitam certamque historiam gentis suae eiusque tristium casuum cotidianorum.

Servus Dei Spalati in Dalmatia ortus est die 30 mensis Augusti anno 1866, decimus filius Ioannis Maupas, a Gallia oriundi, et Rosae Marini, in Italia natae. A patre generis nobilitatem hereditavit, a matre autem animi bonitatem et humanitatem.

Ad vitam gratiae regeneratus per Baptismatis aquam die 21 mensis Martii anno 1867 cum nominibus Alpinolo, Hildebrando, Humberto, Spiritus Sancti dono confirmatus est per manus avunculi Petri Doimo, Archiepiscopi Iadertini, die 17 mensis Iulii anno 1871.

Sedecim annos natus, divini Magistri invitatione accepta, formam vitae franciscanae amplexus est, Provinciae Dalmaticae Sancti Hieronymi novitiatum ingressus et nomine sumpto religioso Fratre Petro.

Egressus deinde ex Ordine et rite votis exsolutus anno 1883 factis, eundem est ingressus iterum anno 1888, seque aggregavit Missioni Albaniensi, et novitiatum repetivit in domo religiosa oppidi sermone vernáculo appellati *Fucecchio,* quam claram reddiderat austeras Sanctus Theophilus a Corte (f 1740). Tunc nomen cepit quo hodie cognoscitur, nempe Fratrem Linum.

Facta professione sollemni vel perpetua die 18 mensis Martii anno 1889 in coenobio Sancti Ludovici in *Colleviti,* moratus est circiter annum Scodrae in Albania. In Italiam reversus, est sacerdos ordinatus, die 30 mensis Novembris anno 1890.

Apertis animo voluntateque ad suasiones Spiritus, quo totus pervasus erat, Servus Dei, post brevem mansionem in domo Curiae maioris (intra fines sitae provinciae Placentinae), in coenobio constitit Parmensi SS. Mariae Annuntiatae. Hoc, locus fuit praecipuus ubi in tota sua fecunditate explicatum est caritatis ministerium, usque ad mortem, huius singularis misericordis Patris amoris testis.

Servus Dei penitus pauperum causae se dedidit. Corde suo excepit omne doloris ac paupertatis genus. Ipsa ceterarum virtutum exercitatio facta est in eo serviendi pauperibus necessitas. Se tradidit numquam sibLparcens ad ultimum usque vitae momentum, quae consumpta est in extremo caritatis

actu pridie Idus Maias anno 1924 Parmae, amicorum benefactorum auxilium invocans pro exheredibus.

Peculiaris fides ac filialis fiducia bonitatis Dei omnibus in casibus Servum Dei aluerunt. Puerili confidentia credidit in amorem Dei erga filios suos. Eius vita rigida fuit, quam semper is vixit in fideli adhaesione ad vitae formam franciscanae, quam iuvenis susceperat et est fervide testificatus. Ipsa consiliorum evangelicorum observantia in cotidiana Servi Dei experientia actus fuit oblativi amoris, veri generosique fratrum servitii.

Christi discipulus, qui « non venit ministrari, sed ministrare » *(Mt* 20, 28), P. Linus, in constanti humilitatis exercitio in gradu se posuit indigentium et omnium factus est servus, imprimis ultimorum, in carcere inclusorum, peccatorum.

Sanctitatis fama, qua in vita claruerat quaeque in exsequiis erupit, usque ad dies nostros perdurat et magis ac magis in populo diffunditur, qui Servum Dei esse ducit verum Christi discipulum et exemplar ad praesentia admodum accommodatum, praesertim personis quae fratrum bono se dedunt, tacite et abstinenter servientes.

Beatificationis et canonizationis Causa inita est ab Episcopo Parmensi per celebrationem Processus ordinarii informativi (annis 1942-1948 acti), cui additi sunt Rogatoriales apud varias Curias ecclesiasticas constructi. Horum Processuum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 24 mensis Maii anno 1991 promulgato. Confecta Positione, inquisitum est an Servus Dei heroum in modum virtutes coluisset. Die 12 mensis Maii anno 1998, prospero cum exitu, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde atque Episcopi, in Sessione Ordinaria postridie calendas Martias habita anno 1999, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Vergilio Noè, edixerunt Servum Dei virtutes théologales, cardinales iisque adnexas sicut heroas addecet explicavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia,*

Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Lini a Parma (in saec.: Alpinoli Maupas), Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Martii A. D. 1999.

& IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. *m* S.

& Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

THORUNIENSIS seu PELPLINENSIS

Beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Stephani Vincentii Frelichowski presbyteri (1913-1945)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos, ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis » *(1 Tim* 2, 7-8).

Hoc Sancti Pauli desiderium plene est ad effectum adductum a sacerdote Stephano Vincentio Frelichowski qui, Christo coniunctus, sicut solis radius fuit in tenebris campi captivis custodiendis Dachaviensis, ubi supremum dedit testimonium caritatis per sanguinis effusionem. Etenim, comprehensus et in campi carcerem conditus, sed in intimo corde suo liber, Servus Dei numquam est impeditus quominus ardentem optationem efficeret Bonum Pastorem in suo amore erga gregem imitandi. Ipse campus socialismi nationalis factus est eius paroecia, in qua generosus iuvenis ex sua vixit plenitudine oblationis sacerdotalis, gratia a Deo accepta adducendi ad effectum suum sacerdotale verbum: «Per crucem doloris et cotidianae vitae rationis — cum Christo — ad resurrectionis gloriam ».

Servus Dei, Ludovici et Marthae Olszewska filius, in vitam venit die 22 mensis Ianuarii anno 1913 in oppidulo *Chelmza*, ad machinalem industriam pertinente, in Polonia septemtrionali, intra fines nunc posito dioecesis Tho-

runiensis. Paucis post diebus in ecclesia paroeciali baptizatus est, ubi novem annos natus primum ad Eucharisticam Mensam accessit.

In familia, quae religiosissima erat, in condicione vixit serenitatis et amoris plena estque educatus ad reverentiam translaticiarum virtutum christianarum et patriarum. Novem annis actis, factus est camillus christianus. Duodecim annorum puer nomen professus est in Pontificium Opus Missionale a Iesu Infante et deinceps industrie interfuit congressionibus Sodalitii Marialis, cuius factus est praeses. Ab anno 1927 impiger socius fuit consociationis ad motum exploratorum pertinentis.

Tempus institutionis initium habuit anno 1919 per frequentiam scholae obligatoriae in oppido *Chelmza.* Postea in Gymnasio Publico Humanitatis studuit estque diploma maturitatis adeptus. Autumno eiusdem anni 1931 ingressus est Seminarium maius dioecesis Culmensis sedem habens in urbe *Pelplin.*

Sicut Seminarii alumnus eminuit intellectus et spiritus cura qua se ad sacerdotium praeparavit, quod pridie idus Martias accepit anno 1937 a Domino Stanislao Okoniewski, Episcopo Culmensi, qui eum voluit in suo ministerio tamquam cappellanum. Deinde laboravit uti vicarius paroecialis in loco *Wejherowo* et postea Thoruni in paroecia Mariae Sanctissimae in caelum Assumptae.

Belli initium, quod fuit calendis mensis Septembris anno 1939, dolore eum affecit, non tamen fidens ei abstulit obsequium erga Divinam Providentiam. Servo Dei expectandum erat fore ut comprehenderetur. Eo enim quod sacerdos erat, in ordine collocabatur eorum, qui in periculo versabantur. Insuper notus erat ob curam ad motum exploratorum pertinentem obque fortissimam auctoritatem qua iuvenes movebat. Namque, post occupatum ab exercitu Germanico Thorunum, Stephanus, die undecimo mensis Septembris anno 1939, una cum aliis sacerdotibus prehensus est et aliquot dies in carcere civili custoditus.

Postquam est primum e carcere dimissus, cum nova hostimenta contra sacerdotes erant inceptura, verisimillimum fuit Servum Dei prehensum iri. A parocho et a quodam amico suo certior factus periculi, iuvenis prompte renuit facultatem confugiendi in Praefecturam Generalem et in paroecia mansit, voluntati Dei se permittens. Non plus mense intercesserat, cum, die 18 mensis Octobris anno 1939, rursus est apprehensus atque in vetus castellum inclusus pagi *Barbarica.* Ita inita est Via Crucis per varios campos captivis custodiendis.

In iis, qui pro fide sanguinem fuderunt hoc saeculo, quod ad exitum procedit, complures annumerandi sunt martyres socialismi nationalis qui, cum re vera atheus esset et plena absolutaque auctoritate praeditus, Dei et hominum hostis fuit. Ecclesiae Catholicae infestus eiusque membris, multimodis nisus est eius actionem imminuere et, interdum subdole, interdum

aperte, bona humana atque christiana negavit et coërcuit. Praesertim in Polonia, more militari occupata a nazistis (annis 1939-1945), temptatum est christianismi praesentiam radicitus evellere, instituta ecclesialia, episcopos, sacerdotes, religiosos eosque laicos, qui socialismo nationali contrarii habebantur, impugnando.

In terra illa, atrocibus facinoribus obscurata a nazistis perpetratis, sed testimonio audentiae et fidei multorum discipulorum Christi dilucida, martyrium consecuti sunt etiam centum et octo Ecclesiae Catholicae membra, quae nunc cum veneratione commemoramus. Fideles divini Magistri sectatores, ii suam christianorum dignitatem non absconderunt, fidem non abdicaverunt, ob periculum non fugerunt, minis non territi sunt nec promissionibus illecti conscientiae suae contrariis. Viam crucis percurrere maluerunt ut animas suas salvarent operamque gloriae Dei darent et Christi Regno incremento. Persecutoribus suis ignoverunt atque se a misericordia divina praemium aeternum obtenturos esse speraverunt.

Ex his intrepidis fidei testibus tres erant episcopi, quinquaginta duo sacerdotes dioecesani, triginta quattuor sacerdotes aut fratres laici Institutorum vitae consecratae, octo religiosae, duo seminarii alumni, novem laici. Non omnes eandem tractationem subierunt: eorum pars mortem passi sunt violentam et immediatam per decollationem aut suspendium, plumbeae glandis emissionem, cruciatus mortiferos, suffocationem in conclavibus gasio inquinatis; pars vero modo haud dubie violento sed gradatim, exempli gratia ob inhumana vincula, tormenta, famem et causas eiusmodi. Nec martyrii locus idem omnibus fuit. Alii supremum caritatis testimonium dederunt in campis internecionis, alii in vinculis aut alibi.

En 108 Servorum et Servarum Dei nomina:

1. Antonius Iulianus Nowowiejski, Archiepiscopus-Episcopus Plocensis. Is comprehensus est et amandatus anno 1940; mortuus est die 28 mensis Maii anno 1941 in campo internecionis loci Dzialdowo, propter famem et vexationes;

2. Leo Wetmanski, Episcopus auxiliaris dioecesis Plocensis. Comprehensus anno 1940, mortuus est die 10 mensis Octobris anno 1941 in campo internecionis loci Dzialdowo ob súbitas vexationes;

3. Ladislaus Goral, Episcopus auxiliaris Lublinensis. Comprehensus est anno 1939 et est mortuus mense Aprili anno 1945 ob vexationes et morbos in campo internecionis loci Sachsenhausen-Oranienburg;

4. Henricus Kaczorowski, sacerdos dioecesis Vladislaviensis; apprehensus anno 1939, interfectus est in conclavi gasio inquinato in campo internecionis Dachaviensi pridie nonas Maias anno 1942;

5. Anicetus Koplinski, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum; apprehensus est mense Iulio anno 1941, mortuus est in conclavi gasio inquinato postridie idus Octobres eodem anno in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiecim;

6. Maria Anna Biernacka, laica dioecesis Lomzensis; pro nuru praegnante sivit se comprehendi et est plumbea glande transfossa idibus Iuniis anno 1943 in oppido Naumowicze apud urbem Grodnum;

7. Miecislaus Bohatkiewicz, sacerdos dioecesis Pinscensis; duobus mensibus post comprehensionem, est ignivoma manuballista necatus die 4 mensis Martii anno 1942 in loco Berezwecz apud oppidum Glebokie;

8. Ladislaus Mackowiak, sacerdos archidioecesis Vilnensis; tribus post comprehensionem mensibus est glande metallica interfectus die 4 mensis Martii anno 1942 in oppido Berezwecz;

9. Stanislaus Pyrtek, sacerdos archidioecesis Vilnensis; tribus mensibus postquam est prehensus, die 4 mensis Martii in oppido Berezwecz est glande metallica transfossus anno 1942;

10. Maximilianus Binkiewicz, sacerdos archidioecesis Czestochoviensis; prehensus anno 1941, mortuus est die 24 mensis Augusti subsequentis anni in Dachaviensi campo internecionis propter súbitas saevitias;

11. Ludovicus Rochus Gientyngier, sacerdos archidioecesis Czestochoviensis; apprehensus mense Octobri anno 1941, mortuus est sub tormento in campo Dachaviensi internecionis, die 30 mensis Novembris eodem anno;

12. Antonius Beszta-Borowski, sacerdos dioecesis Drohiczinensis; comprehensus est et ignivoma manuballista necatus idibus Iuliis anno 1943 in oppido Bielsk Podlaski;

13. Marianus Górecki, sacerdos archidioecesis Gedanensis; comprehensus anno 1939, est plumbea glande necatus die 22 mensis Martii secuto anno in campo internecionis loci Stutthof;

14. Bronislaus Komorowski, sacerdos archidioecesis Gedanensis; comprebensus anno 1939, plumbea glande interfectus est die 22 mensis Martii anno 1940 in campo internecionis loci Stutthof;

15. Franciscus Rogaczewski, sacerdos archidioecesis Gedanensis, comprehensus anno 1939, ignivoma manuballista est de medio sublatus die 11 mensis Ianuarii insequente anno Gedani-Zaspae;

16. Ioannes Nepomucenus Chrzan, sacerdos archidioecesis Gnesnensis; prehensus anno 1941, in campo internecionis Dachaviensi mortuus est calendis Iuliis anno 1942 ob cruciatus;

17. Franciscus Dachtera, sacerdos archidioecesis Gnesnensis; prehensus anno 1939, mortem obiit in campo internecionis Dachaviensi sicut victima experimentorum pseudomedicorum die 23 mensis Augusti anno 1944;

18. Ladislaus Demski, sacerdos archidioecesis Gnesnensis; prehensus anno 1939, de vita decessit die 28 mensis Maii anno 1940 in campo internecionis loci Sachsenhausen quia profanare renuerat Rosarium;

19. Stanislaus Kubski, sacerdos archidioecesis Gnesnensis; comprehensus anno 1939, interiit in conclavi gasio inquinato Dachaviae die 18 mensis Maii anno 1942;

20. Ladislaus Maczkowski, sacerdos archidioecesis Gnesnensis; comprehensus anno 1940, de vita decessit in campo internecionis Dachaviensi die 20 mensis Augusti anno 1942 ob continuas saevitias;

21. Marianus Skrzypczak, sacerdos archidioecesis Gnesnensis, est plumbea glande necatus apud ecclesiam oppidi Plonkowo die 5 mensis Octobris anno 1939;

22. Alexius Sobaszek, sacerdos archidioecesis Gnesnensis; anno 1941 comprehensus, in campo internecionis Dachaviensi mortuus est calendis Augustis anno 1942 propter tormenta;

23. Antonius Swiadek, sacerdos archidioecesis Gnesnensis; prehensus anno 1942, in campo internecionis Dachaviensi de vita decessit propter vexationes die 25 mensis Ianuarii anno 1945;

24. Iosephus Czempiel, sacerdos archidioecesis Katovicensis; apprehensus anno 1940, interfectus est in conclavi gasio inquinato Dachaviae die 19 mensis Maii anno 1942;

25. Aemilius Szramek, sacerdos archidioecesis Katovicensis; apprehensus anno 1940, in campo internecionis Dachaviensi obiit propter cruciatus die 13 mensis Ianuarii anno 1942;

26. Iosephus Pawlowski, sacerdos dioecesis Kielcensis; comprehensus anno 1941, interfectus est in campo internecionis Dachaviensi per suspendium die 9 mensis Ianuarii anno 1942;

27. Petrus Eduardus Dankowski, sacerdos archidioecesis Cracoviensis; comprehensus anno 1941, mortuus est propter cruciatus die 3 mensis Aprilis anno 1942 in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiçcim;

28. Casimirus Gostynski, sacerdos archidioecesis Lublinensis; prehensus anno 1940, occisus est in conclavi gasio inquinato Dachaviae pridie nonas Maias anno 1942;

29. Stanislaus Mysakowski, sacerdos archidioecesis Lublinensis; prehensus anno 1939, interiit Dachaviae in conclavi gasio inquinato pridie idus Octobres anno 1942;

30. Sigismundus Pisarski, sacerdos archidioecesis Lublinensis; plumbea glande est occisus in paroecia loci Gdeszyn die 30 mensis Ianuarii anno 1943;

31. Antonius Zawistowski, sacerdos archidioecesis Lublinensis; comprehensus anno 1939, in campo internecionis Dachaviensi de vita decessit pridie nonas Iunias anno 1942 propter cruciatus;

32. Adamus Bargielski, sacerdos dioecesis Lomzensis; sponte in carcerem ivit pro parocho suo anno 1940 et est in campo internecionis Dachaviensi interfectus die 8 mensis Septembris anno 1942;

33. Michael Piaszczyñski, sacerdos dioecesis Lomzensis; comprehensus mense Aprili anno 1940, interiit in campo internecionis loci Sachsenhausen die 20 mensis Decembris subsequentis propter vexationes;

34. Marianus Konopiñski, sacerdos archidioecesis Posnaniensis; apprehensus anno 1939, obiit calendis Ianuariis in campo internecionis Dachaviensi anno 1943 ob experimenta pseudomedica quibus erat subiectus;

35. Iosephus Kut, sacerdos archidioecesis Posnaniensis; apprehensus anno 1941, mortuus est die 18 mensis Septembris insequenti anni in campo internecionis Dachaviensi propter súbitas aerumnas;

36. Vladimirus Laskowski, sacerdos archidioecesis Posnaniensis; apprehensus mense Martio anno 1940, mortem obiit propter cruciatus die 8 mensis Augusti secuti in campo internecionis Gusensi;

37. Narcissus Putz, sacerdos archidioecesis Posnaniensis; comprehensus anno 1939, in campo internecionis Dachaviensi mortem obiit nonis Decembribus anno 1942 propter vexationes;

38. Casimirus Grelewski, sacerdos dioecesis Radomensis; prehensus anno 1941, est suspensus in Dachaviensi campo internecionis die 9 mensis Ianuarii anno 1942;

39. Stephanus Grelewski, dioecesis Radomensis sacerdos; prehensus est mense Ianuario anno 1941 et in Dachaviensi campo internecionis obiit die 9 mensis Maii subsequentis propter cruciatus et privationes in carcere súbitas;

40. Franciscus Roslaniec, sacerdos dioecesis Radomensis; comprehensus anno 1939, mortuus in conclavi gasio inquinato Dachaviae pridie idus Octobres anno 1942;

41. Boleslaus Strzelecki, dioecesis Radomensis sacerdos; comprehensus mense Ianuario anno 1941, mortuus est postridie subsequentes calendas Maias in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiçcim propter súbitos cruciatus;

42. Casimirus Sykulski, dioecesis Radomensis sacerdos; comprehensus mense Octobri anno 1941, calendis Decembribus eiusdem anni est ignivoma manuballista necatus in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiecim;

43. Antonius Rewera, Sandomiriensis dioecesis sacerdos; comprehensus mense Martio anno 1942, calendis Octobribus secutis interiit propter súbitas vexationes in campo internecionis Dachaviensi;

44. Romanus Archutowski, archidioecesis Varsaviensis sacerdos; apprehensus anno 1942, mortem obiit propter súbitos cruciatus, famem et morbos in campo internecionis loci Majdanek die 18 mensis Aprilis anno 1943;

45. Eduardus Detkens, Varsaviensis archidioecesis sacerdos; apprehensus anno 1939, occisus est in conclavi gasio inquinato apud Lentiam, quo ductus erat die 10 mensis Octobris anno 1942;

46. Michael Ozieblowski, sacerdos archidioecesis Varsaviensis; anno 1941 comprehensus, in campo internecionis Dachaviae mortuus est ob súbitas vexationes die 31 mensis Iulii anno 1942;

47. Sigismundus Sajna, archidioecesis Varsaviensis sacerdos; prehensus mense Ianuario anno 1940, est plumbeae glandis emissione interfectus die 17 secuti mensis Septembris in loco Palmiry;

48. Michael Wozniak, sacerdos archidioecesis Varsaviensis; comprehensus anno 1941, interiit postridie idus Maias subsequentis anni Dachaviae ob súbitas vexationes;

49. Eduardus Grzymala, Vladislaviensis dioecesis sacerdos; prehensus anno 1940, die 10 mensis Augusti anno 1942 ductus est in campum Dachaviensem internecionis, ubi in conclavi gasio inquinato est interfectus;

50. Henricus Hlebowicz, Vilnensis archidioecesis sacerdos; est plumbeae glandis emissione necatus die 9 mensis Novembris anno 1941 in loco Borysów;

51. Dominicus Jedrzejewski, Vladislaviensis dioecesis sacerdos; comprehensus anno 1940, in campo internecionis Dachaviae mortuus est propter súbitas vexationes die 29 mensis Augusti anno 1942;

52. Iosephus Kurzawa, sacerdos dioecesis Vladislaviensis; necatus est die 23 mensis Maii anno 1940 apud oppidum Witowo;

53. Vincentius Matuszewski, Vladislaviensis dioecesis sacerdos; interfectus est die 23 mensis Maii anno 1940 apud oppidum Witowo;

54. Leo Nowakowski, Vladislaviensis dioecesis sacerdos; est plumbeae glandis emissione necatus die 31 mensis Octobris anno 1939 apud oppidum Piotrków Kujawski;

55. Iosephus Straszewski, sacerdos dioecesis Vladislaviensis; anno 1939 comprehensus, pridie idus Augustas anno 1942 in campum Dachaviensem internecionis est ductus et in conclavi gasio inquinato interfectus;

56. Romanus Sitko, dioecesis Tarnoviensis sacerdos; prehensus anno 1941, ob súbitas vexationes die 12 mensis Octobris anno 1942 in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiecim obiit;

57. Ladislaus Miegoñ, Ordinariatus Militaris sacerdos; comprehensus anno 1939, Dachaviae in campo internecionis interiit ob súbitas vexationes die 15 mensis Septembris anno 1942;

58. Michael Czartoryski, Ordinis Fratrum Praedicatorum sacerdos professus; est ignivoma manuballista transfossus postridie nonas Septembres anno 1944 Varsaviae;

59. Christinus Gondek, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum; prehensus anno 1940, Dachaviae in campo internecionis est mortuus propter súbitos cruciatus die 23 mensis Iulii anno 1942;

60. Narcissus Turchan, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum; comprehensus anno 1940, Dachaviae in campo internecionis mortuus est propter vexationes súbitas die 19 mensis Martii anno 1942;

61. Martinus Oprzadek, religiosus professus Ordinis Fratrum Minorum; comprehensus anno 1940, in campum Dachaviensem internecionis ductus est die 18 mensis Maii anno 1942 et in conclavi gasio inquinato loci Hartheim apud Lentiam interfectus;

62. Bruno Zembol, Ordinis Fratrum Minorum religiosus professus; comprehensus anno 1939, Dachaviae in campo internecionis est mortuus die 21 mensis Augusti anno 1942 ob súbitas vexationes;

63. Henricus Krzysztofik, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum; comprehensus anno 1940, Dachaviae in campo internecionis de vita decessit pridie nonas Augustas anno 1942 ob súbitas vexationes;

64. Florianus Stejpniak, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sacerdos professus; prehensus anno 1940, est in campum Dachaviensem internecionis ductus pridie idus Augustas anno 1942 ibique in conclavi gasio inquinato interfectus;

65. Fidelis Chojnacki, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum religiosus professus, theologiae studens; comprehensus anno 1940, Dachaviae in campo internecionis est mortuus die 9 mensis Iulii anno 1942 propter subitas vexationes;

66. Symphorianus Ducki, religiosus professus Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum; comprehensus est anno 1941 et a vigilibus campi internecionis loci Auschwitz-Oswiecim die 11 mensis Aprilis subsequentis anni trucidatus;

67. Alfonsus Maria Mazurek, sacerdos professus Ordinis Fratrum Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo; interfectus die 28 mensis Augusti anno 1944;

68. Hilarius Januszewski, sacerdos professus Ordinis Fratrum Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo; comprehensus est anno 1940 et Dachaviae in campo internecionis mortuus est die 25 mensis Martii anno 1945 ob typhum contractum in assiduitate spirituali aegrotis praebenda;

69. Georgius Kaszyra, sacerdos professus Congregationis Clericorum Marianorum; Rosicae est trucidatus die 18 mensis Februarii anno 1943;

70. Antonius Leszczewicz, sacerdos professus Congregationis Clericorum Marianorum; interfectus est die 17 mensis Februarii anno 1943;

71. Ladislaus Bladziñski, sacerdos professus Congregationis Sancti Michaelis Archangeli; mense Aprili anno 1944 comprehensus, die 8 subsequentis mensis Septembris occisus est in fodinis lapidis Numidici apud locum Gross-Rosen;

72. Adalbertus Nierychlewski, sacerdos professus Congregationis Sancti Michaelis Archangeli; comprehensus anno 1941, die 7 mensis Februarii secuti anni in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiçcim de vita decessit propter súbitas vexationes;

73. Iosephus Cebula, sacerdos professus Congregationis Missionariorum Oblatorum B. M. V. Immaculatae; comprehensus mense Aprili anno 1941, occisus est die 28 eiusdem mensis in campo internecionis loci Mauthausen;

74. Franciscus Drzewiecki, sacerdos professus Parvi Operis Divinae Providentiae; prehensus anno 1939, die 10 mensis Augusti anno 1942 ductus est Dachaviam ibique in campo internecionis interfectus in conclavi gasio inquinato;

75. Iosephus Jankowski, sacerdos professus Societatis Apostolatus Catholici; prehensus mense Maio anno 1941, trucidatus est a vigilibus campi internecionis loci Auschwitz-Oswiecim postridie subsecutas idus Octobres;

76. Iosephus Stanek, Societatis Apostolatus Catholici sacerdos professus; suspensus est Varsaviae die 23 mensis Septembris anno 1944;

77. Iosephus Kowalski, sacerdos professus Societatis S. Francisci Salesii; apprehensus anno 1941, mortuus est sub tormentis in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiecim die 4 mensis Iulii subsequenti anno;

78. Stanislaus Kubista, sacerdos professus Societatis Verbi Divini; prehensus mense Februario anno 1940, mortuus est in campo internecionis loci Sachsenhausen sub tormentis die 26 mensis Aprilis eodem anno;

79. Aloisius Liguda, Societatis Verbi Divini sacerdos professus; comprehensus anno 1940, trucidatus est a vigilibus campi internecionis Dachaviensis die 8 mensis Decembris anno 1942;

80. Ludovicus Mzyk, Societatis Verbi Divini sacerdos professus; comprehensus anno 1940, interfectus est Posnaniae ab uno ex carceris custodibus die 23 mensis Februarii anno 1942;

81. Gregorius Frackowiak, religiosus professus Societatis Verbi Divini; comprehensus anno 1942, est securi percussus Dresdae die 5 mensis Maii anno 1943;

82. Antoninus Bajewski, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium; prehensus mense Februario anno 1941, de vita decessit propter cruciatus súbitos in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiecim postridie nonas Maias subsecutas;

83. Pius Bartosik, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium; comprehensus anno 1940, mortuus est propter súbitas vexationes in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiçcim pridie idus Décembres anno 1941;

84. Innocentius Guz, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium sacerdos professus; comprehensus mense Martio anno 1940, trucidatus est a vigilibus campi internecionis in loco Sachsenhausen postridie nonas Iunias subsecutas;

85. Achilles Puchala, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium sacerdos professus; interfectus est in pago Borowikowszczyzna die 19 mensis Iulii anno 1943;

86. Hermannus Stejpieñ, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium sacerdos professus; interfectus est in pago Borowikowszczyzna die 19 mensis Iulii anno 1943;

87. Timotheus Trojanowski, religiosus professus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium; comprehensus anno 1941, de vita decessit propter aerumnas súbitas in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiçcim die 28 mensis Februarii anno 1942;

88. Bonifatius Zukowski, religiosus professus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium; prehensus anno 1941, obiit Dachaviae in campo internecionis propter aerumnas súbitas die 10 mensis Aprilis subsequente anno;

89. Anastasius Pankiewicz, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum; prehensus anno 1941, exstinctus est die 20 mensis Aprilis anno 1942 probabiliter cum ab urbe Dachavia duceretur in conclave gasio inquinatum ad urbem Hartheim apud Lentiam;

90. Iosephus Zaplata, religiosus professus Congregationis SS. Cordis Iesu; comprehensus anno 1939, est typho mortuus Dachaviae in campo internecionis die 19 mensis Februarii anno 1945;

91. Iulia Rodzinska, religiosa professa Congregationis Sororum Sancti Dominici; comprehensa anno 1943, vitam amisit typho in campo internecionis loci Stutthof die 20 mensis Februarii anno 1945;

92. Maria Teresia Kowalska, religiosa professa Monialium Clarensium Capuccinarum; comprehensa mense Aprili anno 1941, diem supremum obiit in campo internecionis loci Dzialdowo die 25 mensis Iulii secuti;

93. Maria Eva de Providentia Noiszewska, religiosa professa Congregationis Sororum a Conceptione Immaculata B. M. V.; plumbea glande est interfecta die 19 mensis Decembris anno 1942 in oppido Slonim;

94. Maria Marta de Iesu Wolowsk, religiosa professa Congregationis Sororum a Conceptione Immaculata B. M. V.; est plumbea glande interfecta die 19 mensis Decembris anno 1942 in oppido Slonim;

95. Caelestina Faron, religiosa professa Congregationis Servularum B. M. V. Immaculatae Conceptae; prehensa anno 1942, e vita emigravit propter súbitos cruciatus in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiçcim die 9 mensis Aprilis anno 1944;

96. Maria Antonina Kratochwil, religiosa professa Congregationis Sororum Scholarium a Domina Nostra; comprehensa mense Iulio anno 1942, vivere desiit ob vexationes súbitas in carcere loci Stanislawów postridie calendas Octobres eodem anno;

97. Maria Clemens a Iesu Crucifixo Staszewska, religiosa professa Ordinis S. Ursulae Unionis Romanae; comprehensa mense Ianuario anno 1943, mortem obiit in campo internecionis loci Auschwitz-Oswiecim propter vexationes et morbos die 27 mensis Iulii subsequentis;

98. Alicia Kotowska, religiosa professa Congregationis Sororum Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi; comprehensa mense Octobri an^io 1939, est ignivoma manuballista interfecta die 11 subsequentis mensis in oppido Laski Piasnica apud oppidum Wejherowo;

99. Thaddaeus Dulny, alumnus seminarii Vladislaviensis; prehensus anno 1939, Dachaviae in campo internecionis de vita exiit propter cruciatus postridie nonas Augustas anno 1942;

100. Bronislaus Kostowski, Vladislaviensis seminarii alumnus; anno 1939 comprehensus, Dachaviae in campo internecionis mortuus est ob súbitos cruciatus die 27 mensis Novembris anno 1942;

101. Franciscus Stryjas, laicus dioecesis Calissiensis; obiit die 31 mensis Iulii anno 1944 post decem cruciatuum dies in carcere civitatis Kalisz;

102. Stanislaus Starowieyski, laicus archidioecesis Lublinensis; comprehensus anno 1940, vitam amisit propter vexationes pridie nonas Iunias anno 1942 Dachaviae in campo internecionis;

103. Natalia Tulasiewicz, laica archidioecesis Posnaniensis; comprehensa anno 1944, est interfecta in conclavi gasio inquinato in campo internecionis die 31 mensis Martii anno 1945 in loco Ravensbriick;

104. Oeslaus Józwiak, alumnus oratorii Salesiani Posnaniensis; apprehensus anno 1940, est securi percussus in carcere Dresdensi die 24 mensis Augusti anno 1942;

105. Eduardus Kazmierski, alumnus oratorii Salesiani Posnaniensis; anno 1940 comprehensus, securi est percussus in carcere Dresdensi die 24 mensis Augusti anno 1942;

106. Franciscus Kçsy, oratorii Salesiani Posnaniensis alumnus; anno 1940 comprehensus, est securi percussus die 24 mensis Augusti anno 1942 in Dresdensi carcere;

107. Eduardus Klinik, oratorii Salesiani Posnaniensis alumnus; anno 1940 comprehensus, securi est percussus die 24 mensis Augusti anno 1942 in Dresdensi carcere;

108. Iarognievus Wojciechowski, oratorii Salesiani Posnaniensis alumnus; anno 1940 prehensus, in carcere Dresdensi die 24 mensis Augusti anno 1942 est percussus securi.

Hi Servi Dei, qui parva pars sunt multorum christianorum in Polonia interfectorum inter alterum bellum totius orbis terrarum, semper veri martyres fidei habiti sunt. Eorum beatificationis Causa seu declarationis martyrii inita est anno 1992 ab Episcopo Vladislaviensi qui, concorditer cum Conferentia Episcopali Polonica processit ad Inquisitionem dioecesanam celebrandam necnon ad Inquisitionem addictionalem, quibus additae sunt Inquisitiones rogatoriales, instructae apud varias Curias dioecesium Polonicarum. Harum Inquisitionum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum. Positione confecta, disceptatum est, ex norma, an 108 Servi Dei, qui sunt supra commemorati, ducendi sint fidei martyres. Die 20 mensis Novembris anno 1998, prospero cum exitu, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde atque Episcopi, in Sessione Ordinaria die 16 mensis Februarii habita anno 1999,

Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Edmundo Casimiro Szoka, agnoverunt hos Dei Servos in fidelitatem erga Christum sanguinem suum fudisse atque in odium fidei esse interfectos.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die infrascripto Praefecto necnon Causae Cardinali Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum et Servarum Dei Antonii Iuliani Nowowiejski, Archiepiscopi-Episcopi Plocensis, Henrici Kaczorowski et Aniceti Koplinski, Sacerdotum, Mariae Annae Biernacka, Laicae, et CIV Sociorum, annis 1939-1945 interfectorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 26 mensis Martii A. D. 1999.

83 IOSEPHUS SARAIVA MARTINS
archiep. tit. Thuburnicensis, *Praefectus*

L. *m* s.

£B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lunensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

BURLINGTONENSIS

De Ecclesiae concathedralis erectione

DECRETUM

Ut spirituali Populi Dei bono aptius consulatur utque pastorale suum munus efficacius adimplere valeat, Exc.mus P.D. Canicus Antonius Angeli, Episcopus Burlingtonensis, ab Apostolica Sede expostulavit, ut templum paroeciale, in urbe vulgo *Burlington* exstans, Deo in honorem Sancti Iosephi dicatum, ad dignitatem et fastigium Ecclesiae concathedralis evehere-

tur. Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Pp. II, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Gabrielis Montalvo, Archiepiscopi titularis Celenensis et in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis, preces ad Se admotas, Sanctae Matris Ecclesiae profectum ac animarum salutem prae oculis habens, excipiendas statuit. Quapropter, Idem Summus Pontifex, suppleto quatenus opus sit eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Congregationis pro Episcopis Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, decernit ut, servata dioecesis Burlingtonensis cathedrae episcopalis dignitate, templum in urbe vulgo *Burlington* exstans, Deo in honorem Sancti Iosephi dicatum, titulo ac fastigio Ecclesiae concathedralis decoretur, cum omnibus iuribus honoribus et privilegiis ac oneribus et obligationibus quae huiusmodi Ecclesiis sunt propria. Ad haec perficienda, deputat memoratum Exc.mum P.D. Gabrielem Montalvo, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem pro Episcopis, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 8 mensis Septembris, anno 1999.

ffi **LUCAS** card. **MOREIRA NEVES**, *Praef.*

£8 Franciscus Monterisi, *a Secretis.*

L. « S .

In Congr. pro Episcopis tab., n. 445/99

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 19 Octobris 1999. — Cathedrali Ecclesiae Campifonti in Illinois,- R.D. Georgium Lucas, e clero archidioecesis Sancti Ludovici, rectorem Seminarii maioris « Kenrick-Glennon » eiusdem archidioecesis.

die 26 Octobris 1999. — Cathedrali Ecclesiae Knoxvillensi, R.D. Iosephum Eduardum Kurtz, e clero dioecesis Alanopolitanae, ibique Operis dioecesani caritatis catholicae moderatorem atque paroeciae Dominae Nostrae de Bethlehem dicatae in oppido vulgo Bethlehem curionem.

— Cathedrali Ecclesiae Ogdensburgensi, Exc.mum P.D. Geraldum Michaelem Barbarito, hactenus Episcopum titularem Gisipensem et Auxiliarem dioecesis Bruklyniensis.

die 28 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Massanae-Plumbinensi R.D. Ioannem Santucci, hactenus curionem et vicarium foraneum in archidioecesi Pisana.

die 29 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Ilerdensi Exc.mum P.D. Franciscum Xaverium Ciuraneta Aymi, hactenus Episcopum Minoricensem.

— Cathedrali Ecclesiae Barbastrensi-Montisonensi Exc.mum P.D. Ioannem Iosephum Omelia Omelia, hactenus Episcopum titularem Sasabensem et Auxiliarem archidioecesis Caesaraugustanae.

die 30 Octobris. — Titulari episcopali Ecclesiae Paestanae R.D. Antonium Coga, Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » Moldo viensem.

die 3 Novembris. — Nuntiaturae Apostolicae in Republica Boliviana, R.D. Iosephum Wesolowski, Archiepiscopum titularem electum Slebtensem.

— Cathedrali Ecclesiae Ergadiensi et Insularum R.D. Ioannem Murray, hactenus Vicarium generalem archidioecesis Sancti Andreae et Edimburgensis.

die 4 Novembris. — Ordinariatui Militari in Republica Chiliensi Exc.mum P.D. Paulum Lizama Riquelme, hactenus Episcopum Melipillensem.

die 5 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Cissensi R.D. Andream Veres, a secretis Conferentiae Episcoporum Hungariae, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Agriensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Puppitanae R.D. Petrum Erdö, Universitatis Catholicae « Pázmány Péter » rectorem, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Albae Regalensis.

die 6 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Pinhelensi R.D. Emmanuelem Iosephum Macarium do Nascimento Clemente, hactenus Seminarii maioris Lisbonensis Christo Regi dicati rectorem, quem deputavit Auxiliarem Patriarchae Lisbonensis.

die 9 Novembris 1999. — Titulari episcopali Ecclesiae Mustitanae R.D. Iosephum Pasotto, Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis » Caucasi Latinorum.

— Cathedrali Ecclesiae Cucutensi, Exc.mum P.D. Ansgarium Urbina Ortega, hactenus Episcopum titularem Forconiensem et Auxiliarem Bogotensem.

die 10 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Osotiensi, noviter erectae, R.P. Thaddaeum Gomes Canellas, hactenus Episcopum titularem Iuncensem in Byzacena et Auxiliarem Portalegrensem in Brasilia.

die IS Novembris. — Cathedrali suburbicariae Ecclesiae Albanensi, Exc.mum P.D. Augustinum Vallini, hactenus Episcopum titularem Tortibulanum atque Auxiliarem archidioecesis Neapolitanae.

— Archiepiscopali Ecclesiae Tranensi-Barolensi-Vigiliensi Exc.mum P.D. Ioannem Baptistam Pichierri, hactenus Episcopum Ceriniolensem-Asculanum Apuliae.

die 15 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Vivariensi R.D. Franciscum Blondel, hactenus Vicarium generalem Lemovicensem.

die 17 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Barrensi de Pirai-Voltaredondensi Exc.mum P.D. Ioannem Mariam Messi, O.S.M., hactenus Episcopum Irecensem.

— Cathedrali Ecclesiae Itaguaiensi R.P. Iosephum Ubiratan Lopes, O.F.M. Cap., hactenus in dioecesi Petropolitana paroeciae Beatae Virgini Mariae « de Aparecida » dicatae curionem.

die 19 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Bakeriensi, R.D. Robertum Franciscum Vasa, e clero dioecesis Lincolnensis, ibique Vicarium generalem et moderatorem Curiae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Vagrautensi, R.D. Georgium Thomas, e clero archidioecesis Seattlensis, ibique Vicarium generalem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Dallasensi Episcopum Coadiutorem, Exc.mum P.D. Iosephum Antonium Galante, hactenus Episcopum Bellomontensem.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 30 Augusti 1999. — Cathedrali Ecclesiae Moptiensi R.D. Georgium Fonghoro, Administratorem dioecesanum eiusdem sedis episcopalis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cartennitanae R.P. Aloisium Infanti Della Mora, O.S.M., hactenus Pro-Vicarium Vicariatus Apostolici Aysenensis, quem constituit Vicarium Apostolicum praefatae circumscriptionis ecclesiasticae.

die 15 Octobris. — Metropolitanae Ecclesiae Madanganae Archiepiscopum Coadiutorem, Exc.mum P.D. Villelmum Iosephum Kutz, S.V.D., hactenus Episcopum Kundiavanum.

— Cathedrali Ecclesiae Bissagensi R.D. Iosephum Câmnate na Bissign, eiusdem sedis episcopalis Administratorem dioecesanum.

— Cathedrali Ecclesiae Gokvensi R.P. Angelum Floro Martinez, I.E.M.E., hactenus Administratorem dioecesanum eiusdem sedis episcopalis.

— Cathedrali Ecclesiae Morondavensi R.D. Donaldum Iosephum Leonem Pelletier, M.S., in praesens eiusdem sedis episcopalis Administratorem dioecesanum.

— Cathedrali Ecclesiae Lvenansae Episcopum coadiutorem, R.P. Gabrielem Mbilingi, C.S.Sp., in praesens eiusdem Congregationis S. Spiritus sub tutela Immaculati Cordis Beatissimae Virginis Mariae in Urbe consultorem generalem.

die 29 Octobris. — Metropolitanae Ecclesiae Cotonuensi Exc.mum R.D. Nestorem Assogba, hactenus Archiepiscopum Parakuensem.

— Cathedrali Ecclesiae Sintangensi R.D. Augustinum Agus, hactenus eiusdem circumscriptionis Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis ».

die 29 Octobris 1999. — Ordinariatui Militari in Corea R.D. Petrum Ri Ki-hun, in praesens cancellarium archidioecesis Seulensis.

— Cathedrali Ecclesiae Inchonensi Episcopum Coadiutorem, R.D. Bonifatium Choi Ki-San, Seminarii maioris praefatae dioecesis spiritualem moderatorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Elephantariensi in Mauretania R.D. Dominicum Bulamatari, paroeciae universitatis in urbe Kinshasana curionem, quem archidioecesis Kinshasanae Auxiliarem deputavit.

— Titulari episcopali Ecclesiae Grumentinae R.D. Eduardum Kisonga, Congregationis Presbyterorum a Ss.mo Sacramento sodalem, in praesens praefatae Congregationis religiosae Superiorem regionalem necnon parochum atque vicarium foraneum Regionis Apostolicae Occidentalis archidioecesis Kinshasanae, quem Auxiliarem eiusdem sedis Metropolitanae deputavit.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cataquensi R.D. Danielem Nlandu Mayi, Vicarium generalem atque Kinshasani Seminarii maioris « Jean XXIII » rectorem, quem Auxiliarem praefatae archidioecesis deputavit.

— Cathedrali Ecclesiae Tumacoënsi, noviter constitutae in Columbiana regione, Exc.mum P.D. Gustavum Girón Higuita, O.C.D., hactenus Episcopum titularem Bisicensem et Vicarium Apostolicum eiusdem circumscriptionis ecclesiasticae.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Iosephi a Guaviare, noviter conditae in Columbia, Exc.mum P.D. Belarminum Correa Yepes, M.X.Y., hactenus Episcopum titularem Horreacoeliensem et Vicarium Apostolicum eiusdem circumscriptionis ecclesiasticae.

— Cathedrali Ecclesiae Mocoensi-Sibundoyensi, noviter statutae in Columbiana regione, Exc.mum P.D. Fabium de Iesu Morales Grisales, C.SS.R., hactenus Episcopum titularem Buduanensem et Vicarium Apostolicum Sibundoyensem.

— Cathedrali Ecclesiae Granadiensi in Columbia, noviter erectae in Columbiana regione, Exc.mum P.D. Hectorem Iulium López Hurtado, S.D.B., hactenus Episcopum titularem Eliocrocensem et Vicarium Apostolicum Ariariensem.

— Dioecesi Yopalensi, noviter conditae in Columbia, necnon Vicariatui Apostolico — posthac appellato — Trinitensi, Exc.mum P.D. Olavium **Lo**pez Duque, O.A.R., Episcopum titularem Strongulensem et hactenus Vicarium Apostolicum Casanarensem, *Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis ».*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in udienza:

Lunedì, 25 Ottobre 1999, S.E. il Signor IGOR SERGHEEVIC IVANOV, Ministro degli Affari Esteri della Federazione Russa.

Giovedì, 28 Ottobre 1999, S.E. il Signor FRANJO TUDJMAN, Presidente della Repubblica di Croazia.

Venerdì, 29 Ottobre 1999, S.E. il Signor RUDOLF SCHUSTER, Presidente della Repubblica Slovacca.

Sabato, 30 Ottobre 1999, S.E. il Signor ARNOLDO ALEMÁN LACAYO, Presidente della Repubblica del Nicaragua.

Sabato, 13 Novembre 1999, Le Loro Maestà il Re CARL XVI GUSTAF e la Regina SILVIA DI SVEZIA.

Lunedì, 15 Novembre 1999, il Signor ABDELAZIZ BOUTEFLIKA, Presidente della Repubblica di Algeria.

Venerdì, 19 Novembre 1999, S.E. il Signor FERNANDO HENRIQUE CARDOSO, Presidente del Brasile.

Lunedì, 22 Novembre 1999, S.E. il Signor CARLOS SAÚL MENEM, Presidente della Repubblica Argentina.

Lunedì, 22 Novembre 1999, Sua Altezza lo Sceicco HAMED BIN ESSA AL-KHALIFA, Emiro dello Stato di Bahrain.

Martedì, 23 Novembre 1999, S.E. il Signor MARTH AHTISAARI, Presidente della Repubblica di Finlandia.

Da venerdì 5 a martedì 9 novembre 1999 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in India ed in Georgia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

23 ottobre 1999. **S.E. mons. Eugenio Sbarbaro, Arcivescovo tit. di Tiddi, Rappresentante Pontificio nelle Antille,** *Nunzio Apostolico in Saint Kitts and Nevis.*

11 novembre » **S.E. mons. Janusz Bolonek, Arcivescovo tit. di Madauro,** *Nunzio Apostolico in Uruguay.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

20 ottobre 1999. **S.E. mons. Attilio Nicora, Vescovo em. di Verona; i signori avv. Edoardo Boitani; dott. Pietro Fatello; dott. Maurizio Prato; dott. Giovanni Battista Santucci,** *Consultori della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « ad quinquennium ».*

» » » **La signora Madeleine Ramaholimihaso,** *Membro del Collegio dei Revisori della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede.*

30 » » **Mons. Mario Marchesi,** *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per l'Interpretazione dei Testi Legislativi.*

15 novembre » **S.E. mons. Zenon Grocholewski, Arcivescovo tit. di Agropoli,** *Prefetto della Congregazione per l'Educazione Cattolica « ad quinquennium ».*

» » » **Gli Em.mi Signori Cardinali Alfonso López Trujillo, Francis Arinze, Jozef Tomko,** *Membri della Congregazione per la Dottrina della Fede «in aliud quinquennium».*

16 » » **S.E. mons. Mario Francesco Pompedda, Arcivescovo tit. di Bisarcio,** *Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica « ad quinquennium ».*

24 » » **Mons. Michel Berger,** *Sotto-Segretario della Pontificia Commissione per i Beni Culturali della Chiesa « ad quinquennium ».*

» » » **La dott.ssa Maria Cristina Carlo-Stella,** *Capo Ufficio nella Pontificia Commissione per i Beni Culturali della Chiesa.*

28 » » **Gli Em.mi Signori Cardinali Miloslav Vlk e Jean-Claude Turcotte,** *Membri del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali « in aliud quinquennium ».*

» » » **L'Em.mo Signor Cardinale Juan Sandoval íñiguez,** *Consigliere della Pontificia Commissione per l'America Latina « in aliud quinquennium ».*

28 novembre 1999. L'Em.mo Signor Cardinale Jan Pieter Schotte, *Membro della Pontificia Commissione per l'America Latina « in aliud quinquennium ».*

NECROLOGIO

19 ottobre 1999. Mons. Felipe M. Zalba Elizalde, Vescovo Prelato di Chuquibamba *(Perù).*

20 Mons. Eugeen Laridon, Vescovo tit. di Tiges.

23 Mons. Pierre Tchouanga, Vescovo em. di Doumé-Abong' Mbang *(Camerun).*

27 Mons. Jean Cadilhac, Vescovo di Nîmes *(Francia).*

2 novembre Mons. Orestes S. Nuti Sanguinetti, Vescovo em. di Canelones *(Uruguay).*

Mons. Firmin Courtemanche, Vescovo em. di Chipata *(Zambia).*

Mons. Alfons K. Kempf, Vescovo tit. di Limira.

Mons. Joseph Sibomana, Vescovo em. di Kibungo *(Rwanda).*

Mons. José de Jesús Aguilera Rodríguez, Vescovo em. di Huajuapan de León *(Messico).*

11 Mons. Gabriel Gonsum Ganaka, Arcivescovo di Jos *(Nigeria)s*

13 Mons. Stéphane Desmazières, Vescovo em. di Beau vais *(Francia).*

Recens nuntiatum est Ioannem Villelmum Comber, episcopum titulo Foratianensem, die 27 m. Martii a. 1998 de vita decessisse.

An. et vol. XCI 31 Decembris 1999 (Index generalis)

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

I
INDEX GENERALIS ACTORUM

(AN. ET VOL. XCI)

I - ACTA IOANNIS PAULI PP. II

II - ACTA CONGREGATIONUM

II

INDEX DOCUMENTORUM CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTUS

I — ACTA IOANNIS PAULI PP. II

I. LITTERAE ENCYCLICAE

II - ADHORTATIO APOSTOLICA POSTSYNODALIS

III - CONSISTORIA

IV - LITTERAE DECRETALES

V - LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE

VI - LITTERAE APOSTOLICAE SUB PLUMBO DATAE

VII - CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

VIII - LITTERAE APOSTOLICAE

IX - CONVENTIONES

X - HOMILIAE

XI - ALLOCUTIONES

XII - NUNTII

XIII - NUNTII TELEVISIFICI

XIV - ITINERA APOSTOLICA
SUMMUS PONTIFEX HAS NATIONES INVISIT

XV - SECRETARIA STATUS

II - ACTA CONGREGATIONUM

I - CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

II - CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

III - CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

m

INDICES NOMINUM

I - INDEX NOMINUM PERSONARUM

(OMITTUNTUR NOMINA ACTIBUS SUBSCRIPTA)
(CUM PARVA CRUX F ADEST, DE NUNTIO MORTIS AGITUR)

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

Q

R

T

U

V

W

II - INDEX NOMINUM DIOECESIUM, VICARIATUUM, ETC.

A

B

C

O

P

Q

R

S

X

Y

Z

IV

INDEX RERUM MAIORIS MOMENTI

C

E

H

L

T

U

V

CORRIGENDA DELENDA ADDENDA

An. et vol. XCI (1999)

pag. 125 linea 18: loco — legatur *12 Decembris*

pag. 843 linea 1: loco *15 Iunii* legatur *9 Iunii*

pag. 1000 linea 5 : loco *die 4 Iulii* legatur *die 29 Iulii*
et provisio Metropolitanae Truxillensis post provisionem Praelaturae Sicuanensis opportune inseratur.

pag. 1026 linea 10: loco *Gentium Evangel.* legatur *Ecclesiis Orientalibus*

pag. 1104 linea 17: loco *Arcivescovo* legatur *Vescovo*

pag. 1195, linea paenultima: loco — legatur *die 23 Novembris*

NONAGESIMUM PRIMUM VOLUMEN
COMMENTARII OFFICIALIS « ACTA APOSTOLICAE SEDIS »
ABSOLVITUR DIE XXXI DECEMBRIS MDCCCCLXXXXVIIII
TYPIS VATICANIS